A. GISLENII

Busbequii

Omnia quæ extant

Cum

PRIVILEGIO.

Quibus accedunt

EPISTOLÆ ALIQUOT

Insignium quorundum virorum
lectu Jucundissimæ.

OXONIÆ,

Excudebat, *W. H.* Impensis *Tho. Robinson* & *Sa. Pocock*. Anno Dom.
M. DC. LX.

TYPOGRAPHI
benevolo Lectori

S.

PRodeunt, benevole Lector, ex officina noſtra Ampliſſimi viri *Augerii Giſlenii Busbequii* omnia, cum ejus diu multumque deſideratis Epiſtolis ad Rudolphum II. Imperatorem, opera; quæ quod hactenus ſeperata in lucem prodierunt, nos à doctiſſimis viris tùm ſæpè rogati, tùm quàm grata & utilia ſint certiores facti, uno volumine typis noſtris ea damus excuſa, ne multorum deſiderio, aut literarum commodo deeſſe videamur; ſed potius ut opera

& propensa nostra ad literas ornandas voluntate res literaria, quantum in nobis est, melior politiorque reddatur. Vale, & labore nostro feliciter fruere.

CON-

CONTENTA
hoc libello.

I.

Avgerii Giſlenii Busbequii Legationis Turcicæ Epiſtolæ quatuor.

II.

Ejuſdem Exclamatio ſive de re militari contra Turcam inſtituenda Conſilium.

III.

Solimani Turcar. Imp. Legatio ad Ferdinandum Roman. Cæſ. anno cIↃ IↃ LXII.

IV.

Ejuſdem Busbequii, Cæſaris apud Regem Gallorum Legati, Epiſtolæ ad Rudolphum II. *Imperatorem: ex Biblioth. Io. Bapt. Houwaert I C. Patritii Bruxellenſis.*

Præmiſſa eſt vita Auctoris.

L. CARRIO

NICOLAO MICAUTIO

INDEVELDII D. R. M.

in Concilio secretiori Consiliario S. D.

IN morte filii tui Maximiliani, V. Cl. ab Arnoldo Grisperio optimo & doctissimo viro mihi nuntiata, lachrymas non tenui: cui illa pleno gradu ad veram laudem properanti nuper Aureliani nimis immature manum injecit. Et tamen, si verum fateri volumus, in hac fatali universæ prope dixerim Europæ conversione, ita hodie fluunt tempora, ut, si unquam aliàs, tam verissimum sit dicere, OPTIMUM esse non nasci, proximum quam citissime denasci: utque eorum, qui apud plures sunt, non tam vicem dolere, quam vivorum conditionem habeamus necesse deplorare. Quæ etsi, in animo non nimis ad dolorem molli, sed infinitis multorum annorum exemplis probe confirmato, ad consolandum non parum videantur valere; mihi tamen neque dicta, neque dies, neque ulla omnino alia eum luctum minuere potuerunt. Cui luctui testando hæc ad te V. Cl. mitto, utque iis legendis in memoria antiquissimæ amicitiæ conquiescens, à rerum tristissimarum recordatione paulatim abducaris: & quæ olim, dum fiebant, recens cognosce-

bas,

bas, ea jam longo post tempore tandem legens, non sine voluptate recognoscas. Est enim Epistola Augerii Busbequii de itinere suo tam Byzantino quam Asiatico ad te olim, ni fallor, scripta. Cujus rei ex eo conjecturam facio, quod de utroque vestrûm sæpe meminerim audire, cum Busbequius nomine Impp. Ferdinandi & Maximiliani apud Turcam oratoris partes ageret; tuque apud Lusitanos Reginarum legatus esses; vos ultro citroque res, ut quæque illarum iis in locis erant memorabiles, perscripsisse; & quasi libros commentarios contexisse. Addidi ejusdem Busbequii de acie contra Turcam, cum tempus ferret, instruenda consilium: quod & hoc non tantum lecturis jucundum esse, sed etiam reip. salutare posse videretur. Sunt hæc quidem, quod non ignoras, non in hoc ab eo scripta ut in publicum emitterentur (alia longe ab eo viro, cujus famæ nulla nullius commendatione quicquam potest accedere, nulla nullius reprehensione decedere, sunt exspectanda) sed tamen qualia qualia sunt, cum in manus meas incidissent, & fructum, si quis inde ad remp. cujus Busbequius amantissimus est, pervenire posset, cum aliis communicari eum non nolle certe scirem: operæ pretium putavi hæc typis Plantini committere. quod ipsum etiam Busbequium non nimis ægre laturum spero, si tu editionis hujus periculum in te receperis, quod ut facias te etiam atque etiam vehementer oro. Vale, Avarici Biturigum. 1 Feb. cIↃ IↃ LXXXI.

AUGE-

AUGERI GISLENI BUSBEQUI

VITA.

Augerius Gislenius Busbequius Cominii Flandriæ oppido natus est: unde & Philippo Cominæo, Historicorum nostratium Principi, cognomen. Pater Ægidius Gislenius, Busbequæ, ad Lysam fluvium sitæ, Toparcha, pervetusto & nobili apud Flandros genere. Juvenis in paternis ædibus educatus, Lovanii, Lutetiæ, Venetiis Joanni Bapt. Egnatio, post Bononiæ & Patavii bonis literis operam dedit. Patre è vivis sublato, in Angliam à D. Petro Lasso, Ferdinandi Imperatoris oratore, evocatus, aliquandiu in ejus contubernio hæsit: dein in patriam reversus, ab ipso Imperatore, adnitente potissimum Jo. Vanper Aa Belga, qui tum eidem Imperatori à Secretis, Viennam vocatus, huic

ipsi

ipsi & Maximiliano filio virtutis ac prudentiæ gratiâ ita se probavit, ut nullius fere magis consilio Cæsares niterentur, illumque moribus atque Aulæ Matthiæ, Maximiliani, Alberti, & Venceslai, Archiducibus Austriæ, Maximiliáni jam dicti filiis, præficerent. Legationibus claruit: quarum prima Asiana fuit, quando Jo. Mariæ Maluezio suffectus, magnâ animi modestiâ atquè constantiâ, mitigato Solimanno, octennii inducias impetravit, prout latiùs è Legationis Turcicæ epistolis patet. Altera Amasiana fuit, quam itidem scripto complexus est. Atque utraque Antverpiæ iterata editione, procurante L. Carrione, dein an. CIↃIↃCXX. Monachii à Sadelerio, sed auctior & ornatior impressa; qui Ferdinando I. I. Imperatori dedicat, epistolasque illas dignas ait, quæ millies edantur, & ab omnibus evolvantur. Plurimas quoque antiquas inscriptiones è Græcia Asiaque illi debent antiquitatis cultores, quas viris doctis communicavit, ut Ancyranam And. Schotto contubernali suo, pluresque alias tum Græcas tum Latinas I. Lipsio, per quem insertæ sunt veterum Roman. inscriptionibus, à Smetio & Grutero promulgatis. Quanti eum fecerit Lipsius, liquet tum ex Saturnalium librorum præ-

fatione ipsi inscripta, tum ex Epistolis XVIII & LXIII. Epistol. selectar. Centuriæ primæ. Verùm Byzantio reversus Isabellam Austriam Carolo IX. Regi Gallorum nuptui datam in Galliam duxit, aulæ ejus Præfectus, & post Rudolphi Cæsaris Legatus, adquem durante ea Legatione epistolas hasce scripsit, quas hactenus desideratas posteritati consecramus. At cum jam septuagenarius semestre spatium à Cæsare impetrasset ut patriam amicosque inviseret, per Normaniam bellis civilibus vexatam in Belgium tendens, dum in vico Callia hospitatur, violentia militum manu ex proximo castro advolante abripitur. Verùm cum ille, qua erat animi constantia & magnitudine, quereretur vim sibi fieri, & contra jus gentium prædam de Legato agi, neque Rothomagensis Præfecti jussu (ut jactabant prædones) sed rapinæ causa scrinia sua auferri, territi & sibi male conscii milites eum diluculo in integrum restituunt, protinusque diffugiunt. Præfecto verò Rothomagensi factum excusanti & vindictam promittenti, respondit sese magis animi quietem quam injuriæ vindictam expetere. Et cum lethalem sibi morbum præsagiret, in vicinas ædes lectiss. fœminæ Toparchæ Maillocensis ad fanum D. Germani deferri se jubet, ibique un-

undecimo post die anno CIↃ IↃ XCII. V Kal. Novemb. fatis concessit. Corpus in D. Germani honorifice conditum; cor in lamina plumbea inclusum Busbequam magnifico majorum monumento illatum est. Ultra quatuor illas Epistolas Turcicas, quarum duas edidit Plantinus sub titulo itinerum Constantinopolitani & Amasiani, scripsit etiam consilium de re militari contra Turcam instituenda, quod una cum præcedentibus legitur; item librum de vera nobilitate, quem periisse ferunt; & demum literas hasce legationis suæ Gallicanæ, quas in lucem proferimus. Epitaphium amico scripsit V. C. J. Lipsius, quod subjungo.

Augerius

AUgerius istic est situs Busbequius
Quis ille? quem virtutis & pru-,
dentiæ,
Habuere carum, gratiâ, ipsi Cæsares.
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Asia Tyranni. Quæ viri felicitas!
probavit hæc, & illa. in omni tempore,
In munere omni, Nestorem se præbuit
Lingua atque mente. Jam quies eum sibi
Et patria hæc spondebat; ecce sustulit
Viam per ipsam miles incertum, an latro.
Sed sustulit, simulque sidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter astricas.

Justus Lipsius magno amico exiguum monumentum P.

AUGE-

AUGERII GISLENII BUSBEQUII

D. Legationis Turcicæ..

Epistola prima.

QUOD tibi discedens promiseram, fore, ut de toto itinere meo Constantinopolitano certior à me fieres, in eo fidem liberare volo, & quidem (ni fallor) liberabo cumulate. nam ad iter Constantinopolitanum accedet Amasianum, illo haud paulo minus tritum minusque vulgare. Tu, si qua mihi jucunda evenisse intelliges, tuam partem voluptatis feres, quod pro veteri necessitudine nostra nihil habeam quod mihi non sit commune tecum. sin qua evenerunt, quod in tanta itineris magnitudine & difficultate fuit necesse, molestiora, nihil ad te pertinere judicabis; quod ea præterita, quó fuerunt in experiundo graviora, eò, mihi ipsi nunc fiant recordanti jucundiora. Non te fugit cum essem ex Anglia domum reversus, à Regis Philippi & Reginæ Mariæ nuptiis, ubi fueram inter comites Don Petri Lassi, quem honoris causa eò Romanorum Rex Ferdinandus, dominus meus clementissimus, legaverat, quemadmodum idem Ferdinandus me per literas ad

hoc iter evocarit. Quas cum Insulis III Novembris accepissem, tantum moræ interposui dum ad Busbequium deflectorem, patrique & amicis valedicerem. inde facto per Tornacum itinere mox Bruxellam properavi. Bruxellæ conveni ipsum Don Petrum : qui currenti, quod ajunt, calcar addidit, Regis ad se litteris ostensis, quibus ei mandabat ut mihi quam maturrime proficiscendi auctor esset. Itaque conjicio me in equos dispositos, quantaque possum festinatione Viennam contendo. non defuit jam huic itineri suus labor, cum propter incommodæ equitationis insolentiam, tum propter anni tempus ob fœdas aëris tempestates & lutum, diesque contractiores, faciendo itineri non parum alienum : ut mihi necesse esset pleramque noctis partem eodem assumere, & per densas tenebrarum caligines via prope invia non sine periculo currere. Ut vero Viennam veni, per Jo. Vander Aa ad Ferdinandum, cui is erat à secretis, introductus, cum ea benevolentiæ significatione excipior, qua is Rex uti solet erga eos, quorum de fide & probitate opinionem aliquam concepit. prolixe commemorat, quid sibi de me promiserit; quantopere sua interfit me hoc legationis munus non refugere. profectionemve diutius non differri : se ita Bassæ Budensi recepisse, oratorem, quem missurus esset, sub initium mensis Decembris sine dubio Budæ futurum : nolle se Turcas, si dies servata non sit, causam habere cur ipsi quæ promiserint vicissim non servent. Supererant ad id tempus vix dies XII. spatium parvo itineri, nedum tam longo apparando exiguum : & tamen de eo quoque dies aliquot resecandi erant, dum Commaronium ad Jo. Mariam Malvezium de auctoritate & sententia Regis excurrerem, magni enim

enim referre Rex putabat, ut ego, qui neque prudentia neque usu aliquam rerum Turcicarum cognitionem mihi comparassem, Maluezium prius convenirem, & de moribus ingenioque ejus gentis nonnulla cognoscerem, & præcepta quæ huc facerent, ex ejus ore hauirem. Fuerat is aliquot annis Ferdinandi apud Suleimannum orator: ab eo nimirum tempore, quo Cæsar Carolus magnus de caussis per Gerardum Velduvickium inducias cum Turca fecerat. nam tum quoque Regis Ferdinandi nomine cum eo de induciis octo annorum convenerat, & fuerat Maluezius in Velduvickii comitatu; quem ex eo itinere reversum Ferdinandus Constantinopolim remiserat, ut oratoris partes ageret; quo commodius Turcarum in regno Hungariæ grassationibus occurreretur; cum esset, qui apud eum principem de suorum præfectorum injuriis, coram expostularet, & satisfactionem exigeret. Sed accidit haud ita multo post, ut, cum occasioni, quæ se offerebat, Transilvaniæ cum reliqua Hungaria reconciliandæ, Hungaris ipsis, ut fieret, vehementer contendentibus, quod ad ejus regni dignitatem pertinere judicarent, deesse nollet, Ferdinandus cum vidua & filia Io. Veyvodæ, qui aliquando nomen regium in Hungaria usurpavit, transigeret; Transilvaniamque cum aliis provinciis permutatam reciperet: cumque his de rebus, ut erat necesse, aliquid interdum ad aures Turcarum permanaret; solebat Maluezium ad se vocare Rustanus (erat is Suleimanni gener, consiliariorum, quos Bassas Visirios vocant, princeps) ex eoque quærere num vera essent quæ nuntiarentur. quæ ille falsa esse constantissime perseverabat: neque verò, si secus rem sese habere compertum esset, ejus supplicio caput suum obligare dubitabat, sed

cum jam potito totius Transilvaniæ Ferdinando certa res esset, neque dissimulationi locus relinqueretur: vehementer Turcarum Imperator in Rustanum, quod affirmationi Maluezii tantum fidei habuisset, multo etiam magis in Maluezium Rustanus, cujus se fraude circumventum clamabat, excanduerunt. ne longior sim: Maluezius in carcerem compingitur: pecunia familiaque publicantur. quo in carcere sub arctissima custodia pænè biennium habitus morbum ex urinæ difficultate contraxit, qui ei postmodum lethalis fuit. neque enim quicquam introferri licebat, quo morbo mederi posset: & sunt Turcæ alioqui in utramque partem nimii; sive indulgentia, cum pro amicis probare volunt; sive acerbitate, si irati sunt. sed cum res eorum propter domesticas discordias pacis & quietis magis quam belli egeret, repetitæque per arma Transilvaniæ negotium minus procederet: facile adducti sunt, ut positis armis, de compositione per disceptationem ageretur. de Transilvania, Turcæ in integrum restitui volebant: Ferdinandus pacta, quæ nec vi nec dolo cum Veyvoda inita fuerant, irrita fieri nolebat: neque Transilvaniam dimittebat. Quæ ut Turcis probarentur; missi eò Antonius Wrantzius Dalmata Episcopus Agriensis, & Franciscus Zay, earum navium, quas Hungari Nassadas vocant, Trierarcha: uterque propter fidem & industriam inprimis Regi acceptus. quorum adventu carcere liberatus Maluezius cum Suleimanni literis ad Ferdinandum remittitur: à quo, non multo post, cum responso jubetur redire Constantinopolim, facta pace ordinarii oratoris loco futurus. sed ut in eo itinere Commaronium attigit (quæ arx est ad confluentem Danubii & Vagæ fluminum, nostræ

ditioni

ditionis contra Turcam ultima) morbus, quem ei carcer attulerat, sic recruduit, ut de salute diffisus subsisteret, Ferdinandumque per literas rogaret, ut hujus legationis munus ab se in alium translatum vellet. Ferdinandus Maluezio neque plane fidem habebat; neque omnino derogabat: propius tamen erat, ut suspicaretur memoria præteritarum ærumnarum metuque imminentium magis, quam morbi magnitudine, ab hoc legationis munere retro fugere: & tamen hominem bene de se deque repub. meritum nequaquam honestum arbitrabatur tergiversantem eo velle cogere. mors Malvezii paucis post mensibus consecuta, satis docuit eum morbo neque ficto neque ad tempus simulato laborasse. itaque ego in Malvezii locum suffectus sum. Sed cum usum nullum nec rerum nec morum Turcicorum haberem: visum est (ut dixi) Regi è re fore, si ad Maluezium proficiscerer: ejusque præceptis & monitis adversus Turcarum captiones fierem cautior. igitur biduo cum Maluezio versatus, quantum temporis brevitas patitur, quæ mihi in consuetudine quotidiana cum Turcis sequenda, quæ cavenda essent, disco. celeriter in Viennam reversus res ad iter necessarias omni diligentia comparare incipio. sed ea fuit negotiorum multitudo, ex temporis angustiæ, ut cum præfinita discessui dies venisset, neque Rex profectionem urgere desineret, & ego à quarta vigilia totum diem negotiisque & sarcinis componendis vacassem; vix prima noctis sequentis vigilia ad iter accinctus essem: reseratisque Viennæ portis, quas ea noctis hora consuetudo clauserat, proficiscerer. Cæsar, cum eo die ad venationem exiret, se non dubitare dicebat, quin antequam vespere domum redisset, ego jam in itinere futurus

essem. quod quidem ita evenit, ut tamen ejus reditum meus discessus non magno intervallo anteverteret. Hora noctis undecima venimus Ficiminum Hungariæ municipium, quatuor à Vienna milliaribus: ubi cœnam sumpsimus. nam incœnati propter festinationem discesseramus. inde Commaronium versus iter fecimus. Erat in mandatis Cæsaris, ut Commaronio quendam Paulum Palinai hominem rapinarum & populationum, quas Turcæ facerent, probe gnarum, mecum Budam ducerem. illoque suggerente commodius de iis cum Bassa expostularem, & satisfactionem peterem. Sed is nihil minus suspicans quàm diem discessus mei sic admussim servatum iri, domo se nondum moverat: neque erat quisquam qui se scire aut audisse diceret, quando affuturus esset. quod mihi permolestum accidebat. Facio ea de re Ferdinandum certiorem, & sequentem diem illi meo comiti præstolando Commaronii do. At die tertio, trajecto Vaga iter Strigonium versus prosequor, primam Turcicæ ditionis arcem, adjunxerat mihi præfectus Commaronii Jo. Paxius tutelæ causa, equites XVI. de iis, quos Husarones vocant Hungari: iisque mandarat, ne me relinquerent donec custodes Turcici conspicerentur. Strigonii præfectus suos medio itinere præsto mihi futuros significarat. Cum jam per vastam planiciem tribus, plus minus, horis iter habuissem: ostendunt se procul equites Turcæ IV. neque eo secius comitari desinunt Hungari; donec eos, ut se reciperent, admonerem, veritus ne quid forte, si propius esset accessum, molestæ velitationi, incideret. Ubi Turcæ me vident appropinquare; adequitant, adsistunt ad currum, salutant. sic aliquantum itineris progressi, inter sermones mutuos (erat enim mihi puer interpres)

pres) cum præterea nullum alium comitatum exſpectarem, deſcendimus in locum aliquanto depreſſiorem: ubi me derepente ala equitum circiter cl. cinctum video: jucundum ſane ſpectaculum homini inſolenti, clypei haſtæque pictæ, gemmari acinaces, verſicolores plumæ, capitis tegmina candidiſſimis ſpiris aptata, veſtes fere purpureæ aut ferrugineæ, equi egregii, phaleræ pulcherrimæ, accedunt prefecti; meque comiter excipiunt: adventum gratulantur: quam fuerit iter ex ſententia, percunctantur, reſpondeo quæ viſum eſt. ſic deducor Strigonium. quo nomine arx in colle ſita, cujus pedem Danubius alluit, & oppidum vicinum, quod in planicie jacet, deſignantur. In oppidum diverto. ejus loci Archiepiſcopus inter Hungariæ magnates cum dignitatis auctoritate tum divitiarum amplitudine primatum obtinet. accipior hoſpitio plane militarem in modum. pro lectis ſternuntur ſuper aſſeres craſſioris generis viloſi tapetes; culcitræ nullæ, nulla lineamina, ita hic primum mea familia deliciis Turcicis imbui cœpit: nam mihi lectus circumferebatur. Poſtridie non deſtitit urgere ut ad ſe venirem ejus loci Singiaccus; ſic Turcæ præfectum vocant, cui *Singiaccus*, hoc eſt globus æreus deauratus in ſummo haſtili equitum Turmæ ſignum præmittitur. ad quem etſi nihil neque litterarum neque mandatorum haberem, ea tamen fuit peruicacia, eundum ut fuerit. nec ſane aliud volebat, quàm me videre, officioſe ſalutare, rogare quid ferrem, ad pacem hortari, iter proſperum precari. miratus ſum, dum eo proficiſcor, menſe Decembri, cœlo frigido, coaxantes ranas. id faciunt ſulfure tepentes aquæ quæ iis locis ſtagnant. Egredior Strigonio Budam verſus, ſumpto jentaculo, prandi vicem

futuro neque enim erat ubi subsisterem antequam Budam pervenirem. Egreditur unà deducendi caussa cum omni familia equitatuque cui præerat Singiaccus: quem impedire non potui quin hoc officio defungeretur. portis effusi equites ludibundi concurrant, projecta in solum pilea equis celerrimo cursu incitatis hastarum cuspidibus attolunt; aliaque hujuscemodi ludicra factitant. Erat inter reliquos Tartarus promissa & densa coma: quem semper operto esse capite, neque ulla tempestate aut prœlio, adversus cæli injuriam telorumve casum alio quam capillorum præsidio caput munire affirmabant. Singiaccus, cum ei visum est, accepta redditaque salute domum revertit, ducibus itineris in comitatu meo relictis. Budam venienti pauci Turcæ ex eo genere quos Chiausos vocant, obviam fuerunt. hi vicem accensorum apparitorumque implent, & mandata pleraq; omnia seu principis Turcarum seu Bassarum ferunt. estque in primis honorificum apud eam gentem officium, Deducor ad civem Hungarum in hospitium; ubi sarcinis, curribus & equis melius quam mihi fuit. id enim inprimis curæ habent Turcæ, ut equi, currus, impedimenta in tuto sint: hominibus, extra cæli injuriã, cætera satis consultum putant. Misit ad me Bassa qui viseret & salutaret. is Tuigon vocabatur, nomine Turcarum sermone illi cum ciconia communi. per eum excusari volebat si diebus plusculis aditum non daret, quod gravi morbo detineretur: simul ac convaluisset, operam mihi daturum. Casus hic effecit, ne mora Palinai quid adferret incommodi, neu graviori culpæ imputaretur. qui quidem summa usus diligentia, ne sero veniret, haud multo post affuit. Bassæ morbus diu me *Budæ* detinuit: quem quidem ex animi ægritudine, accepto de grandi pecunia, quam

quam nescio quo loco condiderat, furto sublata nuntio, contraxisse credebatur. attentior enim ad rem pænè sordidus vulgo audiebat. interea vero, cum medicum habere me Guilielmum Quacquelbenum virum cum in omni philosophia versatissimum, tum artis medicinæ scientissimum intelligeret, magno à me conatu cœpit contendere ad se ut mitterem, qui sibi medicinam faceret. concessi non difficulter. sed nihil propius affuit, quam ut me hujus facilitatis pœniteret. cum enim Bassæ morbus indies ingravesceret, neque citra mortis periculum videretur ægrotare: non parum verebar ne, si ad suum Mahumetem migraret, Turcæ à meo medico interfectum calumniarentur. ex quo bono illi viro periculum crearetur; mihi vero, veluti conscio, magna parata esset infamia, sed hac me cura Bassæ sanitate reddita Deus liberavit. Budæ primum mihi visi sunt Gianizari. sic Turcæ prætorianum peditem vocant. eorum, cum plenissimus est numerus, rex Turcarum habet XII. millia. per omnes ferè ejus imperii fines, vel præsidio munitionibus adversus hostem, vel tutelæ Christianis Judæisque adversus injurias multitudinis futuri, sparguntur. neque ullus est paulo frequentior pagus, municipium, oppidumve, in quo non sint aliquot Gianizari, qui Christianos & Judæos reliquosque opis indigos ab improborum petulantia defendant. Budæ in arce perpetuum Gianizarorum præsidium est, vestitu utuntur ad talos demisso: capitis tegmen habent ex penulæ manica (nam inde, ut ipsi memorant, duxit originem) cujus parti caput insertum sit, pars retro propendens cervicem verberat. à fronte surgit oblongus argenteus conus deauratus gemmisq; elaboratus, sed vulgaribus. hi Gianizari fere bini ad me veniebāt ubi in cœ-

naculum erant admissi, capite demisso me salutabant; inde propero, & prænè cursim accedentes vestem mihi aut manum, veluti deosculaturi, tangebant: fasciculumque Hyacinthorum vel Narcissorum obtrudebant: & mox pari fere celeritate recessim ad fores, ne mihi tergum obverterent, regrediebantur. id enim institutis eorum habetur indecorum. ibi summa cum modestia compositis ante sinum manibus terramque intuentes taciti adstabant: magis ut in iis monachos nostros agnoscas, quam milites. ubi vero nummulos aliquot (quod unum captabant) acceperant; inclinatis denuo capitibus, actisque clara voce gratiis, omnia fausta precantes ominantesque abibant. Et sane ni Gianizaros esse præmonitus fuissem, monachorum Turcicorum genus aliquod, aut collegii nescio cujus sodales esse facile credidissem. hi tamen illi sunt *Gianizari*, qui tantum terroris secum quocunque circumferunt. Erant Budæ frequentes mecum in cœna Turcæ, vini dulcedine illecti. cujus quo minorem habent copiam, eo sunt avidiores, eoque largius se ingurgitant, ubi semel contigerit habere, in multam noctem fiebant invitationes. post, ubi me ludi tædebat, surgebam à mensa, meque in cubiculum recipiebam: illi, quod vino nondum obruti ire etiam poterant, tristes abibant. sed mox puer aderat qui nomine ipsorum rogaret, ut iis vini copiam facerem, scyphosque argenteos commodarem: velle, si permittam, in aliquo angulo noctem potando extrahere. ego vero quantum vellent vini itemque vasa quæ petebant, jubebam præberi. illi ante potandi finem non faciebant, quam mero sopiti humi sternerentur. Vini potus Turcis magno crimini datur, præsertim ætate provectioribus; juniores cum majore

jore veniæ & excusationis spe peccare consueverunt. cum vero non minores pœnas post hanc vitam sibi paratas arbitrentur, si vini minimum biberint quam si plurimum; ubi semel vinum gustaverint, potare pergunt: quod veluti pœna jam commissa peccent impunè, ebrietatemque in lucro ponant. hujusmodi illi circa vini potum habent opiniones, & his etiam absurdiores. Vidi senem quendam Constantinopoli: qui cum calicem sumsisset in manum ut biberet, magnos prius clamores edebat. rogati à nobis amici cur ita faceret, respondebant eum his clamoribus commonitam velle animam, ut se reciperet in aliquem corporis angulum, aut prorsus emigraret; ne rea fieret ejus delicti, quod ipse erat admissurus; neu vino, quod infusurus erat pollueretur. Jam vero de civitate Buda longum esset omnia dicere, ne plane taceam, dicam quod satis erit non librum scribenti, sed epistolam. Jacet plane Buda loco amœnissimo, fertilissimaque regione, in collis dorsum porrecta: ita ut una ex parte vitiferi colles eam contingant, ex altera Danubium præterfluentem, & trans Danubium Pæstum latissimosque campos despectet. Locus videtur de industria imperio Hungariæ delectus. Ea urbs quondam splendidissimis optimatum Hungariæ domibus ornabatur: quæ jam partim aut conciderunt, aut crebro tibicine suffultæ adversus ruinam muniuntur. habitantur fere militibus Turcis: quibus cum diurnum stipendium vitæ sit, nihil suppetit, quod tantis ædibus sarciendis tegendisve impendatur. igitur num tectum perpluat, num vitium faciat paries, non magnopere laborant; modo sit ubi in sicco equum collocent, & sibi lectum sternant: quæ supra se, nihil ad se pertinere putant, & quantumvis superiorem

periorem ædium partem muſtelis & muribus habitandam relinquunt. huc accedit quod inſtituti ſit Turcici, ut ab ædificationis magnificentia abhorreant: quod ſuperbi elatique neque ſe ſuo modulo metientis animi eſſe judicent, ſtudere magnificis ædibus, ut ſi quis ſibi immortalitatem & perpetuam manſionem in hac vita polliceatur: ſe ita domibus uti, quemadmodum peregrinantes diverſoriis; in quibus ſi ſint à latronibus, à frigore, à ſole, ab imbre tuti, reliquas opportunitates non requirunt. Itaque non facile tota Turcia, quamvis magni, quamvis divitis viri, paulo elegantius ædificium reperias. vulgo tuguria & caſæ habitantur. magnates hortis ſtudent & balneis; & ut pro multitudine familiæ, laxas habeant ædes. exterum ibi nec porticus luculenta, nec viſendum atrium, nec aliud quicquam magnificum aut admirandum. in quo eadem fere illis, quæ Hungaris eſt ratio. excepta enim urbe Buda, & (ſi vis,) Pauſonio, vix ullam tota Hungaria paulo ſplendidioribus ædificiis conſtructam urbem videas. Quam conſuetudinem ex vetuſtate retineri puto. militiæ & caſtris & longinquis bellis aſſueta gens, ædificandi curam neglexit: nec urbes aliter coluit, quam ſi mox relictura. Illud quoque, dum eram Budæ, videre juvit, fontem qui eſt extra portam, qua iter eſt Conſtantinopolim, in ſummo mire ferventem: in cujus tamen fundo natantes deſpicias piſces, quos inde niſi coctos eximi poſſe non putes. Ad Baſſam vix tandem VII. Decembris à morbo confirmatum introducimur: demulcemus muneribus: querimur de inſolentia & maleficiis militum Turcicorum: repetimus quæ contra fidem induciarum nobis ablata ſunt, quæ ſe reſtiturum Regi meo, modo oratorem

rem mitteret per litteras receperat. Ille nihilo leviores querimonias regerit, de damnis & injuriis quibus se à nostris affectum contendebat. de locis vero, quæ reddere debebat, hoc se delemmate tuebatur: aut non promisi me quicquam redditurum, eaque de causa nec debeo: aut si promisi, eo es judicio ut intelligas, me quod promisi nec posse nec debere præstare. mihi enim à domino meo augendi ejus imperii, non minuendi partes commissæ: neque mihi licet conditionem ejus facere deteriorem; ejus, non meum negotium agitur: quod visum fuerit, petere ab eo poteris, ubi ad eum veneris. adjiciebat, veluti pro corollario, non debere me sibi etiamnum ex morbo languenti longa & inani disputatione molestum esse, quo veluti jure dicto, ire licuit; re nulla confecta, nisi pactis induciis, dum esset relatum à Suleimanno responsum. Animadverti, cum ad Bassam introduceremur, manere apud eos morem Romanum acclamandi, FELICITER, faustisque ominibus prosequendi; item digniorem apud eos haberi locum sinistrum, nisi quid aliud obstaret: cujus rei causam afferunt, quod eam partem gladius honestet; & qui sit in parte dextera, quodammodo gladium habeat sub manu ejus qui sinistrum latus claudit; ille vero eum gestet liberum & expeditum. Rebus ita Budæ, quantum poterat, transactis, comes meus ad Regem revertitur. ego paratas in Danubio naves conscendo, equis curribusque atque omni familia impositis. ita Belgradum secundo flumine deportamur. Erat hoc cum ad securitatem, tum ad brevitatem itineris aptius. nam id temporis iter pedibus Belgradum mihi, ut minimum, XII. dierum futurum erat, præsertim impedimentis gravi. præterea metuendi erant heydonum incursus, latrocinia-

einiaque. *Heydones* vocant Hungari ex armentariis milites sive prædones. Flumine nec metuebantur heydones, & v diebus hoc spatium transmittebatur. navis qua ego vehebar, remulco actuariæ trahebatur: in qua erant XXIV. remiges: reliquæ binis remis grandioribus agebantur: nulla neque diei neque noctis pars à navigatione intermittebatur, exceptis iis paucis horis, quibus à continuo labore cibo & quiete miseri remiges nautæque reficiebantur. in quo mihi animadvertenda videbatur Turcarum temeritas; qui cœlo caliginoso, nocte illuni, ventis vehementioribus navigare non dubitarent; cum molæ frumentariæ truncique arborum & rami in ripis eminentes magno cum periculo passim occurrerent. itaque non raro fiebat, ut magnitudine venti compulsa ad ripam navis stipitibus arboribusque in flumen propendentibus ita illideretur, ut jamjam in partes scindenda videretur. certe aliquot de tecto tabulæ magno cum fragore detergebantur. quare excitatus lecto desiliebam; nautasque admonebam agerent cautius. illi sublato clamore, aliud nihil respondebant quam, *Alaure*: hoc est, Deum futurum auxilio. sic mihi licebat redire ad lectum & somnum repetere, si poteram. Equidem vaticinari hoc ausim, futurum aliquando ut hujusmodi navigatio alicui parum feliciter eveniat. Vidimus in eo itinere Tolnam, non ignobile Hungariæ municipium, nobis ob albi vini præstantiam & humanitatem incolarum non tacendum. vidimus item edito loco sitam arcem Valpovar, aliaque castella & oppida; & qua parte Dravus, & qua Tibiscus ex altera in Danubium influit. ipsum Belgradum situm est ad confluentem Savii & Danubii: in eoque veluti in extremo promontorii angulo,

urbs

urbs vetus exstat antiqua structura, multis turribus & duplici muro munita duab. ex partibus, iis quæ dixi, fluminibus alluitur. at ea parte, quæ tertæ jungitur, editiore loco bene firmam habet arcem ex pluribus & excelsis turribus lapide quadrato constructis. ante urbem ingens ædificiorum congeries, suburbiaque amplissima: in quibus variæ habitant nationes, Turcæ, Græci, Judæi, Hungari, Dalmatæ, aliæ item plures. Sunt vero fere per omnes Turcicæ ditionis fines ipsis oppidis majora suburbia: quæ utraque simul juncta magnarum civitatum speciem referunt. Hic primum nobis oblata sunt antiqua numismata: è quibus (ut scis) magnam soleo capere voluptatem. quo in studio conjunctissimum habeo & ad meum sensum mire factum, quem antea nominavi, Guilielmum Quacquelbenum: invenimus non paucos nummos, in quorum altera parte miles erat Romanus, inter taurum & equum (nam iis locis stativa castra habuisse Mœsiæ superioris legiones satis constat) cum inscriptione TAURUNUM. Hæc urbs avorum nostrorum memoria magna vi bis fuit à Turcis oppugnata: primum, ab Amurate, deinde à Mahomete Constantinopolis expugnatore: sed propugnantibus Hungaris & cruce signatis irriti ceciderunt barbarorum conatus. tandem anno CIↃ IↃ XX. cum Suleimannus initio imperii eò magnis cum copiis venisset, invenisseque Ludovici Regis adolescentis negligentia, factiosorumque Hungariæ procerum discordiis justo præsidio destitutam, ac proinde expugnationi opportunam, non magno negotio in suam ditionem redegit. qua veluti porta patefacta satis patet malorum agmen, quo nunc vexatur, irrupisse in Hungariam: hoc aditu cæsum Regem Ludovicum, captam

captam Budam, mancipatam Transilvaniam, afflictum regnum florentissimum, non sine metu ejusdem calamitatis nationum vicinarum. quo exemplo admoneri debent Christiani principes, ne munitionibus & arcibus contra tantum hostem, si rem salvam velint, satis unquam provisum putent. Sunt enim Turcæ magnis fluminibus in eo non dissimiles; quæ aquis inflata, si quam aggeris, quo continentur, partem percellere potuerint, longe lateque evagantur, infinitamque dant stragem. ita Turcæ, & quidem longe perniciosius, ubi semel quæ sibi obstabant repagula disjecerint, longe lateque cum incredibili strage grassantur. sed nos Belgradum redeamus, ut illinc porro recta Constantinopolim proficiscamus. Postquam in ea urbe, quæ ad iter pedibus deesse videbantur, comparavimus: relicta ad manum sinistram in ripa Danubii Symandria arce quondam Despotarum Serviæ, Nissam versus iter facere cœpimus. offendebant nobis, tametsi procul ex locis editioribus, Turcæ albicantes Transilvaniæ montes: & quo fere loco reliquæ pilæ pontis Traiani exstabant, indicibus digitis designabant. Transgressi fluvium ab incolis Moravam dictum, devertimus in pagum Servianorum Jagodnam: ubi ejus gentis ritus funebres vidimus multum à nostris abhorrentes. Erat cadaver in templo positum detecta facie: juxta erant appositæ edulia, panis & caro, & vini cantharus: adstabant conjux; & filia melioribus ornata vestibus filiæ galerus erat ex plumis pavonis. supremum munus, quo maritum jam conclamatum uxor donavit, pileolum fuit purpureum, cujusmodi virgines nobiles illic gestare solent. inde lessum audivimus & naeniam lamentabilesque voces, quibus mortuum percunctabantur;

tur ; Quid de eo tantum meruiſſent , quæ res , quod obſequium , quod ſolatium ei defuiſſet? cur ſe ſolas & miſeras relinqueret? & hujus generis alia. ſacerdotes funeri præerant religionis Græcæ. erant in cœmiterio erectæ in palos aut longurios pleræque cervorum & hinnulorum , & ſimilium ferarum de ligno dedolatæ effigies : cùmque cauſſam quæreremus , ajebant maritos vel patres eo monumento voluiſſe teſtari conjugum aut filiarum in obeundis domeſticis officiis celeritatem & diligentiam. erant item ad plura ſepulchra appenſæ comæ ; quas mulieres aut puellæ in funere neceſſariorum luctûs indicium poſuerant. morem quoque eſſe in ea regione audiebamus , ut, poſtquam inter majores de nuptiis juvenis & puellæ convenerat , ſponſi puellas raperent , neque enim decorum videri, conſentire in primos concubitus virginem. Haud magno intervallo à Jagodna occurrit nobis fluviolus , quem accolæ Niſſum vocant : habuimuſque eum fere ad dexteram manum comitem , donec Niſſam veniremus : & poſt aliquanto vidimus in ejus ripa (ubi veteris viæ Romanæ veſtigia ſupererant) etiamnum exſtantem marmoream columellam litteris inſcriptam Latinis. ſed ita mutilitatis ut legi non poſſent. eſt autem Niſſa non ignobile neque infrequens illis gentibus oppidulum. Tempus eſt , ut de diverſoriis , quibus utebamur , aliquid dicam : nam id quidem fortaſſe jamdudum requiris, Hic diverti in diverſorium publicum. *Caravaſarai* Turcæ vocant. hoc genus in ea regione uſitatiſſimum : vaſtum eſt ædificium , longius aliquanto quam latius : in cujus medio patet area ponendis ſarcinis & camelis , mulis carriſque collocandis. hanc aream plerumque circumcirca

murus

murus ambit, tres plus minus pedes altus; parieti, quo totum ædificium clauditur, hærens, & inædificatius. ejus muri summa superficies æqua est; paretque in latitudinem pedes circiter quatuor, hic Turcarum cubilia sunt; hic cœnacula; hic rem expediunt culinariam (nam in pariete, quo totum ædificium contineri dixi, foci subinde sunt inædificati) nulla re à camelis, equis, reliquisque jumentis alia sejuncti, quam ejus muri spatio. quinimo ad muri pedem ita ligatos habent equos, ut capite & tota cervice supra eum emineant; dominisque se calefacientibus aut etiam cœnantibus adstent, velut ministri; interdum panem vel malum, sive quid aliud, de manu eorum capiant. in eodem muro lectos sibi sternunt: tapetem in primis explicant, quem ea de causa aptatum ephippiis fere circumferunt, huic injiciunt penulam: cervical præbet equestris sella: veste talari pellibus suffulta, qua vestiuntur diu, teguntur noctu. sic illi somnum capiunt nullis lacessitum blandimentis. nihil ibi secreti: omnia fiunt in propatulo: neque quicquam ab omnium conspectu, nisi noctis tenebris, submovetur. Ab hoc diversorii genere abhorrebam. ut à qua re maxime; quod Turcarum omnium oculi in nos conjicerentur, nostros ritus nostramque consuetudinem admirantium. Itaque operam dabam, ut potius miselli alicujus hominis Christiani tecto reciperer. sed tantæ sunt tuguriorum illorum angustiæ, ut sæpe collocando lecto deesset spatium. itaque quietem capiebam modo sub tentorio, modo in meo curru, aliquando divertebam ad Turcica xenodochia: quæ sane commodissima sunt, non ineleganter constructa, suisque distincta cubiculis neque enim ab iis arcetur quisquam sive Chri-

Christianus, sive Judæus, seu dives seu mendicus sit. ex æquo patent omnibus. Bassæ quoque & Singiacci, cum peregrinantur, illis utuntur. in his tanquam in aliquo regio palatio, magnifice mihi videbar accipi. Mos ita fert illorum; ut singulis qui eo divertunt, cibum præbeant, ergo ubi venerat cœnæ tempus, aderat minister cum ingenti ligneo disco, qui mensæ instar videri poterat. in cujus medio patina erat plena decocti ad cremorem ordei, addito carnis frusto; circumque eam patinam aliquot panes, & nonnunquam favi aliquid. primo verecundabar accipere, & mihi cœnam meam parari dicebam; admonens ut ea darentur egenis: instabat ille, ne tenuem apparatum fastidirem: hæc Bassis quoque solita præberi: ita ferre loci consuetudinem; superesse quod distribueretur egentibus. si ipse nollem, famulis relinquerem. ita, nisi parum commodus haberi vellem, necesse erat accipere. agebam ergo gratias, & gustabam aliquando. neque displicebat. nam id genus pultis, præterquam quod, veluti valde salubre, commendatur à Galeno; gustu insuave non est. fas est peregrinantibus, illis epulis eoque apparatu toto triduo frui, post illa mutare hospitium necesse est. In hæc (ut dixi) commodissime divertebam. sed ea non occurrunt passim. interdum, si domus deerat ubi hospitarer; stabulabar. quærebatur aliquod stabulum amplum & capax; in cujus parte alter focus & caminus erat; altera pars armento & pecori erat destinata, ita enim ferè est illorum stabulorum ratio, ut sub eodem agant tecto armentum sive grex & ejus custodes. hanc partem, ubi focus erat, parietibus tentorii mei à reliqua discludebam. ibi collocata ad ignem mensa lectuloque Persarum vivebam rege beatior. familia, reliqua

qua stabuli parte, in multo mundoque stramine volutabatur. nonnullos apud ignem, ad quem in horto aut prato cœna coacta erat, somnus opprimebat. hi præsidio ignis cum nocturno frigore contendebant. neque minor illis cautio erat, ne exstingueretur, quam olim Romæ virginibus Vestalibus. Subibit fortassis hic percunctari, quonam solatio familia tam incommoda hospitia toleraverit. suspicaberis vini, quod malarum noctium solet esse remedium, nobis in media Turcia copiam non nimiam fuisse. neque sane absurde. nam neque vinum passim reperitur omnibus in pagis, & vero minime omnium, ubi non incolunt homines Christiani. sit enim sæpe, ut insolentiæ fastusque Turcarum pertæsi à via regia se subducant in loca avia, minus fertilia quidem illa, sed securiora; meliorumque possessione potentioribus cedant. Hujusmodi locis vino defectis ubi nos appropinquare videbant Turcæ, monebant desideratum iri vinum. itaque pridie mittebatur dispensator, adjuncto Turca, qui peteret è proximis Christianorum pagis. sic familiæ miseriarum lenimen non derat: mollesque culcitræ & pulvinaria, & quicquid præterea conciliando somno quæritur, in vino apportabatur. nam me lagenæ, quas in meo curru melioris notæ vini plenas habebam, quod biberem desiderare non patiebantur. sic erat de vino & mihi & meis provisum. restabat unum incommodum, vini penuria pene gravius, quod nobis somnus misere interrumpebatur. cum surgendum esset bene mane, & quidem aliquanto ante lucem, ut possemus ad opportuniores stationes mature pervenire; fiebat ut duces nostri Turcæ, splendore lunæ diluculum mentientis decepti, non multo post mediam noctem magno tumulto nos excitarent. neque

qué enim horæ ſunt Turcis, quibus temporum, neque milliaria, quibus locorum ſpatia diſtinguant. *Taliſmannos* habent hominum genus templorum miniſterio dicatum; hi menſuris utuntur ex aqua. quibus poſtquam adventari auroram cognoverunt, clamorem tollunt è celſa turri in eum uſum conſtructa; quo homines ad venerandum deum hortantur: & accerſunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum ſolis & meridiem: & item inter meridiem & occaſum: poſtremo, ſole occidente, voce utuntur acutiſſima; eam non injucunda modulatione vibrantes; quæ longius, quam credi poſſit, exauditur. ſic totus dies Turcis in quatuor ſpatia dividitur, majora aut contractiora; ut anni fert tempus. noctis omne tempus incertum eſt. Decepti (ut dixi) fulgore lunæ noſtri duces, cũ procul abeſſet ſolis exortus, vaſa conclamabant. ſurgebamus propere, ne eſſemus in mora, neve nobis imputari poſſet ſi quid eveniſſet ſiniſtri. ſarcinæ colligebantur; lectus, tentoria, conjiciebantur in currum, equi jungebantur, accincti paratique profectionis veluti ſignum expectabamus. at noſtri Turcæ, animadverſo errore, ſua cubilia ſomnumque repetierant, cumque aliquandiu expectaſſemus, neque illi venirent, mittebam qui nunciaret parata nobis eſſe omnia; ipſos morari. referebant, quos miſeram; Turcas denuo ſe in ſuos raperes reclinaſſe; dicere à luna deceptos perperam deciſceſſu indicaſſe; longe abeſſe proficiſcendi tempus; ſuadere ut nos quoque redormiremus. ſic mihi magno molimine erant retexenda omnia, quæ erant compoſita: aut pleraque noctis pars in gravi frigore, magna cum moleſtia, traducenda. Huic malo ut occurrerem, interdico Turcis ne mihi deinceps moleſti ſint: mihi ſo-

re curæ ut suo tempore evigilemus, modo pridie tempus profectionis indicent, habere me horologia quæ non fallerent: ea me explicaturum; dormirent ipsi meo periculo; neque dubitarent surgendi negotium curæ meæ relinquere. his illi quidem acquiescebant, sed tamen solicitudinem deponere non poterant, aderant mane; expergefactum cubicularium meum rogabant, ut ad me viseret, videretque quid illi temporis indices loquerentur, quod cum ille feciſſet, significabat eis pro eo ac poterat, aut multum aut parum superesse temporis ad exortum solem. cui cum semel atque iterum fidem habuissent, neque falsi essent, nostro deinceps stabant arbitrio, fidemque horologiorum admirabantur. nobis vero licebat somno integro, nullo tumultu interrupto frui. Nissa venimus Sophiam, itinere & cœlo, pro anni tempore, tolerabili. satis illud magnum incolisque & peregrinis frequens oppidum; & olim fuit regum Bulgarorum, post (nisi fallor) Despotarum Serviæ, dum domus illa manebat, neque dum Turcarum armis conciderat. Post hæc pluribus diebus fecimus iter per amœnas & non infrugiferas Bulgarorum convalles; quo fere tempore pane usi sumus subcinericio. *fugacias* vocant. eum puellæ mulieresque vendunt: neque enim sunt in ea regione pistores. illæ ubi hospites advenisse sentiunt, unde lucelli quid sperent, subactam subito cum aqua fine fermento farinam calidis cineribus subjiciunt; atque ita ferventes etiamnum à foco panes parvo pretio venales circumferunt. sunt illic & reliqua edulia satis vilia. Vervex xxxv asperis, singuli pulli gallinacei gallinæque singulis comparantur. asperi 1. coronatum constituunt. Non est prætermittendus illarum mulierum ornatus, fere solis indusiis

sive

sive interulis vestiuntur. ea linea sunt, filo haud subriliore quam quo apud nos sacci texuntur: sed multiplici acus pictura variis coloribus, rudi & ridendo opere elaborata. quo tamen mirum in modum sibi placent. itaque cum nostra indusia intuerentur, tametsi ex præstantissima tela; tamen mirari se ajebant tantam in nobis modestiam, quod simplicibus nullo colore neque opere variatis induisiis uteremur. Sed nihil tam novum occurrebat, quam turritum caput, & galeri (si sic vocari potest) plane inusitata forma. est ille ex stramine, inducta tela; figura plane contraria ei, qua apud nos utuntur rusticanæ mulieres. hic enim in humeros demittitur, & qua infimus, ibi latissimus est, deinde in pyramidem fastigiatur: contra ille infima parte est angustissimus; deinde supra caput surgit in turbinem, fere ad dodrantem; qua vero supinus cœlum spectat, capacissimus est, & apertus; ut non minus videatur ad imbrem & solem accipiendum factus, quam noster ad arcendum. eo vero spatio quod est inter ejus inferiorem & superiorem oram, nummuli & imagunculæ & frusta vitri diversi coloris, & quicquid nitet, quamvis vile, pro ornamento dependet. Hujusmodi galeri cum ad proceritatem adjuvant, tum ad gravitatem, quamvis levi jactatione ad casum faciles & parati. ita ergo se inferunt, ut Clytemnæstram aliquam aut Hecubam (sed Troja florente) in scenam prodire putes. Hic mihi in mentem venit, quam levis & infirma res sit, quæ vulgo perhibetur, nobilitas. nam cum de puellis quibusdam. quæ liberaliore erant forma, scire vellem, num quo essent genere: audiebam eas a summis ejus gentis satrapis originem ducere, aut etiam regium esse genus, jam bubulco aut opilioni desponsas. sic in regno Turcarum

jacet

jacet nobilitas. vidi item postea aliis locis Catacuzenorum & Palæologorum imperatorii generis, reliquias, contemptius inter Turcas degentes quam vixit Dionysius Corinthi. nam Turcæ neminem, ne suorum quidem, nisi ex se pendunt: sola domo Othomanorum excepta, quæ suis censetur natalib. Gentem Bulgarorum, à flumine Scytharum Volga, cum pleræque nationes aut sponte aut vi coactæ, sedes mutarent, huc commigrasse existimant, dictosque Bulgaros tanquam Volgaros, ab eo, quem dixi fluvio. montes Hæmi, qui sunt inter Sophiam & Philippopolim, insederunt; loca sane natura munita: ubi diu Græcorum imperatorum potentiam contempserunt; Balduinum majorem Flandriæ comitem Constantinopolis imperio potitum tumultuario prælio captum interfecerunt. Turcarum vim ferre non potuerunt, à quibus devicti miserrimæ servitutis jugum subjerunt. lingua utuntur Illyrica, ut Serviani & Raziani. Antequam in eam planitiem descendatur, quæ Philippopoli objacet, per saltum asperrimumque montis jugum evadendum est. hunc saltum Turcæ CAPIDERVENT vocant, quasi dicas portam angustiarum. in ea, quam dixi planicie fluvius Hebrus mox occurrit, haud procul à Rhodope ducta origine. cujus quidem accolæ, ni fallor, *Rullam*, vocant. ex hoc, ut attestatur Plinius, fluit Hebrus. quod ex illo Ovidii carmine notum est.

Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum,
Et sacer amissas exigit Hebrus aquas.

quo videtur poëta fluminis ejus brevitatem & aquæ inopiam innuere voluisse. nam etsi magnus

gnus & celebris fluvius, tamen plerumque vadosus est. ac memini, cum rediremus, proxime Philippopolim nos Hebrum vado trajicere, ut transiremus in insulam: in qua & pernoctavimus sub tentoriis. sed aquis ea nocte auctis, postridie non sine molestia rursus eo transmisso in viam redivimus. Sita est Philippopolis in uno ex tribus collibus, à reliquis montibus disiunctis & tanquam divulsis; quibus quidem collib. ea urbe tanquam corona imposita quæsitus honos videtur. Fuimus Philippopoli, vidimus in locis palustribus & aquosis orizam instar tritici crescentem. est ea tota planicies tumulis terrestribus veluti consita: quos Turcæ de industria excitatos fabulantur, ut essent monumenta pugnarum, quas olim crebras iis in campis fuisse pugnatas credi volunt, hominumque quos belli furor hausit sepulchra. Ita fere secuti Hebri ripam aliquandiu à dextera nos prosequentis, Hæmoque ad sinistram dimisso, qui in Pontum excurrit, ac demum per præclarum Mustaphæ pontem Hebro transmisso venimus Hadrianopolim, Turcis *Endrene* dictam. Hæc urbs priusquam ab Imperatore Hadriano nomen & incrementum acciperet; Oresta vocabatur. sita est ad confluentes Marizæ sive Hebri & fluviolorum Tunsæ & Hardæ: qui simul deinde suum cursum in mare Ægæum deflectunt. Ne hujus quidem urbis, quantum mœnibus antiquis continetur, capacitas maxima est, suburbiis tumet: iisque ædificiis, quæ Turcæ adjecerunt, in molem excrescit. Unum diem Hadrianopoli commorati progredimur Constantinopolim versus jam propinquam, veluti extremum nostri itineris actum confecturi. per hæc loca transeuntibus ingens ubique florum copia offerebatur, Narcissorum, Hyacinthorum & eorum quos Turcæ *Tulipan*

vocant: non sine magna admiratione nostra, proprer anni tempus, media plane hieme, floribus minime amicum. Narcissis & Hyacinthis abundat Græcia miro fragrantibus odore. sic ut, cum multi sint, odorum hujusmodi insuetis caput offendant, Tulipanti aut nullus aut exiguus est odor; a coloris varietate & pulchritudine commendatur. Turcæ flores valde excolunt: neque dubitant, alioqui minime prodigi, in eximio flore aliquot asperorum sumptum facere. Mihi quoque illi flores èaque dona non parvo constabant. erant enim semper aliquot asperi promendi, quos contra rependerem. neque aliter rationem instituere oportet cum, qui sit cum Turcis versaturus quam ut simul ac eorum fines ingressus sit, aperiat marsupium; neque ante claudat, quam jam illinc egressus: interea perpetuam nummorum sementem faciat, utinam ne infrugiferam. sed tamen ut alius fructus desit, hæc una ratio est Turcarum ingenia fera & à reliquis aversa gentibus, mitigandi. hoc veluti cantu Turcæ consopiuntur: alioqui non futuri tractabiles. absque hoc foret; non magis ea loca externis hominibus frequentari possent, quam quæ propter nimium æstum aut frigus perpetuæ solitudini damnata creduntur. Medio fere inter Constantinopolim & Hadrianopolim itinere oppidulum est quod Chiurli vocant; memorabile adversa Selimi cum patre Baiazete pugna, quo ex prælio equi beneficio, quem Carabouluck, hoc est nubem nigram vocarunt, Selimus servatus est, versa ad Tartaros Procopienses, ubi socer dominabatur, fuga. Antequam veniremus Selimbriam, quod est ea via oppidulum ad mare situm; vidimus non obscura veteris aggeris & fossæ vestigia, quæ ab illo mari ad Danubium usque à posterioribus Græcorum

corum Imperatoribus ea de causa perducta ferunt; ut quæ intra eam munitionem continerentur agri, possessionesque Constantinopolitarum, tuta essent ab incursu barbarorum. quo tempore memorant senem quendam dixisse, se non tam existimare ea extra periculum barbarorum, quæ essent intra ambitum ejus aggeris: quam, quæ extra essent, barbaris prodi. quod major iis animus ea oppugnando, Græcis vero ad defendenda minor futurus esset. Selimbriæ tenuit nos jucundus placidi maris aspectus: juvitque alludentibus undis in littore conchas legere, & delphinorum spectare choros, cœlique illius tepore frui. Nam dici non potest, quæ fuerit ibi temperies, quam mite clemensque cœlum: Chiurli quidem usque, horridior aliquanto, nescio quid Threicium spirans aura: inde incredibilis cœli clementia. Proxime Constantinopolim duos amœnissimos maris sinus ponte trajecimus, quibus locis si qua cultura accederet, naturaque artis auxilio paullulum modo juvaretur, haud scio an nihil pulchrius sol aspiceret. sed videntur illa suam lugere sortem, quod barbaro domino fastidiente negligantur. implemur hic sapidissimis marinis piscibus, nostro in conspectu captis. Cum in Xenodochiis quæ Turcæ Imaret vocant, hospitarer: animadverti forte plures schedas parietum rimis insertas. quas dum curiosius eximissem, non temere hoc fieri suspicans, libuit ex Turcis meis scisciari, quid continerent. sed comperi, nihil habere cur ita reponi mererentur. eo avidior cognoscendi fio, qua tamen re ibi servarentur. nam antea quoque pluribus locis id factum videram. Turcæ nihil mihi respondere, nec causam velle indicare; an quod puderet rem narrare, fidem apud me non habituram, an quod

tantum mysterium homini profano aperiri nollent. postea ex iis, quibus factus sum familiarior, cognovi Turcas multum honoris deferre chartæ, quod in ea Dei nomen scribatur, itaque chartulam nullam humi jacere patiuntur, & si in aliquam incidunt, subito attollunt rimæque alicui aut foramini indunt, ne pedibus proteratur. in quo fortasse nihil est hactenus quod reprehendas. sed audi reliqua. Supremi judicii tempore, cum Mahumetes suos sectatores ex iis locis, ubi pro admissis criminibus pœnas dant, in cœlum vocabit, ut sempiternæ beatitudinis participes faciat: alia ad eum via nulla patebit, quam per ingentem ferream cratem igne fervefactam & candentem per quam nudis pedibus incedendum erit, quo dolore, tu cogita: & tibi ob oculos pone gallum gallinaceum per prunas subsultim currentem. ecce vero hic (mirabile dictu) charta illa omnis, quam ita ab iis à contumelia pedum asservatam diximus, improvisa aderit, seque eorum soleis substernet, magno futura auxilio, quominus noxam candentis ferri sentiant: tantum erit meritum vindicatæ ab injuria chartæ. & memini, cum aliquando meis famulis graviter duces nostri irascerentur, quod eos viderent ad sordidissima quæque ministeria charta uti, idque ad me tanquam magnum flagitium deferrent: quibus ego nihil id mirum esse respondi in meis famulis; quippe qui suillis etiam carnibus vesci consuevissent. Tales quidem in sua religione sunt Turcæ, immane apud eos piaculum, si quis eorum vel imprudens Alcorano (qui divinæ legis habetur liber) insideat; homini vero Christiano etiam capitale. sed nec rosarum folia humi jacere patiuntur, quod ut veteres rosam ex sanguine Veneris, sic isti ex sudore Ma-

Mahumetis natam sibi persuaserint. sed jam desino, ne tibi in his nugis nimius videar. Constantinopolim veni ad diem xx. Januarii ibique collegas reperi, quos dixi supra, Antonium Wrantium & Franciscum Zay. Eo tempore aberat cum exercitu Turcarum princeps in Asia: nec erat quisquam relictus Constantinopoli præter Ebrahimum Bassam Eunuchum, qui urbi præesset, & Rustanum sed honore abactum: quem nos nihilominus & veteris auctoritatis & jam speratæ brevique redituræ memores, officiose invisimus, salutavimus & donis honestavimus. Non erit fortasse ab hoc loco alienum referre, quæ fuerit causa cur sic Rustanus muneris dignitate privaretur. Sustulerat Suleimannus ex concubina (ni fallor) Bosphorona, filium nomine Mustapham, qui tum ætatis flore & militari gloria maxime vigebat. sed erant eidem Suleimanno complures alii liberi ex Roxolana; quam ita amabat, ut in uxoris haberet loco, dicta etiam dote. ex quo Turcis certa matrimonii fides: & hoc quidem præter morem superiorum Imperatorum, quorum nullus à Bajazete majore, justam in matrimonio conjugem habuit. nam cum ille prælio victus in Tamberlanis potestatem una cum uxore venisset, multa quidem intoleranda tulit; sed nihil visum est indignius, quam ludibria & contumeliæ, quibus in ejus oculis uxor afficiebatur. cujus quidem rei memoria Imperatores, qui Bajazeti in imperium successerunt, ad hunc usque omnes à ducendis uxoribus se abstinuerunt: ut quicunque casus incidisset similem fortunam ne paterentur tantumque liberos, ex servilis conditionis mulieribus, in quas minus injuriæ cadere, quam in uxores legitimas videbatur, susceperunt. neque vero Turcæ minus honoris

deserunt natis ex concubinis aut pellicib. quam ex uxoribus; neque illi minus in bona paterna juris habent. Cum ergo Mustapha propter egregiam indolem ætatisque opportunitatem, gratia militum, & populi suffragio post mortem patris jam senescentis haud dubius imperii successor designaretur: ut liberis regnum assereret, contra nitebatur noverca; studebatque Mustaphæ virtutem & ætatis prærogativam auctoritate matrimonii elevare. quam in rem adjutore & consiliario utebatur Rustano; cum quo illi fortuna communis: quod ejus filiam ex Suleimanno susceptam Rustanus haberet in matrimonio, ut nihil alteri ab altero separatum posset evenire. Idem Rustanus inter Bassas, apud Suleimannum, principem gratiæ & auctoritatis locum tenebat; vir acri ingenio præditus, & perspicaci, magnum Suleimanni laudis instrumentum; si de natalibus quæres, subulcus: nec tamen indignus eo dignitatis gradu, si nullis avaritiæ sordibus contaminaretur. hoc uno nomine ipsi imperatori suspectus, ceteroque carus & probatus, quanquam id ipsum vitium domino in bonum vertit, jussus procurare fiscum, & rem pecuniariam tractare: à qua plerumque laborabat Suleimannus. in ea procuratione nullo lucro, quamvis minimo, neglecto, dum etiam ex herbis, rosis & violis, quæ in hortis principalibus erant, pecuniam corradit; dum cujusque captivi galeam, loricam, equum divendit, ceteraque pari ratione administrat; id consecutus est, ut magnos nummorum acervos conderet; ærarium Suleimanno amplum conficeret, planeque rem ejus ea parte constabiliret. Qua etiam de causa memini, quod in Turca mireje, magnum quendam virum Rustano vehementer infensum ita dicere, se Rustano, etiamsi

etiamsi posset, nocere tamen nequaquam velle, quod ejus cura, studio & labore, res pecuniaria domino suo constituta esset. camera est in regia peculiaris, ubi hujusmodi pecuniæ servantur, cum hoc titulo; *Pecuniæ Rustani diligentiâ acquisitæ*. Hic Rustanus cum esset Visiriorum primus, penes quem rerum Turcicarum administrationis summa est, nullo negotio quam in partem vellet, ut consiliorum omnium auctor, animum voluntatemque sui regis poterat impellere. Unde ea Turcarum mentibus inhæsit opinio, cum Rustani criminationibus, tum uxoris Roxolanæ veneficiis, quorum infamia laborabat, ita abalienatum à filio Mustapha patrem fuisse, ut de eo tollendo consilium caperet. pauci credunt Mustapham, cum Rustani consilia novercæque artes non ignoraret, ultro occupare voluisse; patrisque imperio & vitæ insidiatum. Nihil est omnino miserius Turcicorum imperatorum filiis: è quibus, si quis patri successit, reliquos inevitabilis mortis necessitas manet. nam neque Turcæ imperii æmulos ferunt; nec per milites prætorianos omnino ferre possunt. qui si quis forte fratrum sit, præter eum qui regnat, superstes; congiariorum petendorum nullum finem faciunt, si recusantur; statim audis; *Salvus frater sit. Fratrem Deus nobis servet.* quo verbo designari illum imperio non est obscurum adeo, ut fratrum sanguine manus polluere & à parricidio regnum auspicari Turcis imperatoribus sit necesse. Hunc casum in se timentem Mustapham, aut Roxolanam à liberis suis in Mustapham cupientem avertere, Suleimanno parricidii occasionem dedisse consentaneum est. Erat ei bellum cum Rege Persarum Sagthama, quo missus erat cum summa imperii Rustanus is cum ad Persarum

fines appropinquaret, subito constitit: Suleimannumque per literas trepide certiorem fecit, rem in magno versari discrimine: omnia esse insidiarum plena: corruptos militum animos uni Mustaphæ studere; illum imperio, se non esse malo parem; ejus præsentiam atque auctoritatem requiri; veniret, si salvum vellet imperium. his litteris turbatus Suleimannus, subito advolat, Mustapham per literas arcessit; utque de criminibus, de quibus in suspicionem vocabatur, & jam palam accusabatur, satis faciat, monet: si id fiat, nihil manere periculi. anceps deliberatio Mustaphæ: si ad patrem infensum veniat & inimicum; discrimen certum. sin detrectet; manifesta cogitati criminis confessio. vicit ea sententia, in qua animi & periculi erat amplius. profectus Amasiâ cui præerat, venit ad patrem, cujus non longe castra erant, innocentia sua fretus, an quod confideret præsente exercitu nihil sibi eventurum mali: certe ad ineluctabile exitium venit. sententiam de filii morte domo conceptam Suleimannus attulerat, consulto prius, ne religio neglecta videretur, suo *Muffti*. is est apud Turcas sacerdotum supremus; ut apud nos Romanus pontifex. Eum vero, ne quid ad gratiam responderet, hunc in modum fuerat aggressus: Constantinopoli quendam haud postremi inter mercatores loci, cum domo aliquandiu esset abfuturus. servum, cui præcipue indulserat, rei suæ familiæque toti præposuisse, uxoremque & liberos ejus fidei credidisse: illum vero statim absentis domini rem intervertere, capitibus uxoris & libetorum insidiari cœpisse: quin ipsimet domino certam perniciem machinatum esse: se, quid in illum jure statui posset, velle ab eo intelligere. respondit Mufti; *illum ut per cruciatum necaretur*

retur videri meruisse ; id, sive ex animi sui sententia ita dixerit, sive Rustani Roxolanæve fraudibus in hoc allegatus, certe vehementer animum Suleimanni confirmavit, ultro jam in necem filii propendentis. non enim minus in se filii scelus quam servi illius in dominum, esse existimabat. Cum ergo venisset Mustapha in castra, suspenso expectatione eventus magnopere exercitu : introducitur in patris tentorium. ubi pacata videbantur omnia : nullus miles, spiculator nullus, nullus lictor, insidiarum nihil, quod timeri posset. at erant muti aliquot, quos Turcæ habent in deliciis, validi & robusti homines, ad cædem ejus destinati ; qui receptum in tentorium interius, magno impetu aggrediuntur, laqueumque illi omni vi injicere conantur. ille strenue se defendere (neque enim erat inualidus) & non modo de vita, sed etiam de imperio contendere ; cum dubium non esset, quin, si periculo elapsus inter Gianizaros se conjecisset, illi rei indignitate & misericordia ejus, quem summe amabant, commoti non modo servaturi, verum etiam imperatorem fuerint salutaturi. Hoc ipsum metuens Suleimannus, qui linteis modo tentorii parietibus theatro, in quo illa agebatur tragœdia, disiungebatur, cum præter spem incœpto suo moram injectam videret : ea tentorii parte caput exserens, torvos & minaces oculos in mutos torquet : illorumque segnitiem atrocibus signis graviter increpat. tum vero muti, redintegratis terrore viribus, miserum Mustapham sternunt, injectoque nervo gulam ei frangunt : moxque in tapete porrectum ; ante tentorium explicant ; ut esset Gianizaris videre, quem habere imperatorem expetiissent. Quæ res ubi per castra

vulgata est, commiseratio & dolor omnem exercitum pervasit: neque fuit quisquam, qui ad tam triste spectaculum non accederet; præsertim Gianizarorum. quorum ea fuit consternatio & rabies, ut ad quodvis facinus impelli possent, dux modo adesset. nam quem ducem speraverant, eum senu cassum, humi videbant jacere. unum supererat, moderate ut ferrent, quod mutari non poterat. igitur mœsti silentesque & lachrymarum pleni se in sua tabernacula referebant: ubi quantum licebat, infelicis juvenis casum misereri. imprimis ut delirum & insanum senem Saleimannum accusabant; modo fraudem & crudelitatem novercæ, modo Rustani scelus detestabantur, quod tantum lumen Othomannicæ domus extinxissent. sic illum diem jejunii, ne aqua quidem gustata, traduxerunt, neque defuerunt qui inediam diutius etiam continuarent. certe totis castris luctus, pluribus diebus, frequentavit: quin neque desiderii neque lugendi modus futurus videbatur; nisi Suleimannus Rustanum de illius ipsius (ut est credibile) consilio exutum dignitate, privatumque Constantinopolim relegasset. in cujus locum suffectus est Achmat Bassa. qui tenente principem locum Rustano inter Visirios secundus, majoris animi vir quam consilii fuerat. Quæ rerum mutatio luctum minuit, militumque animos mitigavit, quibus facile probabatur, ut est vulgus credulum, Suleimannum scelera Rustani & philtra conjugis deprehendisse: & jam, quamvis sero, resipiscere, Rustanumque ea de caussa exegisse, ac ne conjugi quidem parsurum, ubi Constantinopolim rediisset. Rustanum quidem magnam tristitiam præ se ferentem & tanquam omni spe recuperandæ dignitatis destitutum, ipsi Constantinopoli

poli conveniunt. At vero non satis Roxolanæ fuit sublatum esse è medio Mustapham ; ni etiam filius (quem reliquerat unicum) adhuc impubes exstingueretur : neque enim suæ liberorumque securitati satis consultum arbitrabatur, quam diu ex illo proles supereſſet. sed tamen causſæ alicujus obtentum ad eam rem videbat desiderari, neque vero difficile eam invenire. defertur ad Suleimannum, quoties nepos ejus Prusiade (nam illic educabatur) prodiret in publicum, solere illius civitatis pueros omnia ei fausta precari, optareque ut diu patri superstes viveret, neque id alio pertinere, nisi ut imperio avi & patris vindictæ destinaretur : non enim defuturos filio Mustaphæ Gianizaros : ita nihil ejus mortem ad regni & status tranquillitatem contulisse : religione nihil esse debere cuiquam antiquius, ne liberorum quidem salutem ; religionem Musulmanam (sic illi suam ut optimam vocant) tutela regni & dominatu Othomannicæ familiæ contineri : qua domo afflicta religionem stare non posse. à re vero nulla certiorem imminere illi domui ruinam, quam à domestica discordia : ut ergo & domus & imperium ac proinde religio conservarentur, quacumque ratione vel cum particidio liberorum discordiis intestinis occurrendum esse, magni nec ducendam liberorum jacturam, quæ religionis incolumitate compensetur: Mustaphæ filio eo minus parcendum, quod contagione paterni sceleris jam nocens esse cœpisset : neque dubitari debere, quin se mox ducem paternæ causſæ daturus esset. His rationibus impulsus Suleimannus, facile in cædem neporis subscripsit, deditque Ebrahimo Bassæ negotium, ut Prusiadem ad insontis pueri exitium properaret. is postquam eo venit, in primis sibi

dandam

dandam operam putavit, ut pueri mater deciperetur. nimis enim facinus inhumanum videbatur, sciente matre, & pœne in ejus oculis filium necari. quin etiam motus aliquis populi atque ex eo impedimentum timeri poterat. hoc ergo mulierem circumvenit artificio. fingit se venisse à Suleimanno, qui & ipsam & filium ejus visat: quem quidem Suleimannum non optimis usum consiliis in occidendo Mustapha fuisse: quod ipse jam sed sero deprehenderit: eo tamen sibi cariorem fore ejus filium, quo in patrem fuisset injustior. multa addit hujus generis, quo fidem faciat credulæ matri, jam præsertim Rustani casu nonnihil confirmatæ. blanditiæ postremo munusculis cumulantur. post unum atque alterum diem injicitur sermo de prodeundo extra urbem, mutandi cæli, liberioriſque aëris fruendi causa. suadet Eunuchus, ut postridie in suburbanum proficiscantur, ipsa curru veniat; filius in equo currum præcedat. res extra omnem fraudis suspicionem videbatur. assentitur illa. instruitur currus; sed ita composito axe ut, cum ad aspera quædam ventum esset, frangi eum necesse esset. sic illa inauspicatum iter ingressa extra urbem venit. Eunuchus cum puero, veluti per occasionem colloquii, longius antecedit. sequitur, quanta potest festinatione, mater. sed ubi ad salebras illas ventum est; impacta vehementius saxis rota axis rumpitur. quo illa, ut pessimo augurio perterrita, diu retineri non potuit, quin curru relicto, natum pedes sequeretur, aliquot ancillis tantum comitata. sed jam quo volebat pervenerat Eunuchus. qui non moratus diutius, quam dum subiret limen destinatæ ad cædem domus, funestam sententiam pronunciat: mandatum esse imperatoris ut moriatur. ad

quæ

quæ puer, ex disciplina gentis, respondisse dicitur; non se hoc ut jussum imperatoris, sed ut Dei, cui parere sit necesse, accipere. itaque cervicem laqueo offert. sic summæ spei innocens puer strangulatur. quo perpetrato, Eunuchus postico elabitur, & quantum potest profugit. mox adest mater, ejus quod jam evenerat, præsaga. fores pulsat. ubi commodum est, admittitur. invenit filium etiamnum calentem à vita, palpitantem, & tantum non spirantem, sed hoc loco velum obtendere melius est. nam qui fuerit materni animi, in illo filii casu, affectus, cogitari facilius potest quam exprimi. Prusiadem deinde se recipere coacta, venit eo passis capillis, scissa veste, magno ejulatu, magnisque lamentis omnia complens. accurrunt undique Prusienses matres, liberæ, ancillæque: & audito tam sævo facinore, in rabiem aguntur, Bacchantumque in morem consternatæ portis effunduntur; unum Eunuchum requirunt, unum sibi offerri optant, dira in eum, si detur, exempla edituræ. verum ille futuri providus, veritusque ne alter Orpheus frustatim à furentibus illis concerperetur, nihil in fuga diligentiæ prætermisit. sed jam ad institutum revertor. Nuncius cum literis de meo adventu ad Suleimannum mittitur. interim vero dum responsum exspectatur, urbis Constantinopolis per otium inspiciendæ facultas fuit. inprimis divæ Sophiæ templum adire placuit: quo tamen non nisi singulari beneficio sum admissus. Turcæ sua templa prophanari credunt, si quis Christianus ingrediatur: est ea sane moles magnifica, & digna quæ spectetur; maximo cum fornice sive hemisphærio in medio, quod à solo impluvio lumen habet. Ad hujus templi formam omnia fere Turcarum templa sunt constructa.

sunt

sunt qui fuisse multo majus, multisque appendicibus late se extendisse, easque jamprídem recisas omnes, & adyta sola, quodque fuit in templo medium, remansisse asserant. Jam ad ipsius urbis situm quod attinet, videtur urbi dominaturæ facta à natura sedes. est in Europa; habet in conspectu Asiam, Ægyptum, Africamque à dextra. quæ tametsi contiguæ non sunt, maris tamen navigandique commoditate veluti junguntur. à sinistra vero Pontus est Euxinus, & palus Mæotis; quæ circumcirca multis gentibus habitantur, & multis undique fluminibus frequentantur; nihil ut longe lateque iis in regionibus ad usum humanum nascatur, cujus non sit maxima Constantinopolim navibus vehendi opportunitas. ab una parte, mari alluitur Propontide: ex altera portum efficit flumen; quod à similitudine *cornu aureum* vocat Strabo. tertia reliquo continenti jungitur, ut fere peninsulæ similitudinem quandam referat, & perpetuo promontorii dorso in mare sinumque, quem à fluvio marique eo recedente fieri dixi, excurrat. Igitur è media Constantinopoli jucundissimus est in mare, albentemque perpetuis nivibus Olympum Asiæ prospectus. mare piscibus omni ex parte refertissimum, modo demittentibus se ex Mæotide Pontoque per Bosphorum & Propontidem in mare Ægeum mediterraneumque; modo ex illo subeuntibus in ipsum Pontum, sicuti natura fert piscium: tantis agminibus tamque densis, ut interdum etiam manibus capiantur. Itaque frequentissima est scombrorum, pelamydum, capitonum, synodontum, xiphiorum iis locis piscatio. in qua se præcipue exercent Græci, magis quidem quam Turcæ: tametsi nec isti positos in mensa pisces aspernantur, modo ex eo sint genere quos mundos

dos putant, alios non magis attingunt, quam venenum lethale. nam (ut hoc quidem obiter dicam) sibi linguam potius aut dentes evelli patiantur, quam quicquam gustent quod immundum esse sibi persuaserint, veluti ranam, limacem, vel testudinem. qua in re pari superstitione laborant Græci. Receperam in familiam puerum religionis Græcæ, quo dispensatore utebar. hunc reliqui famuli nunquam inducere potuerant, ut cochleis vesceretur. tandem vero ita coctas condit asque apposuerunt, ut ille aliud piscium existimans esse genus, avidissime se illis expleret sed postquam de risu & cachinnatione reliquorum, projectis etiam testis, sibi fuisse illusum cognovit; dici non potest quantopere commotus, se in cubiculum recepit: ibique vomendi flendique & sese afflictandi finem nullum fecit: vix duorum mensium salarium satis hujus peccati veniæ redimendæ futurum. nam hunc morem habent sacerdotes Græci, ut pro genere & magnitudine delictorum majus minusve absolutionis pretium iis, qui sua peccata sunt confessi, statuant: nec absolutos nisi, quantum stipulati sint, abstulerint, eos pronuncient. In extremo eo, quod dixi, promontorio palatium est Regum Turcicorum, haud ulla, quantum videtur, structuræ magnificentia aut operis artificio visendum: nam ipse eo quidem nondum sum ingressus. sub palatio, loco demissiore atque adeo in ipso littore, eorundem principum horti mari prætenduntur: qua maxime in parte fuisse olim vetus Byzantium arbitrantur. Noli hic expectare ut tibi narrem, cur olim dicti fuerint cæci Chalcedonienses, qui sedem è regione Byzantii habuerunt; quorum hodie vix exstant parietinæ: neque de natura ejus maris perpetuo agmine defluentis, neque

neque unquam reciprocantis; neque item de salsamentis, quæ Constantinopolim à Mæotide advehuntur, quæ Itali *moronellas*, *botargas*, & *caviarum* vocant: neque enim hæc epistolæ sunt, cujus jam nunc justum modum sum egressus; & alioqui tam ex antiquis quam hujus temporis æqualibus scriptoribus cognosci possunt. Nunc ad situm Constantinopolis revertor; quo nihil vel ad aspectum jucundius, vel ad usum opportunius esse potest. ædificiorum elegantiam (ut dixi) in urbibus Turcarum frustra requiras, uti etiam platearum: quippe angustiores amœnitatem omnem excludunt, sunt multis in locis non contemnendæ veterum monumentorum reliquiæ: nec tamen tam multæ, ut potius mirandum non sit tot à Constantino Româ allatis non superesse plures. de quibus singulatim dicere non est præsentis instituti, pauca tantum attingam. Erat veteris hippodromi area: ubi gemini serpentes ænei visuntur. est itidem insignis obeliscus. item duo visuntur Constantinopoli memorabiles columnæ. altera est è regione *Caravasarai*, ubi nos hospitabamur: altera in foro quod Turcæ *Auratbasar* vocant, hoc est, forum mulierum: ei ab imo ad summum insculpta est historia cujusdam expeditionis Archadii, qui eam construxit, cujusque diu in summo positam statuam habuit. quam tamen cochleam rectius dixeris, quam columnam: propter structuram gradduum, quibus intus ad summum ascenditur. ea penes me depicta est. at columna, quæ sita est ex adverso diversorii, in quo Cæsareos oratores hospitari mos est, ea tota præter basim & epistylium constat octo lapidibus solidis porphyreticis, ita conjunctis, ut unum saxum videatur: quemadmodum etiam vulgo creditur, nam ubi lapis

lapis lapidi committitur; ſertum prominet laureatum, quod integram ambit columnam: quo inferne ſpectantibus compaginis adſpectus occultatur. Ea columna crebris terræ motibus concuſſa, & vicino incendio uſtulata, multis locis agit rimas, & ne deſiliat, crebris circulis ferreis revincitur. in ea ferunt aliquando fuiſſe Apollinis, deinde Conſtantini, poſtremo Theodoſii ſenioris ſtatuas, ſed omnes vi ventorum, aut terræ motu dejectas. De obeliſco, cujus ſupra memini, qui eſt in hippodromo, ſic Græci commemorant: à baſi convulſum multis à ſæculis jacuiſſe humi: tempore poſteriorum Imperatorum repertum architectum, qui operam ſuam in eo ſuæ baſi reſtituendo deferret: illumque, poſtquam de pretio conventum eſſet, ingentem apparatum organorum ex trochleis & funibus præſertim inſtituiſſe; quibus lapidem illum ingentem erexerit, ſublimemque eo evexerit, ut uno tantum digito abeſſet à dorſo aſtragalorum, quibus imponi debebat: tum judicaſſe populum ſpectatorem oleum illi & operam tanti apparatus periiſſe, magniſque denuo laboribus & impenſis opus inſtaurandum; at illum minime diffiſum, petito à rerum naturalium ſcientia ſubſidio juſſiſſe afferri immenſam aquæ vim: qua multis horis in machinam illam injecta funes, quibus obeliſcus librabatur, ſenſim madefactos rigenteſque (ut eorum eſt natura) ſe contraxiſſe: ſic ut obeliſcum altius ſublatum in aſtragalis ſtatuerent: magna cum admiratione & plauſu vulgi. Vidi Conſtantinopoli diverſi generis feras, lynces, ſylveſtres feles, pantheras, leopardos, & leones, adeo quidem domitos & cicures, ut me ſpectante objectam pecudem unus ſibi à magiſtro ex ore pateretur eripi; rictuque

rictuque modo cruore delibuto placaretur. vidi etiam elephantum plane juvenem, mire lepidum; ut qui saltaret & pila luderet. hic credo, vix temperabis risu. elephantum, inquies, ludentem pila & saltantem? qui minus quam funambulum Senecæ, itemque Græcarum literarum peritum, Plinii testimonio notos? sed audi tamen, ne me quicquam fingere existimes, aut perperam intelligas. cum saltare juberetur, movebat ita alternos pedes toto corpore coruscans, ut non obscure tripudiare velle videretur. pila vero palmaria ita ludebat; ut pilam in se conjectam proboscide scite exciperet, longeque repercuteret, quod nos palma facimus; si tibi hoc non est satis, ut dici possit saltasse, & pila lusitasse, quærendus est qui planius, & magis diserte fabuletur. fuerat & camelopardalis inter eas feras, paulo antequam venirem Constantinopolim, sed ea jam exspiraverat. ossa tamen, quæ sub terra condebantur, eruenda curavi, ut inspicerem. est hoc animal longe in antica parte procerius quam in postica; ut vel ferendo oneri vel portando homini ea de caussa non sit aptum. quod caput & cervicem camelo similem habeat, pellem vero pardi instar maculis sparsam, camelopardalim vocant. Non vidisse Pontum, cum eò navigandi daretur facultas, nimiæ desidiæ imputari potuit; quando non minoris negotii esse veteribus vidisse Pontum quàm Corinthum navigasse credebatur: eo itaque jucundissima navigatione profectus, admissus sum in aliquot principis domos voluptati & oblectationi dicatas: in quarum unius valvis spectavi opere tessellato graphice redditam claram illam Solimi cum Ismaele Persarum rege pugnam. vidi item compluria in amœnissimis convallibus principis virera, minimum arti debentia, naturæ fere omnia.

omnia. ô Nympharum domos! ô ſedes Muſarum! ô loca literatis apta ſeceſſibus! ea me hercle (ut paulo ante dixi) lugere nunc videntur & operam cultumque Chriſtianorum requirere. ſed multo magis ipſa Conſtantinopolis, vel tota potius Græcia: quæ quondam florentiſſima, nunc indigna premitur ſervitute: bonarum olim artium omniſque liberalioris doctrinæ inventrix humanitatem quam nobis tradidit, repoſcere videtur, & opem pro jure communium ſacrorum adverſus Scythicam barbariem implorare: ſed fruſtra, euntibus in alio omnium Principum Chriſtianorum animis. neque vero graviore imperio Turcæ Græcos premunt, quam nobis dominantur vitia, luxus, crapula, deſidia, libido, ſuperbia, ambitio, avaritia, odium, invidia, æmulatio: quæ noſtros animos ita depreſſos & ſepultos tenent, ut neque cœlum ſuſpicere, neque præclarum quicquam meditari, & ad rem magnam adſpirare valeant. debuerat quidem nos pietas & officium impellere, ut afflictis ſociorum rebus ſuccurreremus. ſed ſi nec laudis nec honeſti pulchritudo animos torpentes inflammavit; certe utilitas cujus hodie prima ratio ducitur, moveri potuit, ut loca tam præclara tantiſq; commoditatibus & opportunitatibus plena, Barbaris erepta à nobis potius, quam ab aliis vellemus poſſideri. nunc per immenſa maris ſpacia Indiæ petuntur & Antipodes. quia enim facilis ibi præda opimæq; exuviæ ſine ſanguine hominibus incallidis & ſimplicibus detrahuntur, pietas obtenditur, aurum quæritur. Longe aliter majores noſtri: qui nequaquam ſibi, tanquam ſi mercatores eſſent, ea loca duxerunt quærenda, ubi auri plurimum, ſed ubi virtutis officiique exercendi major facultas offerebatur. laboris & periculorum & longin-

longinquæ expeditionis præmium non utilitas erat, sed honor. neque illis è bellis locupletior quisquam, sed gloria cumulatior domum revertebatur. sed hæc tibi, ne quis sic fortasse qui nefas esse existimet, quicquam in seculi nostri moribus desiderare. Utcumque tamen erit, acui sagittas in nostram perniciem video; metuoque futurum, ut si pro gloria nolimus de salute tandem cogamur dimicare. Redeo nunc in Pontum, quem Turcæ *Caradenis* vocant, hoc est mare nigrum. Demittit se per angustas fauces in Bosphorum Thracium. ubi multis vorticibus & flexibus occursu promontoriorum agitatus, itinere unius diei, descendit Constantinopolim; ibiq; paribus pæne angustiis erumpit in Propontidem. In medio ostio, quo in Bosphorum influit, saxum est cum columna, in cujus basi nomen Romani cujusdam Octaviani (si memini) Latine inscriptum extat, inde in littore Europæo edita turris est, quæ noctu lumen navigantibus prælucere solet: *Pharum* dicunt. à quo loco non ita procul fluviolus in mare labitur. in cujus alveo lapillos onychibus sardonichibusque haud multo deteriores legimus. certe eundem fere, si expolidantur, nitorem refetunt. paucis ab eo, quod dixi, ostio miliaribus angustiæ monstrantur, quibus Darius exercitū contra Scythas Europæos trajecit. at medio circiter spacio inter utrasq; Bosphori fauces arces duæ sunt: quarum una in Europa est altera ex opposito in Asia. hanc diu ante oppugnatam Constantinopolim habuerunt Turcæ: illa validis turribus est, ædificata à Mahumete, paucis aliquot antequam Constantipolim expugnaret annis. hodie Turcæ pro carcere insignium captivorum utuntur. Ex eo paulo ante elapsus retractusque Lazarus ductor Epirota apud castrum

novum

novum una cum Hiſpanis captus, conto ab anu in humeros transfixus, dederat crudeles pœnas: quas tamen ſumma animi æquitate pertulit. Voles fortaſſe hoc loco, ut tibi aliquid de natantibus inſulis Cyaneis ſive Symplegadibus referam. ingenuè fateor, me paucis iis horis, quibus ſum ibi verſatus, nullas inſulas Cyaneas (neſcio an alio quopiam tunc defluxerint) cognoſcere potuiſſe. de quibus ſi curioſior es, à Petro Gyllio iſtarum omnium rerum exacto inveſtigatore mox certiora diſces. mihi obvia modo & expoſita commemorare ſatis eſt. Illud nefas reticere, valde falli Polybium, variis argumentis colligentem fore, ut labentibus annis Pontus arenarum cumulis ita exaggeretur, ut propter illuviem, quam Danubius, Boryſtenes aliaq; flumina in ipſum invehunt, navigationi reddatur inutilis. neque enim hodie pilo minus navigabilis Pontus eſt, quam fuit olim tempore Polybii. ſic ſæpe ſententias, quæ nullis rationibus refelli poſſe videbantur, dies atque uſus refellit. Quis olim ratiocinantibus inhabitabiles eſſe terras ſub zona torrida non aſſenſit? cum tamen ſatis conſtet ex narratione eorum, qui ea loca adierunt, haud fere minus eas quam alias habitari: quinimo eo ipſo tempore, cum iis ſol eſt altiſſimus, radioſque ad perpendiculum in terram dimittit, æſtum tum maxime pluviarum perpetuitate, quibus ea loca adumbrentur refrigerenturque, temperari. Poſtquam (ut dixi) de meo adventu Turcarum imperator certior factus eſt: litteræ ad præfectum Conſtantinopolitanum afferuntur, quibus nos in Aſiam trajicere & Amaſiam, ſive, (ut eſt in antiquis numiſmatibus) Amazeiam, mittere jubetur. Itaque rebus ad iter compoſitis & acceptis ducibus, die Martii. 9. transmiſimus in Natoliam.

ſic

sic enim Turcæ hodie Asiam vocant. nec sumus eo die longius, quam Scutarium usque progressi. is pagus est in littore Asiatico, veteri Byzantio oppositus, eo loci ubi olim, aut certe paulo superius, Chalcedonem nobilem civitatem fuisse existimatur. quod equos, currus, impedimenta, familiam, & nos eo die trajeceramus, satis itineris confecisse Turcis visi sumus: maxime quod è propinquo, si quid (ut solet) Constantinopoli quod ad iter pertineret, neglectum aut omissum esset, facile posset repeti. inde postridie digressi per campos herbis odoriferis ac præsertim Stœcade refertos iter fecimus, magnamque vidimus iis locis errantem, sine metu maximarum testudinum multitudinem. erat ea nobis grata futura præda, nisi Turcis, quos comites habebamus, parcere maluissemus, siquidem illi, si eas attigissent, aut omnino in mensam nostram inferri vidissent, adeo pollui sese existimassent, ut nullis aquis satis possent ablui. dixi enim jam ante, quanta cum superstitione eum Græci tum Turcæ ab hujusmodi animalium contactu refugiant: unde fit; ut, cum bestiæ minime maleficæ nemo tendat insidias, testudinum ibi plena sint omnia. Ex quibus unam bicipitem pluribus diebus alui: victuram etiam diutius, nisi mea culpa interiisset. Eo die ventum est in pagum quem *Cartali* vocant. non enim me pigebit deinceps omnium mansionum nostrarum nomina adscribere. Constantinopolitanum quidem iter jam plerisque est usurpatum; Amasianum hactenus, quod sciam, nostrum nulli. ex Cartali venimus *Gebise*, Bithyniæ oppidum: quod olim Libyssam fuisse putant, Hannibalis sepulchro celebrem. inde jucundissimus patet in mare sinumque Nicomediensem prospectus ubi etiam admirandæ proceritatis

ceritatis & craſſitiei cupreſſi viſuntur. quarta, poſtquam Conſtantinopoli diſceſſeramus manſione venimus Nicomediam: vetus & fama clarum oppidum, in quo nihil vidimus ſpectatu dignum, præter parietinas & rudera, hoc eſt, epiſtyliorum & columnarum fragmenta ſola ex veteri ſplendore reliqua. arx eſt integrior in colle ſita. paullo antequam eo veniremus, longus ex candido marmore murus ſub terra fodientibus detectus fuerat, pars (ut opinor) antiquæ Regum Bithyniæ domus. Nicomediâ tranſmiſſo montis Olympii jugo in pagum Kaſockli venimus; ex hoc Niccæam; ſed ſerius cœpta jam prima vigilia: non procul inde audio magnum clamorem & veluti hominum irridentium inſultantiumque voces. interrogo quid ſit; & num fortaſſe qui nautæ (nam ripa lacus Aſcanii haud longe aberat) nos irriderent, quod præter eorum conſuetudinem id noctis iter faceremus. narrant mihi ululatum eſſe beſtiarum, quas Turcæ *Ciacales* vocant. Lupi ſunt vulpibus maiores communibus lupis minores; voracitate tamen edendique ingluvie pares: gregatim incedunt; hominibus armentiſque innoxii, furto magis & dolo quam vi victum quærentes. ab harum ferarum ingenio Turcæ homines fraudulentos & verſipelles, maxime Aſiaticos, *Ciacales* vocant. tentoria Turcarum aut etiam domos noctu ſubeunt; in quibus quicquid inveniunt eſculentum, vorant. quod ſi aliud deeſt; quicquid eſt operis coriacei rodunt, veluti calceos, ocreas, cingula, gladiorum vaginas, & quicquid eſt hujus generis. neque deeſt ad furtum ſolertia, niſi (quod ridiculum eſt) ſuo ſe proderent indicio. nam cum maxime ſunt in ipſo furto occupati; ſi quis forte gregalium, qui foris remanſit, ululare incipiat; mox ipſi idem faciunt,

parum

parum memores ubi versentur. quo clamore expergefacti homines, arreptis armis fures manifestarios male mulctant. Nicææ sequenti die mansimus. puto me eadem in aula quieviſſe, in qua olim habitum fuit concilium Nicænum, jacet Nicæa in ripa lacus Ascanii. opidi ejus mœnia & portæ satis integræ sunt. quatuor sunt omnino, quæ ex medio foro despici possunt: in quarum singulis veteres sunt inscriptiones Latinæ, quæ ab Antonino, quo non memini, sed certe ab Antonino Imperatore urbem eam instauratam testantur. Ejusdem quoque extant thermarum reliquiæ, è quibus dum Turcæ lapidem eruerent, struendis Constantinopoli publicis ædificiis, cum adessemus, statuam invenerant egregiam pæneque integram armati militis: sed eam mox malleorum ictibus deformarunt. quod cum ægre nos ferre ostenderemus, de ridiculo habebamur, rogantibus operis, num eam venerari & adorare, ut noster esset mos, vellemus? Profecti Nicæa venimus Ienysar: ex genysar, Ackbyuck, inde Bazargyck; ex Bazargyck Bosovick sive Cassumbasa, in arctissimis angustia montis Olympi situm. nam à Nicæa fere hactenus per clivos montis Olympi nobis iter fuit. hic divertimus in Turcicum Xenodochium. è regione saxum erat paullo editius: in quo altius excisa erat quadrata scrobs, eaque ampla: è cujus imo canalis in viam publicam perducebatur. hanc scrobem veteres illi incolæ hiberno tempore nivibus complebant, ut per eum, quem dixi canalem demissa in viam stellans ex nivibus aqua perquam frigida prætereuntium siti subveniret. hujusmodi opera Turcæ pulcherrimas eleemosynas judicant; ut quæ publice & in commune prosint. Non procul ab hoc loco Otmanlick ad dextram ostenditur

recepta-

receptaculum (ut puto) Othomanni filius, qui princeps Othomannam domum nobilitavit. Ex his anguſtiis in latiſſimos campos deſcendimus. in quibus primam noctem ſub tentoriis egimus. id enim viſum ad tolerandum calorem aptius. locus dicebatur *Chiauſada*. vidimus hîc ſubterraneam domum, cui per ſolum impluvium lumen infundebatur. vidimus item capras illas, ex quarum vellere ſive pilo (ne de lana caprina mihi controverſia ſit) pannus ille texitur, quem cymatilem ſive undulatum vocant. eſt earum tenuiſſimus mireque nitens pilus, ad terram uſque propendens. hunc non tondent, ſed depectunt caprarii; non multum pulchritudine cedentē ſerico, capræ ſæpius in fluminibus lavantur gramine paſcuntur per eos campos exili & ſicco; quod ad lanæ tenuitatē multum conferre certum eſt. nam conſtat alio tranſlatis non manere eandem, ſed una cum pabulo mutari; totaſque ita generare capras, ut vix agnoſcantur. deductum ex hujuſmodi vellere ab ejus regionis mulieribus filum Ancyram portatur Galatiæ urbem, ubi & texitur & tingitur, ut poſterius dicetur. Eſt quoque frequens iiſdem locis genus illud ovium (neque enim ex alio fere conſtant greges) quod pinguem & ponderoſam caudam trahit; quæ modo trium aut quatuor, modo etiam octo aut decem librarum eſt. quinimo in eam aliquando magnitudinem excreſcit in ovibus vetuſtioribus, ut duas rotulas cum media tabella ſubjici neceſſe ſit, in quam illa recumbat, ut oves trahant quod ferre non poſſunt. hoc tu fortaſſe vix credes: nec tamen quicquam mentior. quamquam, ut non negaverim talibus caudis non deeſſe ſuum uſum propter copiam pinguedinis, caro tamen reliqua mihi durior & inſuavior, quam ſit ovium noſtrarum.

videtur. Qui his gregibus pastores præsunt, noctem & diem degunt in campis; uxoresque & liberos circumvectant in curribus, quibus pro domiciliis utuntur: nisi quod aliquando exigua tabernacula tendant. longe vero lateque vagantur, modo campos, modo editiora loca, modo valles, ut ratio temporis & pabuli postulat, persequentes. videormihi deprehendisse in ea regione aves nonnullas nobis invisas adeoque incognitas: inter alias, genus est anatum, quod non immerito quis inter cornicines retulerit. ita voce cornuum sonitum imitantur, quæ inflare solent per dispositos equos iter facientium duces. Est ea avis quamvis inermis, audax & strenua: quam etiam malos dæmones terrere Turcis persuasum est: certe libertatis adeo retinens, ut etiam per totum triennium in corte nutrita, facultatem nacta, libertatem saginæ anteponat; sedesque naturales & suetos alveos volatu repetat. Ex Chiausada venimus in Karaly; ex hoc in Hazdengri, deinde in Mazotthoy: ex Mazotthoy transmisso Sangario fluvio, qui defluit in Pontum, ex Phrygia, venimus in Mahathli; ex eo in Zugli; inde Chilancyck: ex Chylancyck in Jalanchich; ex Jalanchich in Potughin: inde attigimus Ancyram, quam Turcæ *Angur* vocant. Ancyræ mansimus unam diem. in magnis caloribus parum properabamus, nec caussæ esse credebant Turcæ, cur amplius festinaremus. morante adhuc oratore Regis Persarum; cum quo nos eodem fere tempore volebant venire Amasiam. In tot pagis, quot supra nominavimus, nihil admodum vidimus admiratione dignum; nisi quod inter sepulchra Turcarum nonnunquam incidimus in columnas aut lapides antiquos ex egregio marmore: in quibus inscriptionum Romanarum aut Græcarum

carum extabant vestigia, sed ita mutila, ut legi nequirent. nam in eo quidem omnis oblectatio mea consumebatur, cum attigeram hospitium, quod vel inscriptiones antiquas, vel numismata Romana aut Græca, vel certe rariores plantas inquirebam. solent vero Turcæ procul comportatis ingentib. saxis sepulchra suorum, alioqui inania, nulla injecta terra; tegere. ea quidem de caussa, ut malo dæmone accusante & rationem vitæ à mortuo exigente (nam ita credunt) defendente vero bono Genio, locus sit ubi mortuus sedere, & se caussæ commodius dicendæ possit erigere. idcirco vero gravis lapis injicitur, ut tutiora sint cadavera à canum, luporum, reliquarumque bestiarum injuriis: in quibus inprimis est hyæna, regionibus iis satis frequens, illa sepulchra suffodit, extrahitque cadavera, portatque ad suam speluncam: juxta quam videre est ingentem cumulum ossium humanorum, veterinariorum, & reliquorum omne genus animalium. Bestia est hyæna lupo aliquanto humilior; sed nihilo brevior: pellem habet lupi similem, nisi quod pilo sit horridiore & grandibus maculis nigris distinguatur, caput ei spinæ dorsi contiguum; sine ullis vertebris: ut cum respicere velit, totam se vertere necesse habeat. pro dentibus os habere dicunt continuum. in amatoriis ei vim magnam Turcæ, ut etiam veteres, tribuunt. cumque essent duæ eo tempore Constantinopoli, mihi tamen vendere gravabantur, quod se Sultanæ, hoc est, principis uxori, eas reservare dicerent, quippe quas philtris & magicis artibus animum mariti retinere, recepta in vulgus (ut dixi) opinio est. fallitur vero Bellonus, qui hyænam putat, quem Gattum sive felem Zibettum vocant. Jam ride

quantum lubet, si unquam risisti. fabulam audies, quam ex ore populi referam. Ajunt hyænam, quam ipsi *Zirtlan* vocant, sermonem intelligere humanum (veteres etiam imitari dixerunt) propterea que à venatoribus hunc in modum capi. accedunt ad ejus cavernam: quam ex ossium (ut dixi) cumulo deprehendi facile est. subit unus cum fune: cujus partem extremam sociis tenendam foris relinquit; ipse identidem pronuntians, *Ioctur Ioctur ucala*; illum se non reperire, illam non adesse, introrepit: at hyæna, quæ se latere nescitique ex ejus sermone putat, manet immota, donec sibi crus fune vinciatur; subinde venatore illam non adesse clamitante. deinde cum iisdem verbis retrocedit. sed ubi jam ex spelunca evasit, derepente clamore magno hyænam intus esse pronuntiat, quo illa intellecto, vehementi impetu, ut fugam capiat, nequicquam prosilit, venatoribus per funem, quo crus ei implicatum diximus, retinentibus. sic eam vel occidi, vel adhibita industria narrant, vivam capi. nam animal sævum est, & quod se impigre defendat. sed de hyæna satis. Veterum numismatum ibidem magnam passim copiam reperiebamus, præsertim posteriorum Imperatorum; Constantinorum, Constantium, Justinorum, Valentium, Valentinorum, Numerianorum, Proborum, Tacitorum, & id genus similium. quibus multis in locis Turcæ pro ponderibus utebantur, nimirum unius drachmæ vel dimidiæ; vocant *Giaur manguri*: ac si dicas, nummos paganorum sive infidelium. præterea multa erant vicinarum Asiæ civitatum Amysi, Synopis, Cumanorum, Amastris; & ipsius denique Amasiæ quo tendebamus nonnulla, in quo faber quidam æra-

rius

grarius mihi magnopere movit stomachum, à quo cum numismata requireremus; ingentem se aulam paucis ante diebus plenam habuisse narrabat: ex quibus lebetes æneos aliquot conflasset, quod nullum eorum aut usum aut pretium putaret esse. sane magno mihi erat dolori, tantum periisse antiquitatis. sed ego illum ita ultus sum, ut diceremus, me centum aureos pro iis, superessent modo, numeraturum. sic illum non minus amisso eo è faucibus bolo tristem à me dimisi, quam ille me ea vetustatis jactura commoverat. Plantarum quidem, qua iter faciebamus, nobis incognitarum non maxima copia occurrebat. pleræque eædem erant cum nostratibus: nisi quod pro ratione sibi lætius aut malignius proveniebant. Amomum, quod Dioscorides etiam in Ponto nasci scribit, nequicquam magno studio requisivimus: ut nesciam; stirps ne ea interierit an soluta verterit. Ancyram venimus, mansione à Constantinopoli, XIX. Est id oppidum Galatiæ Gallorum, aliquando sedes, Tectosagum Plinio & Straboni non ignotum: quamquam illud fortasse, quod nunc exstat, veteris oppidi pars tantum fuerit. Canones *Anquiram* vocant. hic pulcherrimam vidimus inscriptionem; & tabularum illarum quibus indicem rerum à se gestarum complexus est Augustus exemplum. id, quatenus legi potuit, per nostros homines transcribendum curavimus. exstat incisum ædificii, quod olim fortasse prætorium fuerat, diruti & tecto carentis marmoreis parietibus, ita ut dimidia pars intrantibus ad dextram, dimidia ad sinistram occurrat. suprema capita fere integra sunt. media lacunis laborare incipiunt. infima vero clavarum & securium ictibus ita lacerata, ut legi non

possint. quod sane rei literariæ non mediocre damnum, est à doctis merito deplorandum: idque eo magis quod urbem illam ab Asiæ communitate Augusto dicatam fuisse constet. hic etiam spectavimus, quemadmodum & tingeretur & affusa aqua vi preli undas illas acciperet, à quibus & nomen habet & commendatur, pannus ille cymatilis, è lana captarum, de quibus dixi, contextus. is optimus & præstantissimus habebatur, qui latissimarum undarum vestigia receperat, constanterque referebat. quod si qua parte undæ minores disparesque intercurrebant, quamvis idem color & eadem esset materia; tamen aliquot aureis, propter vitium, minoris æstimabatur. eo fere panno honestior inter Turcas senectus ornatur: neque vero Suleimannus in alio vestitu magis spectari se gaudet, quam cymatili; eoque viridi; colore nostris moribus ab ea ætate alieno, sed eum Turcis commendat religio, prophetaque eorum Mahumetes: cui is etiam ætate senecta usitatus & familiaris fuit. niger apud eos color vilis insaustusque habetur. itaque apparere ibi aliquem in veste nigra, fœdi scævique hominis est; adeo ut aliquando Bassæ nos cum veste nigra ad se accedere & mirarentur, & serio conquererentur: nec quisquam ibi cum nigro vestitu in publicum, nisi ærumnosus, prodit, quem vel insignis paupertas vel gravis aliqua calamitas premat: color purpureus egregius quidem, sed cædis belli tempore nuntius. auspicatiores; albus, luteus, cæruleus, janthinus, murinus, cæterique. nam Turcæ quidem non parum augurliis ominibusque: tribuunt. constat aliquando amotos ab officio Bassas propter equi lapsum ac si magni alicujus infortunii id portentum esset; quod abrogatione officii, à publica calamitate

mitate in caput privatum averruncaretur. Ancyrà venimus in pagum Balygazar. hinc in Zarekuct, mox in Zermec Zii, inde venimus ad ripam fluvii Halys. in pagum Algeos transeuntibus per hæc loca procul videbantur Synopi propinqui montes, rubricæ, quæ ab ea nomen habet, colorem referentes. hic est ille *Halys*, terminus olim regnorum Medi & Lydorum, de quo vetus fuit oraculum, fore ut eum transgressus Crœsus bellum Persis moturus maximum imperium everteret, sed (quod eum fefellit) suum. Erat ad ejus ripam silvula: quam primo. ut ignoti fruticis, mirati sumus, sed mox deprehendimus glycyrrhizam esse, cujus radicum succo nos affatim explevimus adstabat forte ibidem homo rusticanus: ex quo per interpretem quæsivimus, num is fluvius piscibus abundaret, & quemadmodum caperentur. respondit ille, piscium esse satis, sed capi non posse. cumque id miraremur; si quis, inquit, manum injicere conetur, illi se propipiunt, neque captantem expectant. & jam ante cum in aves nobis incognitas incidissemus, eaque de causa, quomodo capi possent, interrogassemus, alius nescio quis capi negavit; quod avolarent si quis capere conaretur. Habebat alter e meis collegis Franciscus Zay retia, quæ mox ad piscationem expediri jussit. capti cum alii pisces, tum frequens Danubio silurus. multi præterea in eo flumine canceri marini, aut certe marinis perquam similes. Turcæ qui aderant, tantam Christianorum industriam satis nequibant mirari. Quid ergo? inquies; nulline sunt in Turcia piscatores? sunt sane. sed in illis locis oppido quam pauci. ac memini alio loco magno cachinno rideri nos, cum piscículos, quos vulgo fundulos vocant, deducto rivo captaremus. quid enim tam minutum

piscem sectaremur? quem usum aut fructum ex eo speraremus? neque fatui animadvertebant, ex magna horum piscículorum copia ingentes nobis ſtruices patinarias concinnari: quæ multis hominibus satiandis ſuppeterent. ſed ea est eorum frugalitas, gulæ minime ſtudentium: quibus si sal sit & panis, alliumque aut cepa aut acidi lactis genus, Galeno non ignoti, quod ipſe Oxygalam, isti *Iugurtham* dicunt, nihil requirant præterea. lac illud diluunt aqua frigidiſſima, panemque interunt: eoque utuntur in magno æſtu & siti. cujus sane utilitatem nos quoque in magnis caloribus sæpe experti sumus. cibus is cum palato & ventriculo gratiſſimus est; tum ad extinguendam vehementiorem ſitim vim habet admirabilem. magna ejus copia paſſim venalis est, ubicunque sunt *Caravaſciarai*. hoc est (ut dixi) Turcarum diverſoria, quemadmodum & aliorum obſoniorum. nam Turcæ calentes cibos aut carnes, dum peregrinantur, non desiderant. obſonia sunt ista: oxygala, caseus, ſiccata pruna, pyra, perſica, cydonia, ficus, uvæ paſſæ, corna. hæc omnia exponuntur in magnis fictilibus ſcutellis, ex aqua pura cocta. unuſquiſque, quod magis arriſerit, sibi comparat, veſciturque illis fructibus cum pane pro obſonio. quibus abſumptis, aquam, quæ ſupereſt, vertit in potum. sic illis minimo impendio cibus & potus conſtant, adeo ut affirmare ausim, unum aliquem noſtratem majorem ſumptum in cibos facere uno die, quam Turca faciat duodecim. quinimo ſollemnes eorum epulæ fere non sunt niſi è libis, placentis, & reliquis dulciariis; item orizæ multis ferculis. huc caro vervecina & gallinæ accedunt. nam capus, animal adhuc ignotum est Turcis. Phaſianorum vero, turdorum, ficedularum, & ſimi-

similium, ne auditum quidem nomen. ad aquam, quam bibunt si mel aut saccarum admisceatur, Jovi non invideant suum nectar. Unum tamen potionis genus, ne quid indictum relinquam, non prætermerim. capiunt uvam passam, eam molâ subigendam curant; ita subactam & contritam injiciunt in vas ligneum: deinde superfundunt certam portionem calentis aquæ; miscentque: & tecto diligenter vase patiuntur fervere uno atque altero die. quod si remissius quam opus sit ferveat, adjiciunt vini fecem. primo ubi fervere cœperit, si gustes, insipidum quiddam & nimia dulcedine odiosum videatur. postea accedit nonnihil acidi saporis: quod dulci mixtum vehementer palato blanditur. itaque tribus aut quatuor diebus ea potio est gratissima, præsertim ubi multa nive, quæ Constantinopoli nullo tempore desit, fuerit refrigerata, *Arab Sorbet* vocant, hoc est, potionem Arabicam. sed ea diutius servari non potest. mox enim plane acescit. tentat caput, pedesque non minus quam vinum: ideoque Turcarum religione damnatur: hoc genus potus fateor mihi non displicuisse. quemadmodum etiam mire me nonnunquam refecit uva, quam multis locis in æstatem servant, ejus vero, ut ex ipsis audivi, hæc est ratio conservandæ: accipiunt uvam grandioribus acinis, bene maturam: quod ab illius regionis sole facile præstari potest. illam collocant in vase ligneo sive fictili, substrato prius in fundo vasis multo semine sinapi mollito; cui uvas imponunt; stipantque conspersas subinde eadem sinapi farina. postremo uva ad oram vasis ita perducta, injiciunt mustum quam recentissimum, implentque: ac postremo claudunt. atque ita manere patiuntur donec tempus anni sitim adducat; siccitatis-

que & caloris remedia poscat. tunc vas relinquunt; uvamque proponunt venalem, una cum jure. neque vero minus eo delectantur Turcæ quam ipsa uva. mihi sapor ille sinapi placere non poterat. itaque curabam diligenter eluendam uvam: utebarque in magnis caloribus summa cum jucunditate & fructu. præposteri Ægyptii hortorum suorum olera, quorum beneficium senserant, pro deis adorabant: ne mirare, si ego illa quæ mihi profuerunt, grata memoria apud te celebro. sed tempus in viam monet redire. A ripa fluminis Halys (Turcis *Aitoczn* dici puto) venimus ad Gonkurthoy. inde Choron; post in The Ke Thioi. hic multa didicimus a monachis Turcicis, quos *Dervis* vocant, qui eo loco insignem habent ædem, de heroe quodam Chederle summa corporis atque animi fortitudine, quem eundem fuisse cum nostro D. Georgio fabulantur; eademque illi ascribunt quæ huic nostri; nimirum vasti & horrendi draconis cæde servasse expositam virginem. Ad hæc alia adjiciunt multa, & quæ libitum est, comminiscuntur; illum per longinquas oras peregrinari solitum, ad fluvium postremo perveniisse; cujus aquæ bibentibus præstarent immortalitatem. qui quidem fluvius; in qua parte terrarum sit, non dicunt; nisi fortassis in Utopia collocari debet: tantum affirmant illum magnis tenebris multaque caligine obductum latere; neque cuiquam mortalium post Chederlem, uti illum videret, contigisse: Chederlem, vero ipsum montis legibus solutum huc illuc in equo præstantissimo, qui similiter ejusdem aquæ hausta mortalitatem exuerit, divagari: gaudentem prœliis, adesse in bello melioribus aut iis qui ejus opem imploraverint, cujuscunque tandem sint religionis. quæ cum sint ridicula,

dicula, tum istud magis majorem risum meretur; illum fuisse unum de comitibus & amicis Alexandri magni. nullam habent Turcæ temporum neque ætatum rationem, mireque historias omnes miscent & confundunt: cum iis in mentem veniet, non verebuntur affirmare, Regis Salomonis magistrum curiæ fuisse Jobum; ejus exercitus præfectum Alexandrum Magnum, aut his etiam absurdiora. est in ea *Moschea* (sic Turcæ vocant sua delubra) fons aquæ purissimæ, eximio marmore constructus. hunc credi volunt initium duxisse ex Chederlis equi lotio; quod in eo loco profuderit. narrant præterea multa de Chederlis comitibus, de stabulario ejus, deque nepote ex sorore, quorum sepulchra vicinis locis ostendunt: ubi multa quotidie opem illorum invocantibus divinitus beneficia conferri persuadere nobis conabantur. quinimo ramenta lapidum & terram ipsam, ubi constiterat Chederles, dum præstolaretur draconi, in potu sumptam adversus febrem doloremque capitis & oculorum prodesse eadem superstitione commemorabant. sunt autem omnia ea loca draconum viperarumque plena: ita ut nonnulla, adultis calotibus, propter multitudinem apricantium ferarum, hominibus inaccessa sint. Ne hoc quidem prætermittam, Turcas magno cum risu spectare in Græcorum templis D. Georgium, quem (ut dixi) suum Chederlem esse volunt, ita in tabellis depictum, ut illi puer ex equi clunibus, in quibus post dominum sedet, vinum misceat ac ministret. hoc enim habitu passim divus Georgius à Græcis pingitur. Sed jam prope est ut ex longo itinere conquiescamus. ab hoc loco mansio una tantum interfuit, nimirum Bagliſon, ut veniremus Amasiam, quam quidem attigimus

mus trigesimo die postquam discesseramus Constantinopoli, Aprilis septima, venientibus aliquot occurrerunt Turcæ, qui gratularentur adventum, & honoris caussa deducerent. Amasia urbs fere præcipua est Capadociæ: præfectusque ejus provinciæ ibi jus dicere, & stativa castra habere solet. sed nescio quid infaustum ea sedes jam à Baiazetis temporibus habere visa est, & nunc miserabilis Mustaphæ casus comprobavit. Strabo eam patriam sibi fuisse scribit. jacet sub adversis collibus ad utramque transfluentis Iridis ripam (nam is urbem mediam secat) sic ut fere tanquam ex theatri gradibus undique ex locis declivibus despectus in flumen, unaque pars alteri tota pateat & conspicua sit. collibus quidem ita cingitur, ut una tantum via curribus aut jumentis aditum & exitum præbeat. Qua nocte eo venimus, magnum fuit incendium: quod Gianizari suo more vicinarum ædium ruina exstinxerunt, optanda certe Turcicis militibus sunt incendia. nam cum eorum opera, nec fere nisi contiguarum ædium (ut dixi) ruinâ restinguatur; non modo, quorum domus conflagrant, bona rapiunt, verum & contiguarum: itaque illi ipsi sæpe ignem occulte subjiciunt, ut furti occasio nascatur. quemadmodum, cum essem Constantinopoli, fieri memini. nam pluribus ortis incendiis cum satis constaret ea non esse fortuita, neque tamen auctores deprehenderentur; vulgo in exploratores Persicos culpa conferebatur. sed tandem diligentiore habito examine socios navales, qui erant eo in portu, suscitasse compertum est, ut obtentu incendii furandi occasionem haberent. In colle, qui editissimus Amasiæ imminet, arx est non contemnenda; quæ perpetuo præsidio Turcico tenetur, seu contra

Asiæ

Afix populos imperio Turcarum non nimis æquos (ut dicam postea) seu contra Persam: qui huc usque excursiones aliquando fecit intervallo sane maximo. in eo colle sunt non pauca veterum monumentorum vestigia, fortassis ipsorum Cappadociæ regum. cæterum nec domus nec plateæ Amasianæ pulchritudine ulla visendæ sunt. domus ex argilla, eadem fere ratione qua in Hispania, ædificatæ. quinimo ipsum domus tectum argillaceum planum est & sine ullo fastigio. columnæ alicujus veteris fragmentum habent pro cylindro, quo huc illuc impulso, si quid in tecto pluvia vel vento luxatum est, denuo stipetur æqueturque. in iis tectis incolæ, tempore æstatis, sub dio somnum capiunt. pluviæ in locis nec magnæ nec frequentes: sed tamen, si quando sunt, stillante passim ex tectis luto prætereuntium vestes sordibus valde contaminantur. Vidi ibi in vicinia nostra juvenem quendam Satrapem, more veterum de lecto cœnantem. Venimus Amasiam, ad supremum Bassam Achmat reliquosque salutatum ducti sumus. nam princeps ipse aberat; egimusque de mandatis quæ habebamus à Cæsare. Bassis ne causæ nostræ statim viderentur iniquiores, haud admodum adversantibus, & totam rem ad principis sui voluntatem rejicientibus. qui postquam venit sumus ad eum introducti. sed ille nec orationem, nec rationes nostras, nec mandata animo aut fronte satis benigna suscepit. sedebat ipse in solio perquam humili, ab humo haud altiore uno pede. erat illud instratum pretiosissimi plurimaque veste stragula, pulviniisque exquisito opere elaboratis. juxta erant. arcus & sagittæ. frons (ut dixi) minime læta, tristisque in vultu sed tamen plena majestatis severitas. singuli, ut ingressi sumus,

ad

ad eum à cubicularijs ejus deducti sumus, brachia nostra tenentibus. ita enim fert eorum consuetudo ab eo tempore, quo Croata quidam, in vindictam domini sui interfecti Marci despotæ Serviæ, petito colloquio Amuratem occidit. posteaque veluti deosculata ejus manu ad parietem oppositum cessim ita sumus reducti, ne illi tergum aut ullam posterioris corporis partem obverteremus. tunc ea me, quæ volui, dicentem audivit. sed cum exspectationi ejus non responderent (erant enim Cæs. Majestatis postulata plena dignitatis & libertatis; ideoq; ab eo, qui sibi nihil negari debere putabat, minus æquis auribus accipiebantur) veluti fastidiens, nihil aliud respondit, quam *Giusel, Giusel*: hoc est, pulchre, pulchre. ita sumus domum dimissi. erat ejus aula perquam frequens. aderant magnis muneribus præpositi multi. aderant prætoriani equites omnes Sphai, Garipigi, Ulufagi. Gianizarorum magnus numerus. sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex suis virtutibus & fortibus factis; natalibus nemo à reliquis distinguitur: honos cuique pro muneris & officii, quod administrat, ratione defertur: nullum ibi de loco certamen; muneris, genus quo fungitur, suum cuique locum assignat. munera vero & officia princeps ipse distribuit. in quo non divitias non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cujusquam aut multitudinis judicium moratur, sed merita considerat, sed mores ingeniumque atque indolem intuetur. ex sua virtute unusquisque ornatur. Ita muneribus, qui sunt ad ea obeunda idonei, præficiuntur. suos ibi quisque natales, suam fortunam, quam fingat pro arbitrio, in manu habet. qui rerum primas à principe tenent, fere sunt pastorum aut bubulcorum filii; de quo tantum abest

ut

ut eos pudeat, etiam inter se gloriantur; eoque plus sibi tribuunt, quo minus majoribus aut natalium fortunæ debent. neque anim aut nasci aut propagari traducive virtutem, putant: sed partim à deo dari, partim bona disciplina multoque labore & studio comparari: utque paternam artem nullam, non musicam, non arithmeticam, non geometriam: sic nec virtutem ad filium aut hæredem transire: nec animum ex semine paterno suscitari, ut filium patris similem nasci necesse sit; sed cœlitus in corpus infundi credunt. sic ea ingente dignitates, honores magistratus vitutum & meritorum præmia sunt: improbitas, ignavia, inertia nullo honore pensantur jacent contemnunturque. Ergo illi rebus gestis florent, dominantur, imperii finesquotidie proferunt. apud nos aliis vivitur moribus, virtuti nihil est relictum loci: omnia natalibus deferuntur; opinione natalium omnes honoris aditus occupantur. sed de his rebus alias fortasse plura: & hæc ipsa soli tibi dicta existimato. Nunc ades & mecum maximam multitudinem turbinatorum capitum specta, multis candidissimæ bombycinæ telæ spiris involutorum, nitidissimum ex omni genere & colore vestitum, fulgentia omnia auro, argento, purpura, serico & holoserico longum esset omnia persequi: nec tamen liceret spectaculi novitatem dicendo consequi. nihil unquam vidi, quod jucundius oculis occurreret, In tanto tamen luxu, magna simplicitas & parsimonia: vestium omnium cujusque ordinis una forma: nihil limborum, nihil nugarum, ut apud nos solet assuitur; quod magno constat, & tridno deteritur. pulcherrimæ illic vestes sericæ, holosericæ; vel adeo palmatæ; quibus utuntur plurimis. manupretium est ducatus. illi nostram

ſtram veſtiendi rationem non minus mirabantur, quam nos illorum. veſtitu utuntur prolixo & fere ad talos demiſſo. qui ut eſt honeſtior ita proceritatem eis conciliare videtur. veſtitus contra noſter adeo curtus & brevis, ut eas partes aperiat, quas natura latere voluit; eaque re parum decorus; huc accedit quod, neſcio qua ratione, demere aliquid de ſtatura & brevitatem addere videtur. In primis vero in tanta multitudine, ſilentium & modeſtia non mediocrem mihi laudem mereri videbantur. nullæ ibi voces, nullum murmur, quale incompoſitæ multitudinis eſſe ſolet: nulla concurſatio. ſumma quiete quiſque ſui ordinis locum tuebatur. ſedebant ſumma capita, quæ ipſi *Aga* vocant; præfecti, chiliarchæ, tribuni, centuriones. reliquum vulgus ſtabat. digna erant præcipue quæ ſpectarentur, aliquot Gianizarorum millia; qui longo ordine ſejuncti à reliquis tam immoti ſtabant, ut me diu judicii incertum redderent homineſne eſſent an ſtatuæ. aberant enim aliquanto à me longius. donec, ut eos ſalutarem, ſicuti mos eſt, admonitus, ſimul omnes ut ſalutem redderent, capita inclinantes viderem. Poſtquam inde ſumus digreſſi, magno denuo cum voluptate ſpectavimus equitem prætorianum, domum redeuntem, in equis non pulcherrimis tantum & præſtantiſſimis, ſed etiam egregie cultis & ornatis. ita nos quidem cum exigua ſpe quicquam eorum, quæ poſtulabamus, obtinendi diſceſſimus. Venerat Maii decima orator Perſicus: ſecumque attulerat multa & præclara munera, periſtromata melioris notæ, tentoria Babylonica, variis intus coloribus acu depicta, phaleras & ephippia exquiſiti operis, gemmis ornatos à Damaſco acinaces, & mira elegantia clypeos. ſed omnia ſuperabat

rabat Alcoranus. qui liber continet eorum ceremonias legesque, quas divino instinctu afflatum Mahumetem tulisse credi volunt. cujusmodi munus magno est apud eos in honore. Persarum oratori pax illico data; quo nobis, quibuscum plus futurum videbatur negotii, major cura injiceretur. Erga ipsum vero oratorem nullum honoris genus prætermissum, ut nos de veritate pacis minus dubitaremus. Cæteroqui (ut dixi ante) in utramque partem Turcæ solent esse immodici, sive honorē amicis deferant, sive hostes per contumeliam dedignantur. Halli Bassa Visiriorum secundus, Persis prandium dedit in hortis, quem in locum, quanquam à nobis interposito fluvio satis longe, dissitum tamen prospectu penetrare poteramus. ita enim loci situs declivitasque ferebat, ut dixi, ut nullus esset fere ea in urbe locus, quo non ultro citroque conspectus pateret. est vero Halli Bassa natione Dalmata, vir eleganti ingenio, & (quod in Turca mirandum) in quo nihil desideres humanitatis. sub velo mensam inumbrante Bassæ una cum oratore accubuerant. mensæ ministrabant centum juvenes, pari eodemque omnes vestitu: epulasque hoc ordine mensæ inferebant. Procedebant primum paribus distantes spaciis ad mensam usque ubi accumbebant convivæ, vacuis manibus, quo nihil salutationem impediret, quæ positis super femora manibus flexisque in terram capitibus fiebat. qua salutatione perfuncti, qui culinæ proximus constiterat, acceptos lances proximo tradebat, ille tertio: tertius quarto, ac sic deinceps; donec ad eum pervenirent, qui stabat mensæ proximus, de cujus manu acceptas architriclinus mense apponebat. sic centum aut eo plura fercula sine tumultu in mensam

(ut

(ut ita dicam) influeba nt. quo facto juvenes illi convivas denuo venerati eodem quo venerant ordine, regrediebantur: nisi quod, qui ultimi fuerant, in recessu primum locum tenerent; & qui mensæ proximi steterant, nunc ipsum agmen clauderent. eadem ratione reliqua etiam in mensam inferebantur. adeo Turcis, vel ubi parvi refert, ordinem esse placet, quem nos in rebus quantumvis gravibus negligimus. haud longissime ab oratoris mensa ejus comites Turcæque epulabantur. Pace (ut dixi) cum Persis confirmata, nihil nos quod quidem æquitatis speciem haberet, à Turcis potuimus impetrare. tantum de semestrib. induciis dum deferri responsum referrique posset, inter nos convenit. Veneram ordinarii oratoris loco futurus. sed cum nihil etiamnum esset de pace confectum; visum est Bassis, ut cum litteris Suleimanni ad Regem meum abirem; ad quas, si ei videretur, responsum referrem. ita denuo ad principem introducor. injiciuntur mihi palmatæ duæ, amplæ, talares: quibus vix par eram ferendis. meis quoque famulis omnibus donantur diverfi coloris vestes fericæ, quibus induti me comitabantur. procedo cum hac pompa, veluti Agamemnonem aut similem aliquem in Tragœdia acturus: & principem, acceptis ejus litteris, panno aureo tectis & obsignatis, valere jubeo. ex famulis quoque honestiores salutatum ad eum admissi. postremo Bassis similiter salutatis, discedo Amasia una cum collegis postridie Kal. Junias. Mos quidem est, ut discessuris oratoribus prandium in Divano (sic illi vocant locum ubi Bassæ jus dicunt) præbearur; sed amicis. nostræ res nondum erant pacatæ. De Suleimanno fortasse, qualis mihi visus sit, requires. Ætate jam est ingravescente: oris dignitate totiusque corporis

poris habitu tanta imperii magnitudine digno: frugi & temperans semper habitus; etiam cum per ætatem Turcarum instituto peccare, citra reprehensionem, posset. nam ne in adolescentia quidem aut vino se dedidit, aut fœdis puerorum amoribus indulsit. quæ fere Turcarum deliciæ sunt. nec quicquam illi etiam ab iniquioribus objici gravius potest, præter animum nimis uxorium, ac proinde in morte Mustaphæ fortassis etiam incautiorem: quod vulgo poculis amatoriis & incantationibus imputabatur uxoris. quam quidem postea quam in justæ uxoris locum duxit, satis constat nullam eum postea pellicem, tametsi per leges nihil prohiberetur, attigisse. Religionis ceremoniarumque suarum custos severissimus, nec minus illarum, quam imperii propagandi, cupidus: pro ætate (nam ad sexagesimum annum jam accedit) satis integra utitur valetudine: nisi quod coloris vitium, latentis alicujus mali inditium est. ulcus immedicabile sive gangrænam in crure esse in vulgus creditum est. sed ille coloris, quod dixi, vitium fuco inductoque genis purpurisso corrigit quoties oratores cum magna bonæ valetudinis suæ opinione vult dimissos. quod quidem eo pertinere putat, ut eum externi principes valentem & robustum magis reformident. cujus etiam rei non obscura indicia tum deprehendi. neque enim, cum parum diverso vultu abeuntem me dimisit, ab eo quo venientem exceperat. in summis Iunii caloribus itineri nos dedimus, quos cum non ferrem, statim in febrem incidi, remissam quidem & lentam, tamen continuam: ad quam capitis gravedo & catharrus adjungebatur. ea me Constantinopolim usque persecuta est: eodem die, quo nos discessimus, orator quoque Persicus

Amasiam

Amasiam reliquit; eadem via profectus. una enim est, (ut dixi) qua sit aditus atque exitus ex ea urbe, asperitate circumjectorum collium à reliquis partibus itineris commoditatem excludente. sed ea via mox in duas scinditur: quarum una in orientem ducit, quam Persæ; altera in occidentem, quam nos tenuimus. Amasiæ egressis videre erat passim circumcirca per latos campos explicata Turcarum castra multis referta tentoriis. hic non puto mihi faciendum, ut narrando reditu pluribus te morer; cum fere per eadem loca easdemque mansiones reditus fuerit, per quas fuerat accessus: nisi quod aliquanto celerius redierimus, atque aliquot dierum itinere duplicaverimus. Itaque venimus Constantinopolim die Iunii vigesima quarta, quod iter quam mihi grave acciderit febre continua laboranti, tibi cogitandum relinquo extenuatissimus redii: posterius tamen quietem nactus, auxilio balneorum tepentis aquæ quibus auctore medico meo Quaquelbeno sum usus, facile vires amissas recuperavi. idem me è balneo exeuntem frigida perfundebat: quæ res etsi erat molesta, tamen magnopere juvabat. Dum essem adhuc Constantinopoli, quidam è castris Turcicis reversus narravit; (nec me pigebit adscribere, quod magno argumento sit, quam populi illi Asiatici religionem imperiumque Othomannorum gravate ferant) redeuntem Suleimannum usum fuisse hospitio hominis cujusdam Asiatici, inque illius domo pernoctasse. at illum, ubi princeps migrasset, lustralibus aquis multoq; suffitu, & certo ceremoniarum ritu, domum suam ut polluta m& contaminatam contagione talis hospitis expiasse. quod ubi Suleimanno innotuisset; jussisse hominem interfici domumque

que solo æquari. sic ille magnas aversi à Turcis propensioriſque in Persas studii pœnas dedit. Constantinopoli ad quatuordecim circiter dies moratus, dum me reficio; iter ingredior Viennam. sed initio, ut dicam, non satis auspicato. egresso Constintinopoli statim occurrerunt plaustra puerorum puellarumque, quæ ex Hungaria Constantinopolim venales ducebantur. quo genere mercis nullum frequentius. neque aliter quam Antverpia exeuntibus variæ mercium sarcinæ solent occurrere; nobis subinde obviam fiebant omne genus misera mancipia Christiana, quæ in diram servitutem abducebantur; juvenes provectioresque ætatis homines gregatim agebantur, aut ita catena illigati, quemadmodum apud nos venales equi, longo ordine trahebantur. Quæ cum viderem vix lacrymas tenebam, & infelicem populi Christiani conditionem miserebar. hoc si satis non est, ut inauspicato iter ingressus videar, accipe aliud. commendarant mihi collegæ quosdam de suo comitatu, longioris in Turcia moræ impatientes, ut eos mecum reducerèm. cum his ergo bidui iter progressus, video qui inter eos erat caput, quemque ab officii nomine Veivodam vocabant, ferri in curru, ægrotum nudato pede; in quo pestilentem anthracem habebat, doloris allevationē hac ratione quærens, ea res nos omnes quidem vehementer commovit, verentes ne hic morbus, ut solet, latius serperet. neque diutius cum hoc morbo est conflictatus, quam dum Hadrianopolim, quæ non longe aberat, veniremus. quo ex loco migravit ad plures. ecce hic aliud ex alio malū. reliqui Hungari in mortui exuvias involant: alius caligas, alius thoracē, alius, ne quid periret, interulā, alius lintea mina arripit; neq; prohiberi possunt quin

se

se nobiscum una in apertissimum periculum conjiciunt, circumcursabat medicus, perque Deum obtestabatur, ne illa tangerent, ex quorum contagio certum paratum esset exitium sed surdis canebat. ergo altero, quam Hadrionopoli discesseramus, die illi iidem frequentes medicum meum circumsistere; adversus capitis dolorem totiusque corporis gravitatem cum animi quadam tristitia & dejectione conjunctam remedium petere; pestis esse initia suspicari hic medicus: non se frustra monuisse; habere eos quod tantopere expetivissent; nolle quidem iis deesse: sed quam facultatem rebus omnibus necessariis in itinere destituto dari? eo ipso die cum ambulatum, uti mos meus erat, simul ac in hospitium veneram, si quid forte dignum cognitu reperirem, prodiissemus: in prato quodam herba incognita sese mihi offerebat. ex qua folia decerpta cum naribus admovissem, odoremque allii percepissem, medico, si forte cognosceret, in manus dabam. quam ille diligentius inspectam scordion esse pronunciat, sublatisque in cœlum manibus Deo gratias agit, quod nobis remedio tam opportuno adversus pestem subvenisset: dehinc vim magnam colligit, eamque in grandem ollam conjicit, ignique admovet ut decoquatur: Hungaros bono animo esse jubet, atque in eos decoctum hoc partitur; ut jam cubitum ituri bene calens cum terra Lemnia electuarioque diascordii sumant; monetque ne somnum ante capiant, quam sudorem multum sudarint. qua re observata, illi postridie redeunt; sibique melius esse narrant. eandem potionem denuo flagitant, qua hausta plane convalescunt. sic nos Dei benignitate terræ illius luis metum effugimus, sed ne sic quidem, quod

quod erat itineris reliquum, sine incommodo conficere potuimus. transmissis jam Thracibus & Bulgaris, qui in Nissam extenduntur: item Servianis, qui à Nissa Simandram usque pertinent, ubi Ratziani incipiunt, perveneramus Belgradum, per æstum & calores intentissimos, Leone nimirum & Canicula furentibus. offertur nobis eo in loco, die, quo nobis piscibus vesci statum erat, ingens optimorum piscium copia: inter quos erant magna proceritate plurimoque abdomine cyprini, in Danubio (quod genus maxime commendatur) capti. quibus dum mei avidius sese inferciunt; sive ea causa fuerit sive occasio, complures in febrim incidunt. ea omnis piscium copia quæ satiandis XL. hominibus satis fuit, dimidiati taleri pretio constitit. sic reliquæ fere res parvo veneunt. fœni imprimis nullum pretium: sumere cuique licet è plenis campis, quantum velit; secandi modo labor & vectura imputantur. quo magis admirati sumus, cum Sauum trajecimus, priscorum Hungarorum judicium, qui Pannoniam, felix omnium rerum copia domicilium, sibi delegerunt. Magnum spacium terrarum emensi eramus, cum trans mare tam citra, quo tamen nihil præter torridum & exile & tantum non aridítate enectum gramen, ordeum, avenam triticumq; videramus. at Hungariam ingressis illa altitudine gramen fuit, ut præcedentem currum sæpe posterior non videret. quæ res magno erat argumento bonitatis soli à Simandria (ut dixi Ratziani incipiunt, pertinentque ad Dravum fluvium: genus hominum bibulum, nec, ut putant, satis fidum, qui autunde nomen aut originem traxerint, mihi incompertum, plenam certe studii voluntatem nobis ostendebant. per eorum aliquot ignobilia loca, veni-

venimus Effek sæpe magna ex parte luto inducta clausum, nobile clade Katzianeri & nostri exercitus internecione oppidulum. hic me corripuit febris tertiana, vim caloris fere nequeuntem, quo per apertos & patentes Hungariæ campos torrebamur. ab Esseck transmisso Dravo venimus in Lasquen: ubi cum fessus de via æstuque & febre confectus quieti me dedissem, adveniunt interea ejus loci decuriones ut adventum gratulentur; afferuntque grandissimos pepones pyraque & pruna varii generis; vinum præterea & panem; omnia sane exquisitissima, quibus nescio an quicquam melius ferat illa decantata & ab ubertate soli tantopere celebrata Campania; his oneratur longa mensa in cubiculo ubi quiesco. Hungaros ad cœnam mei retinent; quod ad me non admitterentur, morbum excusantes. ubi expergiscor; conjicio oculos in illam mensam, incertus an vigilans an per insomnium, mihi cornucopiã videor videre: donec medicum unde illa sint, percunctor. narrat ille se eo loco exponenda curavisse, ut saltem adspectu recrearer. num gustare liceat, rogo. non prohibet, dum gustentur modo. sio scissis omnibus & leviter degustatis, non leviter recreatus sum. postridie adsunt Hungari: sua officia deferunt: seque Cæsari, conquesti de vicinorum nonnullorum injuriis, commendant. hinc venimus in Mohacz, funestum clade Ludovici regis Hungariæ locum. vidi non procul ab eo municipio rivulum valde depressum & profundum præruptis ripis: in quem cum equo delapsus, periit. infelix juvenis! qui nescio imprudentiore an in auspicatiore consilio cum exigua militum tum ultuariorum & magna ex parte rusticorum inermium manu, contra ingentes easdemque exercitatissimas Suleimanni

copias

copias stare non dubitarit. Ex Mohacz veni Tulnam, ex Tulna Felduar. inde trajeci in insulam Danubii, bene magnam, quæ à Ratzianis incolitur: *Cophin* vocant. unde rursus trajecto Danubio veni Budam 11. die postquam Belgrado profectus eram Augusti 1v. multis in eo itinere amissis equis, pastu recentis ordei & aquæ frigidioris potu suffocatis: multis item elapsus periculis propter latrocinia, quibus totus ille tractus infestatur, præsertim ab heydonibus. qua de re postmodum constru- indicio quorundam, quos Bassa. Budensis supplicio affecit: qui fassi sunt se in alveo lati torrentis, cui pons erat impositus pessime constitutus, ut nos ex insidiis adorirentur, delituisse. nihil est minoris negotii; quam plures à paucioribus in hujusmodi pontibus circumveniri. cum enim propter vitium pontium hiantesque rimas sive lacunas non possis sine magno equi lapsus periculo, quantumvis advertas, incedere; si sint à fronte qui occurrant, aliique à tergo instent; latera vero infestentur ab iis, qui pugnant ex alveo, & in fruticibus uluaque abduntur, cum propter vitium pontis in equo vix te movere queas, non est dubium, quin pejus quam illi quondam in furcis Caudinis capi vel occidi possis. Mihi tamen non constat, an multitudo nostra; an conspectus Hungarorum, quos habebam mecum, an quod longo agmine incederemus, neq; eodem tempore omnes in ponte consisterem us, an quid aliud eos terruerit. quicquid id vero fuerit, Dei gratia incolumes venimus Budam: quo in loco Bassa non offendimus. tendebat è regione in Campis probe Pæstum. ubi, more Hungarorū, comitia militaria habebat: *Racos* vocant: aderant complures vicini Singiacci: nonnulli expectabantur. ea causa cum, admitti ad

eum postularem, in diem tertium sum rejectus: quo major esset Singiaccorum & militum frequentia. arcessitus, trajicio in ejus castra. multa conquestus est de Hungarorum quorundã injuriis. Est hoc omnino utriq; genti commune non minus Turcis quam Hungaris, ut cum ipsi injuriam fecerint, ultro expostulent. addidit etiam vindictæ minas: & fortasse præsentis terrore exercitus, se multum proficere arbitrabatur. respondi paucis, quam ille culpam in Hungaros conferret, justius Turcis assignari. me vel in itinere incidisse in ejus milites, qui fortunas miserorum Christianorum R. M. colonorum ferrent agerentque; quemadmodum acciderat. respondebat, se quosdam contumaces Christianos domino suo subditos puniendos diripiendosque militibus objecisse. post hujusmodi altercationem, ego ab illo dimissus sum propemodum enectus cum eo die me febris accessio premeret: altero iter Strigonium prosequimur, accepto aliquot equitum Turcicorum præsidio. Erat mihi animus transmisso Dauubio, pernoctare in pago, qui est in adversa arci Strigonio ripa, quo postridie maturius Commaronium pervenirem; atque ita febrem eo die (ut putabam) redituram facilius tolerarem. ideo ducem nostrum, ut aliquis qui pontonem in hanc ripam traduceret, mitteretur rogabam, quo celerior esset trajectus. id tametsi fieri pluribus de causis vix poterat; tamen partim quo mihi satisfaceret, partim quo Singiacco adventum meum significaret, duos præmittit. Cum illi unius horæ spatio jam præcessissent; vident adstare equites IV. sub umbra arboris paulum extra viam. illi Turcas rati, quod erant eo habitu, deflectunt. accedunt propius, percunctantur num iis locis satis pacata sint

omnia

omnia, illi nihil respondent, sed strictis gladiis faciunt in eos impetum, uniq; vulnus in adversum os infligunt; quo nasum ita incidunt, ut major pars in mentum propenderet. quo facto, equum, quem loro ducebat, arripiunt: cui unus insiliens suum macilentum & nullius pretii pro illo relinquit. qua permutatione facta, capessunt fugam, at Turcæ magno cum ejulatu, & fœdo spectaculo ejus qui vulnus acceperat, ad nos se recipiunt: monemurque ut ad pugnam parati simus, quo detectas insidias perrumpamus, ego quoque in equum, quo meis animum adderem, inferor. sed sero, jam depugnato prælio, venimus. illi de præda quam erant nacti conservanda magis quam de pugna soliciti, præcipiti fuga Giaurinum nostræ ditionis oppidum, cujus erant præsidiarii, repetebant. Turcæ eos nobis procul stendebant cursu colles vicinos, qua itur Giaurinum, transmittentes. Ita ventum est Strigonium, ubi postero die humaniter me Singiaccus convenit, monetque inter cætera, meminerim insolentiæ militum Hungaricorum: quos ne præsentiæ quidem meæ R. M. oratoris reverentia, quo minus ingenio suo uterentur, retinuisset: darem operam ut equus qui esset abductus reduceretur. Stabat interim meus Turca, qui vulnus acceperat, in ejus atrii angulo, capiti obvoluto, ob consutum nasum, raucum & miserabile quiddam sonans; postulansque, ut casum suum munere aliquo consolarer. dixi daturum quod sanando vulneri esset satis. Dedi itaque duos aureos ducatos. ille petebat amplius. sed eum Singiaccus repressit, idque illi sanando satis superque esse confirmavit; fatale ejus infortunium non debere in me transferri. Ita dimissus venio eo die Commaronium.

ubi cum diu ſtato ſuo tempore meam febrim exſpectaſſem; illâ poſtremo me liberatum ſenſi, neque auſam fuiſſe Turcicam febrim in fines Chriſtianorum tranſire. Itaque Deo egi gratias, qui me & morbi & longæ difficiliſque peregrinationis moleſtiis eodem tempore liberaviſſet. Biduo poſt veni Viennam: ubi Romanorum Regem Ferdinandum dominum meum clementiſſimum non inveni. eſt Viennæ ejus loco Rex Bohemiæ Maximilianus, cujus humanitas præteritorum laborum memoriam magna ex parte mihi abſtulit. Cæterum ita etiamnum ſqualore & macie extenuatus ſum, & itineris morbi incommodis, ut multi ſuſpicentur mihi infuſum à Turcis venenum. Nuper certe, cum hic eſſet Ferdinandus Archidux, eumque ſalutarem; ex quodam de ſuis quis eſſem rogavit: ille, quod quidem audire potui, me eſſe eum, qui recens ex iis locis veniſſem, è quibus ita affectos redire mos eſſet, reſpondit: boletum fortaſſe, qualem olim Claudius, me deglutiviſſe volens innuere. ſed ego horum nihil eſſe ſcio. nec dubio, quin poſtquam aliquandiu conquievero, & colorem & vires & priſtinum totius corporis habitū ſim recuperaturus, quemadmodum ſenſim fieri quotidie experior. Interea feci Regem Romanorum de meo reditu, ſemeſtribuſque induciis, & ſumma rerum geſtarum certiorem. ubi ex comitiis, in quibus nunc abeſt, domum redierit, ſingillatim omnia ſubtiliuſque ei commemorabuntur. Multi qui una mecum ire Conſtantinopolim metu aut re alia deterrebantur, magno nunc una rediiſſe redemptum vellent. ſed appoſite Plautinus ille. *Qui nucleum eſſe vult, frangat nucem.* Injuria fructus partem deſiderat qui in laboris parte non fuit. Habes iter meum

tam

tam Amasianum, quam Constantinopolitanum, crasso filo deductum; quemadmodum, si præsens esses, coram narrarem. ad excusationem styli debebit valere, quod tibi præpropere petenti morem gessi: neque te à festinante & vehementer occupato elegantiam orationis, quam ne meditatus quidem & otiosus præstare possem, æquum est requirere. me quidem in hac mea infantia consolabitur nullius mendacii sibi conscius animus. quod est in hujusmodi narrationibus præcipue spectandum. Bene vale. Vienna Austriæ, Kalend. Septem. clɔ lɔ LIV.

AUGERII GISLENII BUSBEQUII

D. Legationis Turcicæ.

Epistola secunda

ACCEPI litteras tuas, quibus scribis te audivisse de mea in Thraciam secunda profectione, cæterum mirari, qui me huc impelli passus sim, ut veluti bis ad eundem, locos illos barbarie & feritate infames revisere: scire vero cupere, quis fuerit illius itineris processus, quem hic rerum statum offenderim, quomodo acceptus sim denique ut valeam, quam vivam ex sententia, ecqua sit spes propinqui reditus. De his ut tibi scribam, pro iure veteris amicitiæ nostræ postulas. Ad quæ ego tibi respondeo. Primum non fuisse vanum, quod de meo in hanc oram reditu audieras, neque esse quod miseris. tenebar promisso; neque

abnuere mihi integrum erat, quod semel recepissem. fueram à Domino meo clementissimo rege Romanorum Ferdinando destinatus aliquot annorum ad Suleimannum ordinarius orator. Id tametsi sic accipiendum videbatur, si pax convenisset: cum tamen pacis spes nondum esset penitus deplorata, nihil erat quod me labori vel periculo subtraherem, donec hoc negotium certo loco constitisset: ut vel non dubia pax esset, vel certum & indictum bellum. Ea propter etsi me nonfallebat animus, quantum adirem discriminis, maluissemque hanc provinciam alii tradere; tamen cum non reperirem vicarium, necessitati, hoc est, principis humanissimi voluntati parendum fuit. Qui quidem statim ut se Viennam ex Imperii Comitiis recepit, ea que de me coram intellexit, quæ erant cum Suleimanno acta, paratum accinctumque ad iter jussit esse, ut ad eum à quo veneram, sua mandata referrem. Hiemabat annus; pluviæque & frigus, & venti, cœlum contristabant, cum iter Constantinopolim repetere jubeor, nullum habiturus Evangelium pro nuncio quem referebam. Hic tu mihi, *Bis ad eundem*, pro quo ego tibi, *Bis quæ pulchra*. & ita est profecto, quo consiliis honestis plus est adjunctum laboris & periculi, eo majus decus & pretium est. Ego mense Novemb. digrediar Vienna, longum iter ad inhospitalem Pontum remensurus. Non faciam ut abutar patientia tua, teque denuo, audiendis istius itineris tricis, fatigem: nam tibi quidem à prioris narratione puta etiamnum dolere aures, præsertim cum iisdem fere vestigiis, quibus illud iter feceramus eodem regressi simus. Constantinopolim veni, initio Ianuarii, itineris incommodis, unius de comitibus

bus meis jactura defunctus, quem febris ardentis impetus consumpserat, collegas meos offendi in columes; cæterum magnas in rebus Turcicis factas mutationes; gravi liberatum periculo Baiazetem Suleimanni minorem filium, & patri reconciliatum: Achomati Bassæ primo Visirio fractam laqueo gulam; Rustanum in pristinum dignitatis locum restitutum. De quibus paulo post: num dicam, quam adversa principis & Bassarum & reliquorum Turcarum voluntate exceptus sim. Nam cum Bassæ (ut est eorum mos priusquam ad Regem suum introducant) audire ex me vellent, quid referrem: ubi viderunt Cæsarem nolle de suo jure decedere, sed censere æquum servari pacta, que neque vi neque dolo cum Joannis Veivodæ, sive præfecti Transilvaniæ vidua ejusque filio fecisset, graviter & indigne ferebant. Tantos longinqui temporis felicitas huic genti spiritus fecit, ut nihil iniquum putet quod velit, nihil æquum quod nolit. igitur nobis gravitet minari, & magnum denuciare periculum cœperunt, si cum hujusmodi mandatis in conspectum Regis sui veniissemus. Ad quem cum nihilominus admitti postularemus, illi negabant velle sic periculum nostrum secum comunicari. quot enim sibi esse capita, (sic ipsi loquuntur) ut nos cum tali responso coram principe suo sistere auderent? neque enim obscure haberi eum à nobis ludibrio: quod ipse non esset laturus humaniter. Adesse eum cum victore exercitu rebus contra Persas prospere gestis præferocem & superbum, filio imperii æmulo (ex quo cognosci posset quanta esset iracundiâ) è vivis sublato: quid ei posset esse optatius, quam ducere in Hungariam, exercitumque multis laboribus affectum spoliis & copiis

Hungarorum reficere, & ad ſuum imperium adjungere quod reliquum eſſet ejus provinciæ, quod ſane eſſet non multum. Proinde quieſceremus, ſi ſaperemus, neque quietum excitaremus, neque mala noſtra accelaremus, ſatis illa ventura tempori. Hujuſmodi Baſſarum ſermonibus reliquorum Turcarum ſermones congruebant. nam quod fere leniſſimum nobis denunciabant, erat, ut duo in tetrum carcerem compingerentur, tertius naſo at que auribus truncatis (quæ mea pars fuiſſet) ad dominum remitteretur. ad hæc præter hoſpitium noſtrum commeantium vultus truces infeſti oculi, nihil niſi ſævum & atrox portendentes notabantur. Ab eoque tempore nos multo aſperius tractare cœperunt, arctius incluſos tenere, neminem ad nos pati introire, nulli de noſtris prodeundi poteſtatem facere, ac reliquis rebus omnibus pæne ut captivos, non ut oratores habere. Quæ quidē jam ſextum menſem perpetimur, ignari quid ultra futurum ſit. ſed erit quod volet Deus; certe quicquid futurum eſt, quicquid ferendum erit in cauſſæ decore & honeſtate magnum nobis erit repoſitum ſolatium. Nunc accipe, quæ expectas de Bajazete: de quo ut planius exponam, paulo altius de Suleimanni liberis repetendum eſt. Suleimanno quinque fuerunt filii, unus ex concubina Boſphorana natu maximus Muſtapha, de cujus infelici exitu alias ſcripſi. Ex Roxolana vero, quam in juſtæ conjugis locum habet, quatuor, Mahometes, Selimus, Baiezetes & Giangir. Mahometes uxore ducta (nam & concubinas uxores Turcæ vocant) adoleſcens fato functus eſt. Superſunt Selimus & Baiezetes; Giangir natu minimus hunc vitæ ſortitus eſt exitum. cum eſſet allatum Conſtantinopolim Muſtapham extinctum, adoleſcens nec animo

nec

nec corpore satis validus (nam gibbo deformabatur) vehementer pertimuit, cum intelligeret sibi quoque hujusmodi casum ex propinquo impendere. non enim sibi longiorem incolumitatem dari, quam dum pater viveret: quo composito, ei quicunque in imperium successisset, idem futurum regni initium, quem sibi vitæ finem; nulli parsurum ex fratribus, sed omnes ex æquo ut regni æmulos, sublaturum è medio, de quibus se unum fore; qua cogitatione, non secus, quam præsente jam exitio ita exhorruit, ut in morbum incideret, ex quo mors consequuta est. Supersunt (ut dixi) duo; quorum alter, utpote Selimus natu major voluntate patris ad imperium destinatur. Bajazetem studium & pietas matris sublevat, sive ea commiseratio est inevitabilis exitii. sive obsequio, seu qua alia ratione matris animum ita sibi devinxit. dubium certe nulli, quin si illius stetur arbitrio, ipsa Selimo Bajezetem prælatura, atque in imperio collocatura sit. Sed dandus est locus paternæ voluntati, in eo fixæ & confirmatæ, ne post mortem suam, si fata sinant, regnet alius quam Selimus. Cujus rei non ignarus Bajazetes omnia circumspicit, si qua necessitatis vim declinare, & certam cum imperio perniciem commutare possit, neque vero matris Rustanique favor rebus suis penitus eum defidere patitur, & existimat præclarius de imperio contendentem, fortunamque periclitantem cadere, quam fratris carnificis manu, tanquam victimam inglorium jugulari. cum esset ea mente Bajazetes, & jam à Selimo non obscura sinmultate dissideret, visa est non incommoda offerri occasio ex invidia cædis Mustaphæ, faciundi initium eorum motuum, quos jam diu volvebat in animo. Tantum sui desiderium Mustapha

reliquerat, ut multos post ejus mortem vivere tæderet, adeo omnem fortunarum suarum spem in eo collocaverant, quibus illud erat optatissimum, ut vel ejus injuriam ulciscerentur, vel eodem sortis eventu defungerentur; quosdam timor ex conscientia, quod ei studuerant, ita sollicitos habebat, ut nullam non conditionem præsenti statu potiorem ducerent itaque rerum novarum causas quærebant, omniaque turbare cupiebant. Dux modo desiderabatur. Mustapha quidem ad vitam revocari non poterat vivus fingi poterat. id consilium Bajazeti, quem nihil horum fugiebat, ad ea quæ cogitabat, visum est aptissimum. ergo per suos clientes hominem quendam obscurum, sed promptæ audaciæ excitat, qui se Mustapham profiteri, atque ejus personam sustinere audeat, cujus neque statura, neque facies, neque reliqui corporis habitus à Mustapha multum abhorrebat. hic primum tanquam fuga elapsus, in ea parte Thraciæ se ostendere cœpit, quæ supra Constantinopolim est, vergitque ad Danubium, nec procul ab est à Moldavia & Valachia provinciis; & cum eo nomine ad res novas, magnas opportunitates habebat, tum quod multis equitibus abundabat, qui Mustapham præcipue coluerant. huc tanquam ex itinere se applicat. paucis comitatus, & veluti fallere cupiens. Rogati, ut fit, ejus comites. quis esset timide innuunt magis, quam declarant Mustapham esse: nec ipse diffitetur. eo magis accenduntur homines cupiditate cognoscendi. qui facto initio gratulatur sibi de felici ad eos adventu, & pro incolumitate sua Deo gratias agit. narrat cum à patre arcesseretur. non fuisse ausum venire in ejus conspectum, nec se lirato committere: sed de Jssententia amicorum quendam

sibi

ſibi ſimilem multis promiſſis oneratum, pro ſe miſiſſe : cujus periculo de patris animo fieret certior. hunc priuſquam ad patrem admitteretur, indicta cauſa miſerandum in modum fuiſſe ſtrangulatum, projectumque ante ejus Tabernaculum: quo tempore fuiſſe multos, quibus fraus ſuboleret; ſed majorem eorum fuiſſe numerum, qui in errorem inducerentur, ut confuſis mortis acerbitate miſeri illius faciei lineamentis falſi opinarentur ſe interfectum. Quibus rebus cognitis, non fuiſſe ſibi cunctandum, quin fugam capeſſeret, & ſaluti conſuleret. profugiſſe vero cum paucis, quo obſcurior fuga eſſet, ac proinde tutior. facto ſupra Pontum per populos *Boſphoranos* itinere eo perveniſſe, ubi plurimum ſibi præſidii in amicorum fide poſitum eſſe crederet: rogare ne ſibi deeſſent, neve minoris facerent per novercæ ſcelus afflictum, quam rebus integris facere ſoliti eſſent. ſibi eſſe in animo, ultum ire injurias, & ſuam incolumitatem armis tutari. nam quid aliud ſibi reliquum? ſe quidem alia re nulla ſuperſtitem, quam alienæ cædis beneficio: ſatis periculi factum, quo animo eſſet in ſe pater. per ejus errorem non pietatem vivere. quarum rerum cauſſa uſus veneficiis novercæ ſit, quæ miſerum ſenem mente prope alienata & amore ejus inſanientem, qua velit, circumducat, & adminiſtro Ruſtano ad quodvis facinus impellat. Sed gratia ſuperis, non deeſſe ſibi amicos, quorum auxilio ex his malis emergat, & ab inimicis pœnas repetat: animos quidem ſibi etiam ſupereſſe : à ſe ſtare Gianizaros, & majorem paternæ familiæ partem; magnas ad nominis ſui famam confluxuras copias, quicunque nunc mortuum lugeant, qui multi ſint, ad opem vivo ferendam concurſuros. hoſpitem modo benigne ſuſci-

susciperent, dumque auxilia convenirent, inopem suo præsidio tegerent. postremo hæc jam non amplius in occulto, sed propalam ad quoscunque deverterat, veluti concionabundus agebat. concinebant eadem commemorantes, quos fugæ suæ comites credi volebat: eadem affirmabant haud parvæ autoritatis quidam à Baiazete ad eam rem opportune præparati. Sic hominum Baiazeti ignotorum maxima pars in fraudem pellicebatur. Nam ea res tanto gerebatur artificio, ut nonnullietiam, qui vivum Mustapham noverant, & jacentem ante patris tentorium recognoverant; tamen quod scirent, impense nolent credere, & hunc esse verum Mustapham persuaderi sibi paterentur. At Mustaphæ familiares & clientes, in quorum animis facies & memoria Mustaphæ penitus insederat, nihil fallebat. tamen partim metu, partim dolore & iracundia cæci, quidvis subire quam sine Mustapha diutius vivere præoptantes, in primis aderant, ut nomen falso Mustaphæ darent. Atque etiam cæteros dubitare prohibebant, quin hic esset Mustapha, quem necatum falso proditum erat. ipse vero impostor alios pollicendo, alios liberaliter appellando, multos donis & pecunia, quam ex reliquiis veteris fortunæ servatam memorabat (nam proviserat Baiazetes, ne quid in hac parte desideraretur) aut retinebat, aut sibi adjungebat. ita paucis diebus magna vis hominum convenerat, augebaturque quotidie jamque pæne ad justi exercitus modum excreverat; cum subito vicinorum Singiaccorum trepidis nunciis & litteris fit certior Suleimannus; quantumque discriminis ex concursu tantæ multitudinis ab hoc Pseudomustapha immineat; docetur. Is (quod erat) suspicatus non sine conscientia

alterius

alterius ex filiis hæc moveri, nequaquam neglectu digna judicavit; ac per literas Singiaccos increpat, quod eo rem devenire passi essent; neque initio statim, ut fieri debuerat, obviam issent: graviterque minatur, ni sibi impostorem illum primo quoque tempore in vinculis mittant, una cum cæteris tanti sceleris authoribus. id quo fiat facilius, se eis unum de Bassis Visiriis subsidio mittere (is *Pertau* vocabatur, cum quo nupta erat Mahometis, de quo supra dixi; vidua) cum eo venire magnum prætorianorum militum numerum. Sed si sibi purgati esse vellent, ipsi per se negotium conficerent, antequam eo venirent auxilia. Ducebat Pertau copias non tam numero quam fide conspicuas; Suleimannus enim fidissimum quemque tribunorum centurionumque & decurionum, seligendum curaverat: neque enim metus non erat, ne vel studio partium, vel largitionibus & pecunia corrupti, ad eum signa transferrent, contra quem venerant. Vulgus quidem Gianizarorum nominis Mustaphæ, & rerum novarum expectatione suspensum, favebat ei turbæ, omniaque miscere studebat; neque res erat extra periculum. Singiacci postquam quæ imperabat Suleimannus acceperunt, haud segniter agendum rati, atque alius alium cohortari, moliri, festinare, & ex omni parte Pseudomustaphæ cœptis occurrere, seque opponere cœperunt. Itaque advenientes manus distinere, eas quæ jam convenerant dissipare contendunt; terrore & denunciatione periculi omnia complent. Interea procedebat agmen Pertau Bassæ; neque jam procul ab iis locis aberat, cum (ut in tali re solet) nondum satis confirmatis, & celeritate præventis, postquam undique contra se veniri vident, Pseudomustaphæ milites timor incessit, ac primo

pauci

pauci dilabuntur : postremo vero omnes posito pudore & promissorum immemores deserto duce (quo cui commodum fuit) diffugere. conantem idem facere Mustapham, cum præcipuis ejus administris & consiliariis, Singiacci occupant, vivumque excipiunt: ii omnes Pertau *Bassæ* traduntur, à quo cum lecto præsidio mittuntur Constantinopolim. ibi Suleimannus diligenti quæstione per tormenta habita, quæ vult exquirit. crimen Baiazetis, & tecta ejus consilia cognoscit : cui fuerit in animo, postquam copiæ, quantas destinaverat, convenissent, ad eas se cum bona manu adjungere, & vel Constantinopolim recta, vel ad fratrem opprimendum (ut se dedisset opportunitas) ducere. Sed dum agit cunctantius, immatura consilia, celeritate oppressa. de quibus rebus postquam Suleimanno satis constitit, illos omnes intempeste nocte alto mergi imperat, minime ex usu suo judicans horum quicquam efferri in vulgus, aut domestica sua vulnera finitimis principibus nudari. graviter inde iratus Baiazeti, qui tantum facinus ausus esset, quemadmodum de eo supplicium sumeret, animo agitabat. Quod uxorem ejus ut est sagax, minimè latuit. ea paucorum dierum intervallo, dum iræ vis effervelceret, interposito, injecta hujus rei mentione apud Suleimannum, adolescentiæ imprudentiam, facti necessitatem, majorum exempla colligit: ita natura comparatum, ne quis sibi nec suis desit, mortem omnes exæquo fugere. juvenum animos, minimo negotio, à vero rectoque consiliis improborum abduci. Primo delicto ignoscì æquum esse : si respicat, magnum pretium patri, servasse filium : sin eodem relabatur, pro culpæ utriusque merito non defuturum supplicii tempus. quod si nol-

let

let illi, sibi daret hanc veniam, pro eo quem peperisset, deprecanti: ne sæviret in communem sanguinem. Nam quem sibi animum fore, si è duobus filiis, quos Deus sibi reliquisset, patris severitas alterum sibi eripuisset? moderaretur iracundiæ, lenitatemque sævitiæ quamvis justæ præferret. Nec Deum præpotentem illum & justissimum summam severitatem semper amplecti, magnam partem duci misericordia, alioquin non sufficturum in pœnas genus humanum. An vero quem locum clementiæ magis convenire quàm in liberos? futurum deinceps in officio Baiazetem, & metum in quo nunc sit, à tanta indulgentia conversurum in cumulum obsequii & pietatis. generosos animos nulla re magis retineri, quàm gratia & beneficio. veniæ memoriam impedimento fore ne peccaret iterum; pro eo spondere, atque in se recipere, eum posthac omnibus officii & pietatis numeris patri satisfacturum. Quibus verbis, ad hoc lachrymis & blanditiis remollitur Suleimannus, alioqui plus justo uxori deditus, flexit animum, & Baiazeti parcere constituit, veniret modo & sua jussa præsens acciperet. Non deest negotio mater, monet occulte per litteras Baiazetem, ne vereatur arcessitus venire; nihil illi fore periculi, patrem sua opera reductum in gratiam, amotamque ex animo ejus omnem offensionem. Quo nuncio in spem bonam erectus, statuit se patri credere, timide tamen, & ad fratrem Mustapham subinde respectans, cujus exemplum satis eum admonebat, quantum adiret periculi. Venit ergo ad locum colloquio destinatum; id erat diversorium publicum paucis à Constantinopoli milliaribus, *Carestranum* vocant. Ita fert his temporibus Turcarum principum consuetudo, ne

vivo

vivo patre, quisquam filiorum adultorum intra Constantinopolis mœnia pedem inferat. hoc enim ad solicitandos militum prætorianorum animos, & imperii mutationem pertinere. De equo descendenti, præsto sunt patris famuli qui gladium & pugionem ponere jubeant, id tametsi non est inusitatum in reliquis, qui ad Imperatorem istum admittuntur, tamen in filio, sibi male conscio, timorem augere poterat. Sed mater quæ eum timoris plenum accessurum animo providerat, propinquo, in aditu ejus domus, & qua Baiazeti prætereundum erat, cubiculo constiterat, ex quo per fenestellam linteo obductam transeuntem his verbis compellat, *Corcoma oglan corcoma.* quod valet, ne time, fili, ne time. qua voce matris non mediocriter confirmatur animus Baiazeti. Ut ingressus est, & pater eum assidere jussit, tum vero ejus temeritatem graviter accusare cœpit, quod arma sumere ausus esset, quæ contra se sumpta videri poterant; & ut maxime contra fratrem sumpta essent, nihilominus pessimum id facinus videri. neque enim stetisse per eum, quominus religionis status convelleretur, Ottomanorum imperio (cui soli hodie inniteretur) per domesticas discordias in ruinæ discrimen adducto: quod quidem si de religione piè sentiat, ab eo longissime abesse debuerit, ut taceat se vivo attentatam regni possessionem, cum magna sua injuria & contemptione. quibus rebus scelus inexpiabile, & quo nullum satis dignum supplicium reperiri possit, contractum. Sed tamen statuisse ei parcere, & magis benigni patris quam justi judicis partes agere cum eo, ut ipse deinde curam rerum futurarum relinqueret Deo: nihil istorum nostro geri arbitrio, Dei nutu regna transferri. Si ita fatum esset, ut post

suam

ſuam mortem ipſe regni potiretur ; id ratum fore , ultroque venturum ei regnum , neque futurum in manu cujuſquam remorari , quod divinitus ſtatutum eſſet : ſin aliter Deo viſum, inſanum eſſe fruſtra laborare , obniti divinæ voluntati , & veluti cum Deo pugnare : proinde tumultuari deſineret , neu fratrem quietum laceſſeret , neu ſenectutis ſuæ otium turbaret. quod ſi eodem revolveretur , & novam tempeſtatem excitaret , eam in ipſius caput caſuram , nec fore ſecundo delicto veniam , nec ſe illum mitem patrem , ſed acerbiſſimum vindicem experturum. quæ cum dixiſſet,& ad ea Baiazetes pauca pro tempore reſpondiſſet,ut magis culpam deprecaretur , quàm purgaret, & ſe in poteſtate patris futurum polliceretur ; potum de more gentis, Su'eimannus afferri juſſit , filioque porrigi ; ea erat ex ſaccharo & certis ſuccis aqua,ex qua Baiazetes (haud quaquam recuſare auſus,tametſi maluiſſet)quod viſum eſt bibit , anxius animi , ne id ſibi ſupremum poculum foret : ſed eum pater , ducto mox eodem ex poculo hauſtu,cura liberavit. Sic Baiazetes meliore quam Muſtapha eventu cum patre congreſſus , ad ſuam præfecturam reverſus eſt. De morte Achomatis Baſſæ pauca habeo quæ dicam. ſunt qui putent ; ei datum crimini occultum erga verum Muſtapham ſtudium , aut certè in Pſeudomuſtaphæ & Baiazetis penè ſerò deprehendis conſiliis negligentiam. Alii in hunc caſum diu reſervatum , graſſatorem & latrocinio infamem , dum privatus & ſine honore militaret , cui tamen ob fortitudinis admirationem & rei militaris ſcientiam , pœna dilata fuiſſet magis quàm remiſſa, quam nunc repetere viſum eſſet. Alii hoc unum morte Achomatis actum putant , ut vacuus priſtinæ dignitatis

Ruſtano

Ruſtano pateret locus. Nam promiſiſſe Achomati Suleimannum, ſe dum viveret, ſignum ſuum ſive ſigillum ab eo non ablaturum. cum verò res poſtularet, ut id Ruſtano reſtitueretur, ne quid fieret contra promiſſi fidem, morte ejus, mendacio occurrendum fuiſſe. ideoque juſſum mori. Addunt dixiſſe Suleimannum, ſatius eſſe ut ſemel moreretur, quàm ut millies: quod futurum eſſet, ſi vivus continenter cruciaretur erepta dignitatis, atque in alium tranſlata, dolore. Utcunque ſit, cum mane in Divanum (is concilii, ut alias dixi, locus eſt) imprudens omnium veniſſet, mox affuit qui ei Regis nomine mortem indiceret: qui nuncius Achomatem haud multo magis commovit, ut erat incredibili magnitudine animi, quam ſi nihil ad ipſum pertineret. carnificem tantum munus ſuum exequi parantem, à ſe repulit. haud convenire exiſtimans, tanto honore modo uſum, pollutis illius manibus attrectari. cumque oculos ad eos qui adſtabant circumtuliſſet hominem honeſtum ſibi amicum oravit, ut hoc ſibi daret, ut ejus manibus necaretur, futurum id ſibi magni & poſtremi muneris loco: quod ille etiam atque etiam rogatus non recuſavit. Verum Achomates eum monuit, ne ſtatim atque una vice aſtricto nervo ſe ſuffocaret, ſed eo remiſſo, ſemel reſpirare pateretur; quo facto nervum adduceret, donec exanimaretur: in quo mos ei geſtus eſt. Sic mihi pæne videtur Achomates mortem antequam moreretur guſtare, orcumque vivus ſalutare, nec ſemel mori voluiſſe. Ab ejus morte reſtituta Ruſtano priſtini muneris inſignia, primuſque inter Viſirios locus. De reditu quod ſcire vis, notum illud; *Facilis deſcenſus Averni.* Qui mihi venienti dux fuit, reducem faciet cum ei viſum erit. Interea ſolitudinem

dinem & reliquas moleſtias, conſuetudine librorum, veterum amicorum, ſolabor; qui quidem hactenus nullo modo mihi defuerunt, fidemque & aſſiduitatem quam debent, diu noſtuque præſtant. Vale, Conſtantinopoli pridie Idus Jul. CIↃ IↃ LV.

AUGERII GISLENII BUSBEQUII

D. Legationis Turcicæ.

Epiſtola Tertia.

NIMIRUM audiſti recte, nihil te fefellit; domum jampridem dimiſſi collegæ mei, ego remanſi ſolus. Sed quæris, quod me vel fatum vel tam dira voluntas tenuerit, ne cum iſtis unà redirem, barbariei iſti valedicerem, & optato patriæ fruerer conſpectu. ſimul exigis reddam quidquid hîc interea viderim, aut audierim commemoratione dignum; cujuſmodi tibi ſine ulla exceptione viſum iri ſpondes, quicquid ſcripſero. ſtudia item mea & occupationes, & ſolitudinis ſolatia quæ ſint, requiris: prodeam nonnunquam an ſemper domi ſedeam. Non literas video, ſed commentarios ſeu mavis diaria à me flagitas, inprimis verò de rebus Baiazetis, de quibus iſtic multa jactari dicis, ſcire deſideras, promiſſum repetis, teque mihi dicam ſcripturum grandem minaris, & jam formulam meditaris, qua mecum ad judicem agas, niſi fidem exſolvero. Mitius ſuadeo, *leniter qui ſæviunt* (inquit ille) *ſapiunt magis*. Sed tamen accipe potius cum uſura debitum, quam ego in jus

jus ambulem, homo à litibus (si quisquam) alienus. Tametsi longo sanè appellas intervallo, ut haud sciam, an te exceptione summovere possem. Sed (ut ut sit) accipe potius quæ vis, quàm ego lites sequar. Quum mei collegæ, tibi ex superioribus literis non incogniti, viderent nos jam hic triennium operam ludere, neque de pace neque de longioribus induciis quicquam confectum esse, neque in posterum magnam profectus spem ostendi, nisi seram & longinquam; ad id omni studio incumbere cœperunt ut dimitterentur, cumque eò res magno labore perducta esset (neque enim si quis huc se demiserit, expeditum est cum velit revocare gradum) ut Suleimannus decessioni assentiret: tamen una dubitatio relinquebatur, ipsine soli (ut qui priores venerant) an omnes dimitteremur. Nam Suleimannus ne videretur, si quem nostrum retineret, pacis cupidior, ejus rei optionem nobis relinquebat. Collegæ quidem ad rem Cæsaris magnopere interesse putabant, remanere unum. neque vero id erat obscurum, neque mihi secus videbatur, nisi quod dissimulandum & Turcos celandum arbitrabar. propterea quoties eis præsentibus fieret ejus rei mentio, a mansione valde me abhorrere præ me ferebam. fateri quidem veniſſe, ut oratoris ordinarii munere fungerer; sed id si de pace conveniſſet. incerta pace non videre qui manere posſem, nisi aut contra aut certè præter domini mei voluntatem. Sic dimitti omnes verius esse. ita ego disputabam, quo meliore conditione rogatus manerem, quam si me obtuliſſem, ultroque intruſiſſem. non me præteribat si dimitteremur omnes, non modo magnam ad bellum fenestram, sed pænè totas Jani valvas aperiri: quod si manerem, manere omnia ad pacem integra. Dum

nuncii

nuncii ultrò citroque commearent, longum decursurum tempus, quo multa accidere possent, quibus nostra caussa fieret melior. denique quidvis præstare, quàm in belli atrocissimi necessitatem non necessario præcipitare. neque tamen eram nescius, quàm mihi ipsi parum consulerem, cui & labor prorogabatur, & tanti negotii moles soli sustinenda relinquebatur, variique & ancipites casus multi portendebantur, præsertim si actionis istius exitus in bellum evasisset. Sed hæc, qui talia onera subeunt, in minimis habere debent pro publicis utilitatibus, nec quicquam nisi quod in commune prosit, spectare. Utique quo hæc liberius agerem, magnam mihi facultatem dabat Rustanus, qui se mansionis meæ valde cupidum ostendebat, intelligebat nimirum, quantum fieret ad bellum compendium, si profectis omnibus, inchoata pacis actio destitueretur. A bello autem cum aliis tum hac maximè de caussa alienus erat. quod providèbat vir multarum rerum peritus, si Suleimannus in Hungariam expeditionem intulisset; fieri non posse, quin per hanc occasionem filii ejus ad novos motus excitarentur. quod si Selimus maximè quievisset, non tamen quieturum Baiazetem, cui ipse & uxor & socrus præcipuè cupiebant, quos quidem motus ei exitiales futuros animo fortasse præsagiebat. Cum ergo nos domi adhibuisset, prolixè collegas admonebat, quæ agi apud Cæsarem pacis caussa vellet. Me vero hortabatur, ut manerem, ne susceptum munus desererem, ne defatigarer, ante quam ad exitum perduxissem. Non esse ambiguum, quin Cæsari, qui se nunquam à pace aversum ostendisset, mansio mea probaretur. ego contrà, quoad commode & tuto facere possum, gravor & recuso.

so. Eo magis sudare Rustanus, & mihi omnino persuasum velle ne spem omnem pacis abrumpam, nihil esse Imperatori suo longius, quàm ut in Hungariam exercitum duceret, quod jam diu factum esset, nisi ipse auxilio atque opera mulierum (uxorem & socrum significans) tanquam prehensa vestis lacinia (nam ita loquebatur) eum retineret, ne sævum hunc leonem quiescentem lacessere, & in nos irritare pergeremus. Ego mollius abnuere, & non negare mansurum, nisi ipsorum criminationes metuerem, si quid minus ex eorum voto provenisset (quod tamen præstare meum non esset) statim mihi imputaturos, eoque nomine succensuros. Rustanus vereri prohibebat, utcumque res cecidisset nihil meæ culpæ assignatum iri, manerem modo, habiturum me in sua tutela (ut ipse dicebat) in fratris loco. Dico me cogitaturum. ita discessum. postridie vocamur in Divanum, (ea est sedes publici consilii) ubi eadem ferè acta, nisi quod Rustanus propter reliquorum Bassarum præsentiam aliquanto tectior incessit. atque ego ad extremum remansioni assensus sum, relicto Bassis libello, quo testabar me voluntatis domini mei ignarum manere, eaque de causa libera ei omnia atque integra reservare. In me vero nihil recipere, neque præstaturum polliceri, quemcunque tandem negotii exitum Deus esse voluisset. Qui libellus postea temporibus asperis magno mihi usui fuit, cum quid accidisset, quo nomine Bassæ mecum durius agendum censerent. Habes rationem & causam mansionis meæ. Fuit discessus collegarum meorum sub finem mensis Augusti anno supra millesimum quinquagesimo septimo. Quæ secuta est, hyeme Adrianopolim migravit princeps: ita consuevit, cum ad inferendum Hungariæ adventus sui terrorem,

rorem, tum invitatus aucupii & hyemis intentioris quàm Constantinopoli opportunitate. quorum utrumque valetudini suæ conducere arbitratur. Restagnant vicinis locis propter fluviorum confluentes frequentes aquæ, apud quas ferarum, anatum, anserum, ardearum, pygargorum, gruum, buteonum, atque aliarum avium magna copia est, quibus capiendis fere utitur minorum aquilarum ope atque ministerio ita assuefactarum, ut prædam sub nubibus petitam, in terram detrahant, humilius volantem rapiant, aut vesano impetu solo affligant. Audio eum ita doctos habere (quos vocant) falcones, ut gruem aggredi audeant, sic sub alam ubi corpori jungitur, involantes, ut ab ictu rostri tuti sint, atque ita præcipitem secum trahunt. Quæ tamen non semper felix temeritas est: nam si minimum aberrarint, præsentarias luunt pœnas & rostro gruis veluti telo transfixi exanimes ad terram devolvuntur. Quibus dixi de causis fere anniversarium est huic principi sub hyemem tansire Adrianopolim, neque ante redire Byzantium, quàm ranæ coaxando molestæ esse incipiant. illò sum etiam paulò pòst Rustani literis evocatus. addidit mihi equites aliquot qui deducerent. item Gianizari numero sedecim: sive is honos fuit, sive custodia. Facimus magna itinera, nam jussi eramus properare. Sed vix tridui viam ingressus Gianizaros tædere cœpit laboris. ibant pedibus, & via erat lutulenta, ut id temporis anni querebantur de itineris quotidiani magnitudine pænè conduplicati, quod cum Imperatore ipso in expeditionibus facere consuevissent, ferri non posse. Mihi molestum, ut qui eis gravis esse nollem. dum cum meis circumspicio, qua ratione huic incummodo mederi queam, libentesque ad iter reddam, injicis aliquis,

aliquis, se animadvertisse eos valde delectari pultis genere, quod coquus meus ex vino & ovis, addito multo saccaro aromatibusque concinnabat: & quis scit (ajebat) an si apponatur illud quotidie pro jentaculo, æquiore animo ferant laborem, & faciliores se præbeant? ridiculum quidem videbatur, tamen placuit experiri, neque defuit successus. illi enim hujus pultis dulcedine mitigati, multoque insuper vino hilariores facti, ultrò viam deposcebant, & si ita acciperentur, vel Budam usque mecum ituros se offerebant. sic ventum est Adrianopolim, ubi mihi audiendæ fuerunt Rustani querelæ, ne dicam convitia, super Hungarorum excursionibus & rapinis. ad quæ promptam responsionem suppeditabant militum Turcicorum crebræ injuriæ plurimaque maleficia, quibus nostros quotidie incessabant. Quid mirum, si paria paribus nostri responderent? Nam commodum venerat cum literis à Cæsare tabellarius; quibus edocebat quæ quotidie contra induciarum fidem, quas discedentibus collegis, in certum tempus pepigeramus, in finibus nostris Turcæ designarent; ut miseros agrestes per continuas excursiones infestos haberent, eorum fortunas popularentur, ipsos liberosque & uxores captivos ducerent. Non videtur prætereundum, quo die is nuncius venerat Adrianopolim, graviter movisse terram: cujus rei occasione ille referebat, se terræ tremorem (quem eundem judicabat) & Nissæ & Sophiæ atque aliis deinceps pluribus locis, per quæ iter habuerat, sensisse, ut videretur terræ cavernis inclusus aër cum eo certasse, tantumque itineris pari fere temporis spatio fecisse, quantum ipse eques confecerat. cujus rei fidem utique affirmaverit, quod quatriduo post terra similiter moverit Constantinopoli,

nopoli, ut idem esse motus, atque eo etiam penetrasse videretur. Tu ut voles interpretaberis. Est alioqui terræ motibus perquam obnoxia Constantinopolis. ac memini cum paulo post mediam noctem, tanto motu diversorium nostrum quassari cœperit, ut ruinam facturum videretur. qua re ex somno profundiore excussus, cum pernox lumen haberem, atque inde scyphum, hinc librum, illinc ruentem asserem, aut lapidem viderem, omniaque vacillarent & colliderentur; aliquandiu rei insolentia attonitus obstupui, donec in mentem venit terræ motus, tum in eam partem fugi, ubi à ruina me tutiorem fore sperabam. idem motus per aliquot dies tenuit, sed non eadem vehementia. Tota vero urbe, & inprimis in diversorio nostro, temploque sanctæ Sophiæ, videre est ingentibus rimis ex ejusmodi labe fatiscentes densissimos parietes. Adrianopoli circiter trimestre commoratus, pactis septem mensium induciis mense Martio reductus sum Constantinopolim. Cum vero me tæderet inclusionis in eodem diversorio, ago cum meo Chiauso (genus id est, ut tibi scripsi aliàs, multiplicis apud Turcas officii, quod etiam ad oratorum custodiam extenditur) ut mihi liceat ære meo domum conducere, more reliquorum oratorum, ubi vel horti vel campi esset aliquid, quo liberiore fruerer cælo. Nihil adversatus est Chiausus, quod in eo certum compendium videretur, si ipse ædes conduxissem, quas hactenus princeps suo impendio præbuisset, quarum annuæ mercedis nomine quadringenti aurei (quos ducatos vocant) ei quotannis expensi ferrentur. nam tanti illarum fructus recipiendis hospitibus æstimabatur. quo sumptu dominum suum relevari non molestè ferebat, ita demigro in domum vel

insulam verius propria pecunia conductam, lato circumjacente campo, ubi hortum instituere, atque ejus cultura laboriosæ legationis curas lenire cogitabam. Sed postquam meus custos usu cognovit, in domo undique aperta, & patente, magnoque campi spatio, non posse eandem custodiæ rationem haberi, atque in *Caravassarai* (quam vocem ex superioribus literis puto tibi adhuc notam) quod clathratis fenestris undique munitum esset, & unum tantum haberet aditum; mutat sententiam, & cum Bassis jam Adrianopoli reversis ita agit, ut parietibus veteris diversorii denuò includar. nec tamen mecum non præclare actum putem. siquidem Bassarum aliquot sententiæ eo inclinarant, ut minore impensa angustius hospitium mihi jam soli conduceretur. sed vicit humanior pars. sic intra consuetæ domus claustra redactus sum. quam domum volo etiam tibi magis cognitam. sita est in celeberrima Constantinopolis regione edito loco, unde à postica parte in mare patet amœnus quidem, sed longinquus despectus, ut tamen exultantes in eo & ludentes delphinos videre possis, ac longe oculis objectum habeas Olympum Asiæ montem perpetua nive candidum. omnibus perflatur ventis, eoque salubris ejus habitatio censetur. Turcæ tamen inquilinorum commoditati invidentes non contenti cancellis ferreis luminibus offeciſſe, pluteos adjecerunt, quibus & prospectus & aëris fruendi libertas impeditur. sic visum occurrere subjectæ vicinitatis querimoniæ, nihil se habere à conspectu Christianorum tecti. Quadrata ædificii æquis lateribus forma. in medio ampla area, in qua & pluteus. pars superior quæ sola habitatur, in porticum, qua tota ambitur, & in cubicula dividitur. pars interior quæ in aream despicit,

ſpicit, conſtat è porticu. exteriorem cubicula occupant, quæ omnia in porticum habent aditum, ea multa ſunt ſed anguſta, inter ſe paria, quales monachorum cellæ. ejus frons in viam publicam obverſa eſt, qua iter eſt ad regiam, & qua princeps ferè ſingulis diebus Veneris (qui eis, ut apud nos dies ſolis, feſti ſunt) ad ſua ſacra proficiſcitur, ut oratoribus videndi ejus de feneſtra facultas nunquam deſit. nam familia è veſtibulo cum Chiauſo & Gianizaris prætereuntem ſalutat, vel reſalutat verius: quod ita ferat Turcarum inſtitutum, ut qui major ſit, minorem ſalutando præveniat. Itaque princeps ipſe ſtantem velut ad officium in compitis populum capitis nutu prior ſalutat, cui populus cũ fauſtis acclamationibus ominibuſque reſpondet. pars inferior equorum ſtabulationi deſtinata eſt. eam domum tutam ab incendio præſtant intus fornices quibus tota ſtructa eſt, foris plumbum quo integitur. ſunt ejus quidem multæ opportunitates, ſed non pauciora incommoda. omnia ibi ad uſum neceſſarium ædificata, nihil ad elegantiam aut delectationem: nihil eſt quod te ſua ſpecie vel novitate retineat. Hortus nullus in quem exeas, nulla arbor, nullus frutex, nulla vireſcens herba, quæ oculos reficiat: ſed moleſtum multarum beſtiarum contubernium. ſunt in ea muſtelarum greges, frequentes angues ſtellioneſque & ſcorpiones. ergo evenit interdum, ut quis mane pileum repetens ab eo loco ubi pridiè poſuerat, angue redimitum, magno cum terrore inveniat. Quæ tamen beſtiæ, ut hinc de præclaris ſolitudinis noſtræ ſolatiis audire incipias, delectationem aliquam adferunt. ut, cùm muſtela magno prœlio cum angue congreſſa non deterretur, quò minus tota ſpe-

ctante domo, renitentem defensantemque se longe in suum cavum victrix trahat; vel, cùm eadem mustela sedem mutat, & catulos alio transfert, ut nuper una, dum adhuc cum hospitibus à prandio accumberem, in mediam mensam, supernè ubi cubile habebat, desiliit ore catulum gestans quem eo loco retenta reliquit, neque tamen à limine longius discedebat, operiens quis eum maneret casus, donec satiati informis animalculi conspectu humi deponeremus, quo mater advolans correptum transtulit quo destinaverat. Fuit etiam nobis spectaculo sive anguis sive draco, certè serpens in stabulo pedibus equorum obtritus admodum tumida alvo, qua meo jussu aperta, reperti sunt tres prægrandes mures. Mirabar qui tardus veloces, repens currentes consequi, & faucibus (ut videbatur) tam arctis devorare integros potuisset. sed mirari desii, postquam in alium anguem incidi, qui correptum ore maximum bufonem sive ranam rubetam à clunibus orsus iam magna ex parte deglutiverat. vivebat nihilominus bufo, & quod poterat prioribus pedibus nitens eripere se hosti contendebat. Cum primum vidi, magna me cœpit admiratio, existimantem monstrum esse: animal videlicet bipes, cum tanta cauda, quantus erat serpens. re cognita cœpi bacillo tundere, ut capturam dimitteret, quod aliquandiu frustra fuit. conabatur quidem se præda exonerare, quo expeditior fugeret, sed invito hærebat in faucibus rana, quam magna vi fugendo attraxerat. qua tamen ad extremum excussa, os vacuum claudere non poterat, rictu fœdum in modum diducto & hiante, qui habitus ejus fuit, donec interficeretur. Bacillum illud, si Plinio fides habenda, utile futurum erat

erat parturientibus. sed ego non contentus indigenis bestiis, domum implevi extrariis, quibus alendis familia occupatur & se oblectat me vehementer approbante, quo levius ferat longum patriæ desiderium. Quid enim potius, quando humano arcemur commercio, quam ut ex bestiarum contubernio ærumnarum oblivionem quæramus: alioqui solitudo, saxa & parietes quid delectationis afferant? In his primas tenent simiæ, quæ mirificos ludos edunt, & magnos risus faciunt. Itaque raro eas videas sine circumsistentium corona, earum nequitiam & ridiculam improbitatem magna cum voluptate attendentium. Habeo præterea lupos, ursos, cervos platiceratas (quos non recte vulgus *damas* vocat) & cervos vulgares, item hinnulos, lynces, ichneumones, mustelas, ejus generis quas martas & zibellinas vocant; & si scire vis, etiam porcum, cujus contagium equis meis salutare, qui eos curant, mihi persuadent. Neque verò prætereundus fuit, cum reliquas animantes nominarem, quando, propter eum, mea domus ab Asiaticis hominibus frequentetur. accedunt ut videant animal illud immundum, à cujus esu libris suis ritualibus prohibentur, quod eorum finibus exulat, quod antea viderunt nunquam, cujus Turcæ omnes non minus quam uos hominis pestilentia infecti, contactum horrent. quo more cognito bellè fit, ut qui mittere aliquid occultius ad me velit, porcello in saccum conjecto puerum oneret. intranti occurrit Chiaufus, & quid intro ferat percunctatur. tum puer ei in aurem, se porculum mihi ab amico dono ferre. tentat ille scipione, statimque ut grunnitum audit, fugit retrò quantum potest, & abi, inquit, intrò in malam rem cum tuo isto tam illepido

pido munere. Tum deſpuens, & converſus ad confeſſores: *mira*, inquit, *res, quam delectet Chriſtianos eſus iſtius impuriſſimi animalis: prorſus eo carere non poſſunt.* Sic intromiſſus puer unà infert quæ celatum Chiauſum voluit. Sunt item mihi complura avium genera, aquilæ, corvi, monedulæ, anates exoticæ, grues Balearicæ, perdiceſque. His tot animantibus refertæ domus ſpeciem non malè cepit, qui navem Noës ſimilem dixit. Ex his præter eam quam dixi familiæ oblectationem & longæ abſentiæ levamentum, etiam hanc utilitatem capio, quod me multa cognoſcere juvat, quibus lectis in ſcriptoribus minus fidem adhibebam. pleni ſunt libri amorum, quibus feræ in homines inflammatæ fuerunt. in quibus quidem ego ſemper aſſenſum ſuſtinui, veritus ne fabuloſa temere crederem, donec vidi lyncem quem habui ab Aſſyria ſic affectum erga unum de meis hominibus, paucis diebus cognitum, ut amare negari non poſſet. ubi præſens aderat, multæ & inſignes blanditiæ, complexuſque & tantum non oſcula. cum vellet abire, injectis leniter in veſtis laciniam unguibus retinebat, abeuntem vero oculis proſequebatur, nec eos ferè ab ea parte dimovebat, mœſtus interim, donec redeuntem aſpiceret. hic mira rurſus alacritas & gratulatio, nec tulit diutius abſentis deſiderium, illo mecum in caſtra Turcica trans mare profecto, lynx deſiderii vim continua ægritudine teſtatus, poſt inediam aliquot dierum contabuit. Quod tuli ſanè moleſtè, quod eum cum ichneumone quem habui valde placidum, Cæſari dono deſtinaveram, propter tergoris pulchritudinem quæ tanta fuit, ut cum communibus lyncibus compoſitus aliud ferme animal videretur, hos enim elegan-

elegantissimos producit Assyria, quorum hic tergora quindecim & sedecim aureis coronatis veneunt. nec dubito, quin illæ fuerint Babylonicæ pelles, olim in pretio habitæ, quarum in l. interdum. titulo de publicanis. mentio fit. Accipe aliud de ave. Est mihi inter cæteras grus Balearica. id genus à vulgatis differt candido plumarum cirro ab utriusque auris sede demisso. deinde nigritie totius partis colli anterioris qua Turcæ tegumenta capitis ornant. nec magnitudine communibus gruibus par est. hæc quam dico grus Balearica apertissima dedit amoris signa erga militem Hispanum, quem captivum redemeram, sic ei dedita, ut per plures horas eo inambulante ambularet unà, illo insistente consisteret, assidenti vero adstaret, seque ab eo (reliquorum contactum aversata) tractari & demulceri pateretur. Ubi domo aberat, ibat ad ejus cubiculum, ostiumque veluti pulsatura rostro appetebat. si quis aperiebat, omnia oculis perlustrabat, si eum reperiret. ubi se frustra esse videbat, tum vero totam circuibat domum cum tantis & tam acutis clamoribus ut ferri non posset, & necesse esset aliquo concludi, quo minus ejus clamor aures offenderet. Sed ubi iis redierat, passis alis ei obviam ferebatur cum absurdo & incondito corporis motu, ut vel staticulos saltationis alicujus transmarinæ, vel certè velitationem cum pygmæo meditari videretur. Quid plura? fecit sibi postremo consuetudinem sub lecto ejus cubandi, ubi & ouum ei peperit. Habes duorum brutorum animalium amoris erga homines indices affectus. nunc contrà audi de animalis ingrati feritate & perfidia. fuit mihi cervus mansuefactus, qui nobiscum multis mensibus comiter & amice

vixit, sed idem ubi venit tempus coitus, de-repente ita efferatus est, ut juris hospitalis & beneficiorum immemor, omnes nos velut indicto bello pro hostibus haberet, in obvium quemque cornibus incurraret, parceret nemini, ut necesse haberemus ejus furorem parietibus & repagulis coërcere. Quibus tamen effractis cum noctu erupisset, magnum inter equos, qui in area sub cœlo consuetudine Turcica pernoctabant, tumultum concivit. cui sedando cum equisones accurrerent, carceriisque effractorem eo redigere conarentur, unde proruperat; tantum abfuit, ut se cogi pateretur, ut plerosque vulneraret. quare illi concitati, in equile quod esse amplissimum dixi, perduellem compellunt, ibidemque meo permissu, hastis, venabulis, omnique genere telorum, quod cuique in manum venerat, membra omnia transfixum sternunt, primo quidem fortiter & magno animo se defendentem, ad extremum turbæ imparem. nam plusquam 40. homines contra unum armati stabant. sic ille fractæ tesseræ hospitalis pœnas dedit. Quo in frusta secto, oratores qui tum erant Constantinopoli nocturnæ venationis participes feci. fuit cervus prægrandi & vasto corpore, quales ferè ex Hungaria autumni principio ad suos hymenæos in Austriam ascendunt. Nactus eram à mendicis ex eo quæstum facientibus. circuibant illi stipem colligentes precatione prius facta, in qua cum Dei nomen sæpius occurreret, ad quod ipsi caput inclinabant, consuefecerant cervum, ut idem faceret. quo miraculo captum vulgus, ac si bestiæ sensus divinitatis inesset, in eos certatim quadrantes congerebat, & hunc propter raram corporis proceritatem ad Cæsarem ducere cogitaveram.

Quando

Quando de mendicis Turcicis incidit mentio, non erit abs re pauca de ratione eorum attingere. sunt illi quidem multo rariores, quam apud nos, nec nisi ferè errones, qui per speciem religionis diversas sanctimoniæ vias professi vagantur. Nonnulli stuporem mentis mendicitati obtendunt. quod quidem genus valdè gratiosum est, quod stolidi & amentes, ut cœlo haud dubie prædestinati, jam in hac vita pro divis habeantur. Sunt & Arabes, qui vexilla circumferunt, cum quibus majores suos propagandæ religioni Mululmannæ militasse prædicant: qui non passim nec ab omnibus mendicant, sed vesperi prætereuntibus sebaceam candelam, malum citrium vel punicum obtrudunt, ut nummum qui duplo triplove pluris sit recipiant, & vendere potius quam turpiter rogare videantur. Cæteroquí qui apud nos mendicant, apud eos serviunt, captum usu membrorum servum nihilominus herus alit, nec est ita debilitatus quisquam, quin operæ ejus aliquod sit pretium. Memini me redimere non ignobilem militem Hispanum, qui ordines apud suos duxerat, quem cum membris omnibus ex vulneribus debilitatum Turca emisset, rationem tamen iniit, quomodo fructum ex eo caperet. trajecit eum in Asiam, ubi anserum greges aluntur, quibus pascendis operas ejus locabat, ex quo non contemnendum lucellum faciebat. Ac nescio an optimè rebus nostris consuluit, qui servituten primus sustulit. Scio servitii varia esse incommoda, sed ea commodorum pondere sublevantur. Si justa & clemens & qualem Romanæ leges præscribunt, servitus, præsertim publica, maneret; non tot fortasse crucibus, neque tot patibulis opus esset ad coërcendos, quibus præter vitam

& libertatem nihil est, quos egestas ad quodvis audendum scelus impellit, libertas sine re non semper suadet honesta. non omnium ingenia inopem ferunt libertatem. nec omnes ita nati sunt, ut se regere & suo arbitrio recte uti sciant, melioris ductu atque imperio tanquam adminiculo opus habent, nullum alioqui peccandi finem facturi. ut sunt quædam bestiæ, quarum ferocitas semper metuenda sit, nisi vinculis aut robore coërceantur. Hic quidem mens imbecillior auctoritate herili gubernatur; herus, servi labore vivit. Turcæ maxima, qua publice qua privatim, è servitio emolumenta capiunt, rem familiarem servorum operis præclare tuentur, ideoque proverbio negant eum pauperem videri, cui vel unicus servus sit. Sed & publice si quid moliendum, transferendum, eruderandum aut minuendum sit, id servorum opera & assiduitate consequuntur. Nos operum antiquorum magnificentiam nusquam assequimur. quid enim? manibus destituitur, hoc est servili auxilio. ut taceam, quantum instrumentum servorum doctrina & literæ fuerint veteribus ad omnem scientiam adipiscendam. sed tu hæc animi causa dici à me puta. Turcicæ quidem militiæ fructus haud aliunde magis constat quam ex servis. Si miles Turca nihil aliud reportet è bello quam unum aut alterum mancipium, benè rem suam gessit, tulit laborum præmium. Nam vulgare mancipium quadraginta aut quinquaginta coronatis æstimatur. quod si ætatis aut formæ aut opificii accessione commendetur, duplicatur pretium. ex quo satis liquere arbitror, quantum compendium faciant cum undecunque quinque aut sex captivorum millia adducunt, quamque quæstuosæ sint illorum deprædationes. Nec Roma-

nos

nos olim hoc lucrum ſpreviſſe adverto, cum lectiones urbium univerſas viginti quinque aut triginta millium capitum diſtraherent & publicarent, ut eorum ſcripta teſtantur. Turcæ quidem ex tali ſectione plus minus decies quinquies centena coronatorum millia redigerent. Quanquam illi quidem à ſuæ religionis hominibus jure belli abſtinent, ab omnique capitis diminutione habent immunes. Sed regredior ex ſemita in viam. cum ſupra de venatione mea tibi narraverim, proximum eſt, ut de aucupio quoque dicam. Turcæ cum omnibus beſtiis indulgeant, tum potiſſimum avibus, & in his vel plurimum milvis, quorum operâ mundiorem urbem haberi putant. itaque magna hic ejus generis alitum, & quod nec laqueos nec tela metuant, pænè manſuetarum, copia eſt. ſibilo invocatæ adſunt, jactaque ſurſum cibaria unguibus rapiunt. jubeo mactari vervecem, convocatiſque illis ad viſcerationem inteſtinorum fruſtra in ſublime jaci, adſunt mox decem, duodecim, viginti. ſed paulo poſt adeo frequentes aggregantur, ut pænè domum inumbrent. quorundam ea confidentia eſt, ut de manibus porrigentium abripere audeant. ego interim cum manuali baliſta poſt columnam ſto. modo hujus modo illius caudæ vel alarum, ut caſus tulerit, pinnas teſtaceis globis verberans, donec mortifero ictu unam aut alteram percuſſam decutio: quæ tamen non niſi foribus occluſis audeo, ne Turcas irritem. nec de perdicibus, quando in hunc ſermonem ventum eſt, prætermittendum, ne quam partem ignores mearum oblectationum, & te quoque fortaſſe quæ me cepit, admiratio capiat. Habui perdices Chio allatas ex eo genere, quod & roſtro & pedibus rubris, tam ciceres; ut

ut eo ipso tædio essent, assiduè meis pedibus adhærebant, è crepidis holosericis rostro pulverem excitantes, quo se pulverarent. cum essent molestæ, & secludi in cameram jussissem, omnes præ nimia pinguedine paucis diebus extinctæ sunt, si modo famulis meis fidem habeo. nam Plinius quodam loco leporem & perdicem negat pinguescere. Nihil dum hic habes, quod mirere; sed audi reliqua. plena est Chios hujusmodi avibus, ubi cum hominibus sub iisdem tectis hospitantur. Agrestes pænè singuli plures pauciores ve nutriunt, ut cujusque fert animus aut res. primo diluculo pastor publicus eas sibilo evocat, procurrunt catervatim, congreganturque in via. inde pastorem, ut apud nos oves, secutæ procedunt in agrum, ubi totum diem apricantur pascunturque. sub vesperum eodem signo revocatæ, facto agmine domum & ad nota cubilia se recipiunt. hanc consuetudinem ita fieri memorant, statim ut ovis exclusæ sunt, eas rustici in sinum intra indusium transferunt, itaque una die & altera circumferentes fovent, & ori subinde admotas saliva nutricant. quo beneficio devinctæ (ut sunt ferè reliquæ animantes hominibus magis memores & gratæ) nutricios non obliviscuntur. una tamen adhibenda cautio est, ne in agro pernoctent. id enim si semel atque iterum fiat, facilè ad naturam redeunt, vitæ libertatem humano contubernio præferentes. Do maxime operam, ut hujusmodi ministerii bene peritum hominem ad Cæsarem reducam, qui eandem alendarum perdicum rationem apud nos instituat: Hoc etsi non viderim, tot testibus tamen & tam gravibus constat, ut eandem fidem tribuam auribus, quam adhiberem oculis: quemadmodum & in eo quod se-

quitur,

quitur, quod adeo hic pervulgatum est & in confesso, ut imprudens habeatur, si qui vocare audeat in dubium. Qui ex Ægypto huc veniunt (ut veniunt quotidie multi) constantet affirmant, non illic nostro more gallinis ova incubanda subjici, sed per certos homines ad quos ea cura pertinet, verno tempore, multo stercore simoque congesto ingentem veluti furnū construi, in quem tota vicinia longe lateque ova conferat, ubi solis & stercoris putrescentis vapore animentur, suoque tempore pullos edunt: quos repetentibus qui ova contulerunt, qui ei muneri præsunt non numerant (id enim nimis longum esset) sed admetiuntur. Quod ut libentius, tibi commemorarem, fecit quod est apud Vopiscum in Epistola qua Adrianus Ægyptiis iratus, in eos invehitur his verbis: *Nihil opto illis, nisi ut suis pullis alantur, quos quemadmodum fœcundent pudet dicere.* Non dubito quin hic mos vetus fuerit Ægyptiis. ea re suspicor Adrianum eis ut probrum objicere obscenitatem cibi in stercore & simo nati. fieri potest ut fallar, tu judicabis. nunc exsequar quod reliquum est nostrarum oblectationum. Habeo complures generosos equos, Syros, Cilices, Arabes, Cappadoces, camelos item portandis sarcinis, ut & reliquum itineris redituſque provisum instrumentum. volo enim ita Turcas credere, me omnibus exhaustis domini rei mandatis, vnam expectare decedendi veniam, quam jam diu urgeo vel importunissime, è discordiis præsentibus & intestino fratrum bello de tollerabilibus pacis conditionibus non desperans. Ex equis cum aliàs magnam capio voluptatem, tum vel potissimum cum vesperi singuli è stabulo producuntur collocanturque in area, ut aspiratione nocturnæ auræ mensibus æstivis

æstivis fruantur, & suavius quiescant. sic læti & exultantes progrediuntur, celsa cervice jubam jactantes, ut se spectari sentire videantur. prioribus eorum pedibus aptantur compedes, alter posteriorum pedum de palo fune religatur. Nihil est omnino mansuetius equis Turcicis, neque quod magis dominum aut eum à quo curetur, cognoscat. Ita eos Turcæ adhibita omni lenitate educant. Vidi, cum per Pontum, seu per eam Bithyniæ partem, quam ex re Axilon vocant, haberem iter in Cappadociam, quemadmodum homines agrestes, pullos equinos, etiamnum novos & tenellos curarent, ut eis blandirentur, ut in conclavia, & tantum non ad mensam adhiberent, pertractarent, demulcerent. diceres fere liberorum haberi numero. omnibus cervicem ambit veluti monile. fascia amuletis plena, adversus fascinum, quod præcipuè metuitur. nec pueri, quorum curæ committuntur minore utuntur clementia, eos sibi frequenti palpo conciliantes; fuste nunquam, nisi magna cogat necessitas, sævientes. ergo evadunt illi hominum amantissimi: neque tamen eo magis calcitrosum aut mordacem, aut refractarium reperias. rara hic hujusmodi flagitia. At nostra ratio, dii boni, quam est ab hac diversa! nostris moribus nihil putant actum agasones, nisi truci voce usque intonent, nisi fustis continenter in equi costis habitet. ita fit, ut ad eorum ingressum in stabulum equi toti cohorrescant, & eos perinde oderint ac metuant. Amant Turcæ assuefactos habere, ut jussi procumbant in genua, & sessorem ita recipiant, Bacillum, clavam aut ensem mordicus humo attollant insidentique domino porrigant. quæ ubi perdidicerunt, ut sit artis fides, aptant eorum nardibus annulos argenteos honorem & insigne disciplinæ. Vidi

qui

qui excusso ephippiis domino manerent in eodem vestigio. vidi qui procul astante equisone circuirent, & quoties juberet consisterent. vidi qui domino mecum in superiore cœnaculo prandente, arrectis auribus vocem ejus caperent: quamcum percepissent, adhinnirent. Sed est eorum equorum proprium, ut nisi porrecta rigidaque cervice cursum conficiant, nec sisti nec flecti possint nisi largiore gyro: quod freni (ut ita dicam) crimen arbitror, quod quidem per totam Turciam unius generis & formæ est; neque ut apud nos pro oris equi ratione, asperius molliusve induitur. Calceant Turcæ equos soleis non adeo ut apud nos in medio apertis, sed pene continuis & solidis, quo minoribus offensaculis pedes obnoxii sint. Iidem equi haud paulo longius quam nostri vitam extendunt. videre est 20. annorum eo animi vigore, ea corporis firmitate, qua sunt apud nos annorum octo: & perhibentur aliqui in equilibus Principis ob magna merita perpetuis alimentis dignati, durasse ad annum quinquagesimum, & eo amplius. Per noctes æstivas quibus calor intentior est, Turcæ equos non habent in operto, sed exponunt (ut dixi) nocturnæ auræ, dorsualibus intectos, arido fimo substrato. in quem usum collecta toto anno equorum excrementa siccant in solem, comminuuntque, & in pulverem redigunt. hoc stratum equis subjicitur, neque aliud norunt. straminis nullus usus, ne ad pabulum quidem. modica fœni, non maxima hordei portione equos sustentant, magis quam saginant. gaudent macilentioribus ut ad cursum & omnem laborem aptioribus. dorsualibus, quos dixi, equos insternunt, non minus tempore æstatis quam hyemis, sed tamen pro temporis ratione diversis. id cum ad nitorem

rem pili conducere, tum adversum frigus necessarium esse ducunt alsiosis eorum equis, neque ullam rem minus ferentibus quam frigoris inclementiam. Ex his (ut dixi) jucundum spectaculum capio, cum sole ad occasum vergente singuli suis quique locis in area collocantur. appellati à me vel Arabis vel Caramani vel quocunq; nomine hinnitu respondent oculosque in me contorquent. nam soleo interdum descendere, & cortices peponum mea manu inter eos dividere. hinc illa notitia. Ego vero quacunque ratione possum. molestiarum quæro oblivia. Habeo camelos fœminas sex, per causam sarcinarum ferendarum comparatas; sed re vera ut ad Principes meos ducam, si forte eorum operæ opportunitate adducti hujusmodi animalis alendi studium eos capiat. Duo sunt, ex quibus meo judicio maximum Turcæ usum fructumque percipiunt, oriza inter fruges, cameli inter jumenta. utrumque longinquis expeditionibus, quas obeunt, perquam accommodatum. Nam illa quidem non facile corrumpitur, & salubre hominibus præbet alimentum, & multis saturandis pauca sufficit. Cameli gravissima subeunt onera, facile esuriem & sitim ferunt, minimumque curæ requirunt. Camelarius unus sex curandis satis est. neque aliud fere animal regenti magis obtemperat: non pectine, non strigili opus habent, scopis mundantur, ut nobis vestimenta. in nudo solo accumbunt verius quam procumbunt. itaque onerandos se præbent. quod si onus fuerit justo gravius, fremitu testantur, & recusant surgere, sub graviore pondere facile rumpuntur, præsertim via lutulenta & lubrica. Juvat videre, quemadmodum in orbem considentes, collatis capitibus, ex eadem pelui vel patina summa

ſumma concordia pabulum & potum ſumunt, contentæ minimo. Cum res exigit, in pabuli penuria, vepres & ſpinas rodunt, quibus quanto magis os cruentatur, eo impenſius delectantur. camelorum nonnullos mittunt Scythæ, ſed plures ferunt Syna Aſſyriaque, ubi maximis paſcuntur armentis, tantuſque eorum proventus eſt & vilitas ut equa generoſior, interdum centum camelis permutetur. in quo tamen fortaſſe non tam camelorum vilitas, quam equarum caritas, & pretium, admirationem faciat: quod hujuſmodi equæ tanti illic æſtimentur, ut qui unam habeat, ſe *divitias habere putet. Bonitatis periculum fit ex arduo monte per præceps inoffenſo pede decurſu. Proficiſcens ad bellum Turcarum princeps multa camelorum millia ſecum ducit, ſupra quadraginta, nec multo pauciores ſarcinarios mulos, quorum magnam partem, ubi in Perſiam itur, onerant omne genus frugibus, ſed præcipue oriza. Iidem tam muli, quam cameli, tentoriis atque armis reliquoque bellico inſtrumento & apparatu portando deſerviunt. Quæ regiones nomine Perſiæ ei regnantur quem Turcæ *Chiſilbas*, nos Sophi vocamus, nou ea fertilitate ſunt qua noſtræ. Tum mos eſt ei genti, ubi hoſtis ingruit, omnia flamma & ferro corrumpere, & ita hoſtem fame ſummovere. Qui niſi annonæ vim ſecum ferat, magno conflictatur periculo. Nec tamen temere ubi ad hoſtem venrum eſt, comportato commeatui manus admovent. in redditum potiſſimum reſervatur, ubi referre pedem tempus admonet, & per ea loca remeandum eſt, quæ vel vaſtavit hoſtis, vel tanta hominum jumentorumque multitudo in modum locuſtarum penitus (ut ſic dicam) abraſit: tum Principis cõmeatus recluditur, ex-

penditurque

penditurque quotidie aliquid Gianizaris aliisque mancipiis regiis, quod satis sit ad vitam fugientem retinendam. reliquis malè consultum est, nisi de suo provisum habeant, quo utantur. Nam plerique talium difficultatum frequenti bellorum usu experti, equites præsertim, equum loro ducunt, in quo multa vehunt, quæ vitæ usus exigit. Breve velum quo tentoriolo utantur, sub quo sole vel imbre infesto latitare possint. vestium item aliquid & stragulorum huc addunt: peculiarem penum scorteum saeculum unum atque alterum, purissimæ farinæ plenum. præterea exiguam ollam butyri, aliquid aromatum & salis: quibus ubi ad extremum famis ventum est, vitam tolerent. deprompta farinæ pauca cochlearia in aquam injiciunt: addunt butyri nonnihil: deinde sale & aromatibus condiunt: quæ admota foco ubi ferbuerunt intumescunt, sic ut capacem impleant patinam. eo vescuntur die semel aut bis, pro copia, sine pane, nisi si quem igne induratum sive buccellatum secum attulerunt. eo modo annonæ angustias per unum mensem, & si sit opus amplius eluctantur. Sunt qui folliculum siccatæ, & in pollinem redactæ carnis bubulæ complent, qua, ut firmioris nutrimenti, magno cum fructu (ut dixi de farina) utuntur. Neque vero interim equorum carnibus abstinent, quorum fieri non potest, quin in tanto exercitu magnus numerus intereat. sed ut quisque paulo adhuc habilior periit, enectis fame hominibus lautum præbet obsonium. At domini amissorum equorum (ut hoc quoque dicam) movente castra Principe, viæ qua iturus est, longo ordine adsistunt, receptis in caput ephippiis sive sellis; ita jacturam equi significantes, emendoque novo auxilium implorantes.

rantes. quibus munere quo videtur ſubvenit princeps. Sic Turcæ cum extremis difficultatibus patientia, ſobrietate victus & parſimonia, pugnant, & ſe rebus melioribus ſervant. longe aliter quam milites noſtri, qui quotidianos cibos in caſtris faſtidiunt, molliculas eſcas, turdos, ficedulas, & conviviorum apparatus requirunt. Quæ ſi non ſuppetant, tumultuantur ac pereunt: & ſi etiam ſuppetant, pereunt tamen. Nam ſibi quiſque certiſſimus hoſtis eſt, neque capitaliorem habet inimicum quàm ſuam intemperantiam; quæ ſi cunctetur hoſtis, eum jugulat. Quæ cogitantem horror corripit, quid poſtremo futurum ſit, cum hanc noſtram rationem cum eorum comparo, ſuperare alteros, alteros interire neceſſe eſt; ambo certè incolumes eſſe non poſſumus. ab illa parte ſtant immenſæ imperii opes, vires integræ, armorum uſus & exercitatio, miles veteranus, victoriarum aſſiduitas, laborum patientia, concordia, ordo, diſciplina, frugalitas, vigilantia. ab hac noſtra, publica egeſtas, privatus luxus, diminutæ vires, fracti animi, laboris & armorum inſolentia, contumaces milites, duces avari, diſciplinæ contemptus, licentia, temeritas, ebrietas, crapula; quodque eſt peſſimum, illis vincere, nobis vinci ſolitum. Et dubitamus etiam quid eventurum ſit? unus modo Perſa intercedit: quem ad nos feſtinans hoſtis, reſpicere cogitur, ſed is moram adfert, non ſalutem. hoc compoſito, cum totius orientis viribus in noſtras cervices ingruet, quam paratos non audeo dicere. Redeo nunc unde diverti. dixi jumentis portari in bellum arma & tentoria, ea ſunt fermè Gianizarorum. Magnæ Turcis curæ eſt, ut benè valentem tutumque ab injuria tempeſtatis militem habeant,

à vi hostili ipse se defendat, valetudo stat præsidio publico. hinc melius videas vestitum Turcam quam armatum. Frigus inprimis timetur, quod etiam æstatis tempore tribus arcent vestimentis, quorum intimum (sive ea subucula est, seu quocunque nomine vocanda est) crasso filo contextum plurimum adfert caloris. Eiusdem frigoris depellendi caussa & adversus imbrem tentoria eis circumferantur, in quibus tantum cuique tribuitur loci, quantum corpore occupat: ita unum tentorium 25. aut. 30. capit Gianizaros. earum quoque vestium, de quibus attigi, pannus publice suppeditatur. Ne vero qua querela sit, & gratiæ quid datum videatur, ita eum distribuunt. Manipulatim milites primis noctis tenebris ad locum ei rei destinatum evocant, (sive id diribitorium, sive quod aliud ei nomen est) tot jam paratis sepositisque portionibus, quot sunt ejus manipuli milites: ingressi sumunt quisque quod sors in tenebris offert, cui soli imputatur si quod fuerit panni melioris deterioriśve discrimen. Eadem de caussa stipendium eis non numeratur, sed appenditur, ne quis leviores accisosve nummos sibi dato criminetur. nec stipendii dies expectatur, sed pridie repræsentatur. Arma vero potissimum comportantur in usum equitis prætoriani. Nam Gianizari fere pugnant expediti eminus & sclopeto. ergo ubi hostis in propinquo est, & speratur prœlium, promitur armatura, sed fere generis antiqui, variis collecta prœliorum casibus, exuviæ & spolia veterum victoriarum, ea distribuitur in equites prætorianos, alioqui levi tantum clypeo tectos. Jam vero cogitare potes, quemadmodum ea armatura unicuique quadret, sic temere partita. huic thorax angustior, illi laxior galea, isti ponderosior

lorica

lorica quam. ut ferre possit, obtigit. aliud alibi vitium. ferunt tamen æquo animo. armaturam accusare ignavum putant, & sub quibuscunque armis egregie pugnaturos sibi pollicentur. tanta est frequentibus victoriis & multo belli usu confidentia. hinc est etiam, quod peditem veteranum, qui nunquam pugnavit ex equo, tamen ad equum rescribere non dubitant. Nam ita habent persuasum, in quo sit militiæ usus, & constantia, eum quocunque pugnæ genere fortem operam navaturum. Neque mihi aliter videntur sensisse Romani, & in his vel maxime Julius Cæsar, quem dicere solitum scribunt, *milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse*. Nam quid spectasse eum judicemus, cum legionem decimam, venturus cum Arioviſto in colloquium, equis imposuit, ut ex equis opinor pugnaret, si foret opus, genere pugnæ cui minimum assueverat. Nam scimus longe aliam peditis apud Romanos, aliam equitis fuisse disciplinam. Quod si defendas Cæsaris fuisse consilium, ut in equis quidem deportaret legionem, sed pedestris ejus opera uteretur; plenum periculosæ aleæ videtur futurum fuisse negotium, si cum Arioviſti exercitatissimi equites tam essent, in propinquo, ut Romanos lapidibus incessere possent, magno derepente impetu in eos incutrissent, dum legioni temporis momento ad pedes desiliendum, equi amoliendi, ordo aciei instituendus fuisset. Ac nescio an nostris moribus videri possit quicquam absurdius. Sed utrumcumque sit, armorum usu freti, institutis quanquam à nostris moribus alienis & Romani olim bella conficiebant, & hodie Turcæ prospero successu pugnant. Atque hæc quidem hactenus. nunc eo revertor quod scripsi erga omne genus animantum

Turca

Turcas se præbere indulgentes. Canis apud eos obscœnum & impurum animal habetur, ideoque domo arcent: in ejus locum succedit felis, multo castior, & (ut videtur) verecundia quadam & pudore præditus. quam consuetudinem firmant exemplo Mahumetis legislatoris sui, cui sic felis fuit in deliciis, ut cum lectitante eo in mensa super manicam ejus obdormivisset, atque eum tempus ad rem sacram vocaret in templum, abscindere sibi manicam maluerit, quam feli somnũ turbare. Nihilominus cum ita de canibus sentiant, atque illi communes sint, nec proprios habeant dominos, vicorum potius & regionum quam certæ domus custodes, victitentque de purgamentis quæ in publicum ejiciuntur: tamen si qua sit in vicinia fœta canis accedunt, ossa, pultis & offarum reliquias congeruut idque pietati consonum putant. In quo cum eos accuso, quod ea præstent brutæ animanti, quæ haud scio an præstarent rationis participi & sibi congeneri, certe minime darent homini Christiano; respondent concessam homini à Deo rationem, egregium ad omnia instrumentum, qua tamen ille abutatur; sic ut nihil ei cadat incommodi, quod non sua culpa contraxerit, id circo minore misericordia dignum. At brutis nihil à Deo tributũ præter quoldam motus & appetitus naturales, quos non sequi non possint, ideoque humana ope & commiseratione sublevandos. Ea de caussa ferunt graviter, si qua bestia per cruciatum interficiatur, aut voluptas ex ejus laniena quæratur: cujus rei documento nuper fuit aurifex quidam Venetus. Is delectabatur aucupio: ceperat inter reliquas aves unam, coccygis magnitudine atque ejusdem fere coloris, non magno quidem rostro, sed faucibus ita vastis & patentibus, ut cum diducerentur, prodigiose hiarent,

hiarent, & quemvis magnum hominis pugnum caperent. cujus rei novitatem miratus homo alioqui ridiculus, avem januæ ſuæ ſupero limini paſſis alis affigit, faucibus ita bacillo diductis ut immenſum hiarent. qui illac iter habebant frequentes Turcæ, conſiſtebant ſuſpiciebantque. ſed ubi moveri avem & vivere animadverterunt, in miſerationem verſi clamant, indignum facinus, innocentem avem ſic diſcruciari: aurificem domo evocant, arreptumque obtorto collo trahunt ad judicem rerum capitalium. jamque in eo res erat, ut malè verberibus acciperetur, cum à Bailo Veneto (ſic eum vocant qui illic inter cives Venetos jus dicit) quidam intervenit, qui hominem repeteret: quem à benevolo & favente judice, tamen frementibus reliquis Turcis vix impetrat. Sic ille ſervatus eſt. Riſi ſatis (nam ad me crebro ventitat) cum mihi totam rem, quantoque in metu verſatus eſſet, commemoravit. quin etiam avem ad me attulit, ut inſpicerem. ea eſt qua dixi figura, noctu volare & vaccarum mammas ſugere ajunt. conjectura ducor ut veterum *caprimulgum* fuiſſe credam. Tales ſe erga omne brutorum animantium genus præſtant Turcæ, ſed maxime pinnigerum. eſt è regione diverſorii noſtri procera platanus, amplitudine ramorum & opacitate frondium ſpectanda: ſub ea interdum conſiſtunt aucupes, cum magno avicularum numero: accedunt multi, & parvo ære captivas redimunt, quas ſingulatim deinceps manu emittunt. Illæ ferè in platanum ſubvolant, ubi ſe à carceris ſquallore & ſordibus purgant, pinnaſque explicant, pipilantes interim. tum Turcæ qui redemerunt, *Audin*, inquiunt alter alteri, *ut ſibi gratulatur, & mihi gratias agit?* Quid ergo? adeone Pythagoræi Turcæ, ut omne

animal

animal apud eos sacrosanctum sit, nulloque vescantur? minime, imo fere à nullo abstinent, quod sit appositum, sive elixo sive assato. Ovem quidem lanienæ nasci dicunt, sed non ferunt ex earum cruciatu & tormento voluptatem quæri. Minores quidem aves, quarum cantu rura campique Celebrantur, sunt qui nulla ratione adduci queant ut interficiant, imo ut caveis inclusas teneant, nimiam libertati earum injuriam sic fieri existimantes. Sed non est omnibus una sententia. Luscinias certe egregie canoras sunt qui domi nutriant, quarum operas ad canendum veris tempore locent. Vidi qui carduelcs ita doctas circumferrent, ut cum eis de senestra superne nummus ostenderetur, quamvis procul advolarent, nummumque peterent; quem si qui tenebat extorqueri sibi non pateretur, manum ejus insidenres in aliud atque aliud cubiculum transeuntem comitabantur, cum nummo interia luctantes: quem simulatq; adepti essent, itineris quod fecissent memores, ad dominum stantem in via sonituque tintinnabuli revocantem revolabant, cui tradito nummo operæ præmium grana aliquot canabis accipiebant. Sed quiesco ne me Plinium aut Ælianum imitari, & historiam animalium componere velle censeas. Transeo ad alia, ac volo tibi castimoniæ mulieris Turcicæ exemplum commemorare. Turcæ, si qua alia gens uxorum pudicitiæ student; ideo conclusas servant domi atque abdunt, ut vix solē aspiciant. quod si in publicum necessitas evocet, ita tectas ita pannis obvolutas emittunt, ut meræ larvæ aut spectra occurrentibus videantur. ipsis quidē viros per linteam aut seraceum videndi copia, est, viris nulla earum corporis pars ad conspectum patet. est enim apud eos recepta opinio, non posse mulierem quam

vel

vel minimum forma aut ætas commendet, à viro ſine potiundi libidine, ac proinde ſine mentis labe conſpici. ob id omnes habent abſconditas. Fratribus quidem earum, videndi facultas permittitur: at maritorum fratribus non item. Qui ſunt opulentiores aut in aliquo honoris gradu, ea lege ducunt, ne limine unquam pedem efferant, ne quis quæve ad eas viſendi vel quacunque de cauſſa admittatur, ne conſanguineorum quidem proximi, excepto patre & matre, qui die Paſchatis viſere filiam non prohibentur. pro quo ſi mulieres eminenti dignitate patrem habeant, aut dotem autulerunt grandiorem repromittunt viciſſim mariti, ſe nullas habituros pellices, ſed eis ſolis contentos fore. alioquin Turcas, quos velint, ad juſtas uxores pellices aſſumere nulla lex vetat. neque ullum inter harum & illarum liberos honoris diſcrimen, eodemque jure cenſentur. Pellices vero aut ſibi emunt, aut bello acquirunt: quarum ubi tædet, nihil impedit quo minus in forum productas vendant. Liberis tamen ſuſceptis libertatem conſequuntur quo inſtituto Suleimanni uxor Roxolana ad uſum ſuum converſo, cum ei adhuc ſerva filium peperiſſet, eoque libertatem conſequuta & ſui juris facta eſſet; Suleimanno amore flagranti amplius morigerari recuſabat, niſi in juſtæ uxoris locum duceretur, præter Ottomannorum principum conſuetudinem. Uxor juſta à concubina ſola dote dignoſcitur. ſervarum nulla dos eſt. dote dicta veluti matres familias in reliquas mulieres totamque mariti domum imperium habent. ſic tamen ut mariti optio ſit, cum qua nocte cubet. quod cum uxori ſignificavit illi imperat ancillæ ut ad eum dormitum eat, eaque paret haud paulo fortaſſis alacrius quam domina jubeat. Una

nox singulis hebdomadib. diei Veneris apud eos festi, uxori reservatur; qua sine querela defraudare eam maritus non potest; cæteræ noctes ejus arbitrii sunt. Divortia fiunt inter eos pluribus de causis, quas viris comminisci facile est. Dimissæ redditur dos, nisi probrum aliquod dissidio causam dedit. Mulieres ægrius à viris divortunt. in causis quibus id eis permissum hæ continentur: si mariti debitis eas alimentis fraudent: item si præter naturæ præscriptum (quod nefas Turcis familiare) eis abuti conentur. Tunc ad judicem profectæ se non posse diutius apud maritum manere testantur: judice causam quærente, nihil respondent, sed exutum pede calceum invertunt. id judici abominandæ Veneris indicium est. Qui potentiores sunt, & frequens habent gynæcium ejus custodiæ eunuchos apponunt, non modo testibus captos, sed toto cole. alioqui simplicibus eunuchis se parum tuto mulieres suas putant committere, quod eis supereſt quo delectari possint, quamvis ad generandum non sit pares. Iidem potentiores balnea habent domi, quibus ipsi mulieresq; laventur, sed tenuiores balneis utuntur publicis. Corporis sordes instar piaculi detestantur, magis etiam quam animi impuritatem. crebræ ea de causa lotiones. nec alvum excrementis exonerant quin aquam secum portent, qua partes obscœnas lavent. Cum vero vulgus mulierum promiscuis sui sexus balneis utatur, eo plures cum servæ tum liberæ aggregantur: in quibus puellæ multæ sunt eximia forma, ex diversis orbis regionibus variis casibus collectæ: quæ cum nudæ ut in balneis reliquarum oculis exponantur, miros in quibusdã excitant amores, nihilo minores quam quibus apud nos adolescentium animos virgines commovent. Vide quid proficiat

ficiat custodia; quamque non omnia fugit, qui vitavit adulterum. mulieres inter se amant, conciliatrices vero nefariorum amorum sunt balneæ: à quibus propterea quidam mulieres suas quoad possunt arcent, penitus tamen abstinere non possunt, permittente lege. Sed hæc vulgi labes: ditiores (ut dixi) lavant domi: Evenit ut in tali cœtu mulier magna natu caperetur amore juvenculæ, filiæ cujusdam incolæ Constantinopolitani, hominis in tenui re cumque apud eam procando & blandiendo non tantum proficeret quantum ejus insania postulabat, rem ausa est nostris moribus pene incredibilem: mutato cultu mentitur virum, conducit ædes in propinquo, ubi habitabat puellæ pater: nomen edit inter mancipia imperatoris de numero Chiausiorum; brevique ut fit inter vicinos insinuat se in ejus consuetudinem, nec multo post de filiæ nuptiis mentionem injicit. quid multa? visa est conditio patri non aspernanda. libenter annuit, dicitur dos pro facultatibus, & item dies nuptiis, qua ingressus in thalamum ad novam nuptam, bellus ille sponsus, ubi capitis tegmen deposuit, & colloqui cœpit statim agnoscitur. exclamat virgo & parentes revocat. illi cognoscunt non se viro, sed fœminæ collocasse filiam. postridie ducunt ad præfectum Gianizarorum, qui per absentiam principis urbi præerat. increpat mulieris tam grandis natu vasaniam, ecquid puderet propudium tam fœdæ libidinis tamque vecordis incepti. tum illa; *Abi sis* (inquit) *nescis quid valeat amor. faxit Deus ne ejus vires unquam experiaris.* Ad vocem tam absurdam non tenuit risum Præfectus, statimque è conspectu amoveri illam & profundo mergi jussit. sic vetulæ male processerunt sui amores. Turcæ in occulta flagitia non val-

de inquirunt, ne locum aperiant calumniæ: manifestaria & comperta graviter puniunt. Vereor ne tam nefarii exempli commemoratio gravior ad tuas aures acciderit; volo, si possum commodiore narratione abstergere si quid tædii adhæserit. nam quod sequitur, sat scio, non sine risu leges: Venerat nuper turbatis in Hungaria rebus à Cæsare tabellarius. Eum Bassæ non recta ad me ut consuetum, sed prius in Divanum duci voluerunt. incesserat eos cupido cognoscendi quid Cæsaris literæ continerent, antequam mihi redderentur. suspicabantur me pleraque supprimere, neque literarum sententiam fideliter eis aperire, sed tabellarius futuri providus litteras Cæsaris abdiderat, solasque amicorum protulerat. Jam docti erant à suo interprete, Ebrahimo natione Polono, literas in quibus essent secretiora mandata, non usitatis characteribus, sed genere notarum novo (quas *ziffras* vocaremus) scriptas. Dum literas omnes scrutantur, forte incidunt in epistolam hominis mihi amici Burgundici Secretarii. advertit Ebrahimus per tenuiorem chartam translucentibus literis, non usitato more conscriptam. exclamat se invenisse. vetat attingi reliquas, hanc esse quæ rem contineret. resignatam Bassæ jubent ut legat & interpretetur. intenti ipsi ora tenebant. At Ebrahimus negat se vel unam literam noviſſe. mirari Bassæ, & an literas Christianas nunquam didicisset aut dedidicisset, quærere: respondet Ebrahimus, hoc genus literarum iis tantum modo notum, qui essent Principibus à secretis. illi non satis intelligere. sed tamen si ita est, inquiunt, quid cessas? cur non ocius confers te ad Secretarium vel Baili Veneti vel Florentini? Nihil cunctatus Ebrahimus eo transvolat;

lat: erant iis notis scriptæ literæ ut à puero decem annorum legi possent. sed uterq; Secretarius, quod erant ad me scriptæ, vix inspectas rejecit, causatus hujusmodi literas à nemine legi, nisi cum quo communicatum esset earum exemplum. Cum hoc responso recurrit Ebrahimus. Bassæ deliberant quid facto sit opus. tum nescio quis: Est in hac urbe vir multarum literarum sciens Patriarcha, aut hunc, cum sit senex & Christianus, literas istas lecturum opinor, aut alium neminem. Itur in istius sententiam. Patriarcha negat se vel unum apicem novisse: non enim literas Græcas, non Latinas, non Hebræas, neque Chaldæas esse. sic irrito labore referuntur. hic Hally Bassa, tametsi alias vir minime insulsus, ad Rustanum conversus, *Cardaßi*, inquit (id Turcis fratrem signat) recordor mihi fuisse servum natione Italum, omnium linguarum & literarum peritum. is si viveret, mihi haud dubium est quin literas istas legere & interpretari posset. sed jampridem diem suum obiit. Ignari quid præterea consilii caperent, optimum statuunt literas nulli sibi futuras usui, ad me mittere. ego omni re per Ebrahimum cognita (neque enim celari poterat) graviter queror & succenseo, quod ita literas meas intercepissent, nulla juris publici, nulla Cæsaris, à quo venissent, reverentia: & simul jubeo illum expectare, ut translata quædam ex iis literis die sequenti ad Bassas deferat. Qui ut postridie comparuit in Divano, quærunt Bassæ, ecquid ego literas illas legere potuerim? tam facile, inquit Ebrahimus, quam nomen suum: & simul quædam quæ cum Bassis nunciare volueram, exponit. hic Rustanus: orator iste juvenis est, & ea intelligit quæ ne legere quidem potuit senex Patriarcha: haud dubie

bie evadet in vitium magnum ſi pervenerit ad ſenectutem. qua re an alia haud ſcio adductus, idem Ruſtanus, cum interpoſito dierum aliquot ſpacio de communibus negotiis cum eo egiſſem, cœpit familiarius, (quod ei rarum) ſeſe mihi dare, atque eo poſtremo evaſit, ut me interrogaret, cur non religioni eorum initiarer, & veri Dei cultus fierem particeps. ſi faciam, ex eo mihi magnos honores & magna parata à Suleimanno præmia. Reſpondeo, mihi certum eſſe manere in ea religione, in qua natus eſſem, quamque dominus meus profiterertur. Pulchre, inquit Ruſtanus, ſed tamen de anima quid fiet? Et de anima, inquam, bene ſpero. tum ille, cum pauliſper intercogitaſſet, Ita eſt profecto, inquit: neque ego ab hac abſum ſententia, æternæ beatitudinis conſortes fore, qui ſancte innocenterq; hanc vitam traduxerint, quamcunque illi religionem ſecuti ſint. Ea eſt quorundam inter Turcas hæreſis, neque vero Ruſtanus per omnia nimis catholicus haberur. Turcæ pietati & officio ſuo convenire exiſtiamant, ut homini Chriſtiano, de quo bene ſentiant, ſacrorum & religionis ſuæ communionem ſemel deferant; ut ſervent, ſi poſſint, certo exitio deſtinatum. qua re nullum majorem honorem haberi, neque majus beneficium à ſe dari poſſe arbitrantur. Accipe aliud cum Ruſtano colloquium ut intelligas, quanto intervallo Perſas à Turcis religio disjungat. Interrogabat me aliquando, num bellum inter reges Hiſpanum & Gallum maneret. cum manere reſpondiſſem; Quo jure inquit, inter ſe bellum gerunt, cum religionis ſocietate jungantur? eodem (inquam) quo vos cum Perſis. Sunt civitates, provinciæ, regna, de quibus controvertunt & armis diſceptant. Alia res

eſt,

eſt, inquit Ruſtanus. Nos enim ne ſis neſcius, magis averſamur Perſas, magis profanos habemus quam vos Chriſtianos. Nunc de rebus Hungaricis aliquid. Ex quo huc redii, res in Hungaria vario eventu geſtæ, de quibus ſingulatim preſcribere longum eſſet, & à meo inſtituto alienum. Rediit in Tranſilvaniam Iſabella, regis Joannis uxor, unà cum filio, repudiata tranſactione pactiſque infirmatis quæ cum Cæſare Ferdinando fecerat, & populis Tranſilvaniæ Turcicorum armorum terrore, ſub vetus jugum cervicem denuo ſubmittentibus. Quibus feliciter peractis, Turcæ non contenti, ne de tota quidem Hungaria deſperare videbantur. Itaque cum alia ſibi attentanda putarunt; tum inprimis Sigheti obſidionem, (ea vox Hungaris inſulam ſonat) loci natura valde muniti. Ad eam rem ducem deligunt, qui ſuperioris temporis felicitate ſuis multum fiduciæ, hoſtibus contra plurimum adferret formidinis. is fuit Hally Baſſa Epirota, cum reliquis rebus in Hungaria cui præfuerat, feliciter geſtis, tum maxime clade Sfortiæ Palavicini & Epiſcopi quinque Eccleſienſis famoſi. Arceſſitus ab ultimis contra Perſam Turcicæ ditionis finibus, ubi præerat, venit cum magna expectatione Conſtantinopolim. Erant etiamnum hic mei collegæ, ſuum reditum urgentes. Placitum eſt Baſſis, ut eum videremus, quem belli quoddam fulmen à nobis habitum iri judicabant. excepit nos humaniter, multa locutus in eam ſententiam, ut paci conſuleremus, ne ferro flammaque vaſtari Hungariam vellemus: ad eas potius conditiones accederemus, quas ſuus Imperator nobis ferebat. Reſpondimus, nobis nihil pace antiquius, modo daretur iis conditionibus, quæ Im-

peratori noſtro tolerabiles eſſent ea pace prohiberi quæ eſſet contra rem & dignitatem Majeſtatis ſuæ. Ita diſceſſimus, prius aquæ ſaccaro dilutæ potione abeo honeſtati. Erat eunuchus Hally, ſed quod uni demptum erat corpori, hoc additum animo videbatur, ſtatura erat brevi, ſufflato corpore, colore buxeo, triſti aſpectu, torvis oculis, latis & eminentibus humeris, inter quos depreſſum latebat caput. Ex ore duo veluti aprugni prominebant dentes, vox ei rauca; ut uno verbo dicam, Furiarum quarta. Is poſtridie magno apparatu in Hungariam pergere contendit: ubi ſumpto ad comparationem belli ſpacio, poſtremo ducit ad Sighetum, reſtituentelque Babocham (ea arx eſt Cæſaris) homines diſturbat. Sed Cæſar de conſiliis ejus jampridem factus certior, de tribus filiis unum nomine Ferdinandum juvenem, cuilibet veterum imperatorum animi magnitudine parem, deſtinaverat, quem ruenti Hally Baſſæ opponeret, cujuſque virtute rebus Hungaricis opitularetur. Atque is non quidem maximis copiis, ſed equite ſelecto, contra Hally exercitum ſtetit. Narrarunt mihi Turcæ qui interfuerant, fuiſſe operæ pretium videre earum copiarum ſplendorem, ordinem, conſtantiam. Furebat pro inſita animo ferocitate Baſſa, qui longe ampliores copias h bebat, audere Chriſtianos ſuum conſpectum ferre. Neſcio quid paludoſi ſoli inter utrumque exercitum intercedebat, qua tranſiri ſine diſcrimine non poterat. Ferdinando quidem, cui Sigheti ſubſidium, & ut hoſtem ab obſidione averteret, conſilii ſcopus erat, tranſeundi neceſſitas nulla. Hally Baſſæ contra ſummæ rei diſcrimen neceſſarium, niſi cedere turpiter, periculoſique receptus aleam ſubire mallet, ut eventus docuit. Is ergo proſpiciens

in

in quam neceſſitatē adductus eſſet, rei ſummam in caſum dare decreverat; jamque eo flexerat equum ut ſe in locum illum impeditum demitteret; cum ex circumſtantibus Singiaccus quidam, cujus mihi nomen excidit, animadverſa periculi magnitudine, equo deſilit, & fræno equi Baſſæ manu injecta, Ecquid, inquit, vides *Sultane* (ita dignitate præcellentes Turcæ nominant) in quam apertum diſcrimen teque & nos omnes conjicias. Non cogitas quantum illa palus incommodi habeat. expectant Chriſtiani armis animiſque parati, ut nos partim vix emerſos, partim etiamnum in cœno hærentes, diſſipatos certe omnes perturbatoſque ipſi conferti opprimant, imprudentiaque noſtra ad exploratam victoriam abutantur. Quin moderare iracundiæ, redi ad te, tot viros fortes tecum una imperatori noſtro & melioribus temporibus ſerva. Dabit Deus locum his incommodis ſanandis. Quibus dictis Hally, tanquam mente recepta, ſe continuit. Nemo tum fuit Turcarum, qui non ejus Singiacci conſilio ſervatum exercitum confiteretur. Sed tamen cum eſſet res delata Conſtantinopolim, etſi ne Baſſæ quidem Viſirii, hoc eſt primarii, idem inficiari poterant, nihilominus impunitatis tam audacis facti ſupereſſe memoriam noluerunt. Laudabant quidem muſſantes & fidem & prudentiam; ſed exemplum licentiæ, utut ſucceſſerat, ſine debita animadverſione ad Poſteros tranſmitti alienum à diſciplina judicabant. ea re loco motum revocant Conſtantinopolim, ubi inter abactos verſari cogunt; donec purgato quoad viſum eſt flagitio, haud paulo meliore præfectura rurſus ornant, ut facile appareret diſciplinæ magis conſervandæ, quam delicti merito, eas pœnas dediſſe.

At Hally paulo post amissa in reditu insidiis atque incursu Hungarorum bona parte exercitus, fractus & inglorius Budam se recepit, ubi dolore atque ignominia expeditionis inauspicatæ vitam invisam cum morte commutavit. Contra Archidux Ferdinandus cum merita laurea ad patrem Ferdinandum se retulit, re non solum ad præsentem utilitatem, sed multo etiam magis ad posteritatis exemplum bene & feliciter gesta, dato Turcis documento, si molesti esse pergerent, Cæsari neque vires neque duces deesse, quibus eorum insolentiam castigaret. Nec ab eo tempore paulo modestius Turcæ illis finibus se habuerunt. Dum esset adhuc in castris apud Sighetum Hally, nostri milites scalis in mœnia egressi, urbem Strigonium, ejusdem cum vicina arce nominis ceperant, unde prædæ nonnihil egestum, abducti habitatores fere pueri mulieresque. Cujus rei cum trepidus ad Hally Bassam nuncius veniisset, qui ipsa vultus consternatione magnum aliquod malum profiteretur, quærit Bassa, Satin'salvæ? & quæ tantæ consternationis caussa? tum illi ingentem acceptam cladem, captum direptumque Strigonium memorat. Sic Bassa, quam tu mihi (malum) cladem ingentem, quod tantum incommodum narras? Ea demum fatue mihi clades animadvertenda contigit, cum hinc (genitalium sedem ostentans) ea mihi membra ablata sunt, quæ me virum testabantur. ita non sine circumstantium risu consternationi nuncii illudens, & Strigonii amissionem, quod nullo negotio recuperari posset, elevans. In Croacia quoque finitimisque regionibus variæ ultro citroque excursiones factæ, & utrinque supinæ & nimiæ securitatis audaciæque pœnæ exactæ. è quibus exemplum unum referam: quod ut mihi lætitiæ fuit,

sic

fic tibi quoque non injucundum auditu futurum confido. Quanquam iſtud aliquando prius fuit, quam ea quæ de Sigheto modo recitavi; ſed ego ut in epiſtola non magnopere temporum ordinem mihi attentendum puto. Ex iis locis allatum erat ad Ruſtanum, quendam quem ipſe magnis ferebat laudibus, & nominabat ſuum conſanguineum, Chriſtianis, qui ſe cum locorum ſpacio, tum ignoratione Turcarum, bene tutos arbitrabantur, magno conventu nuptias celebrantibus, de improviſo armatum ſuperveniſſe, haud commodum hoſpitem. diſiecciſſe omnia, multos homines interfeciſſe, abduxiſſe complures, & inter eos cum ſua ſperata infelicem ſponſum. Enimvero exultabat Ruſtanus, & præclarum illum neceſſarii ſui ſtratagema glorians omnibus ingerebat. Nihil dum hic habes quod gratulatione dignum ſit, ſed ſumma potius commiſeratione. hi ſunt caſus tragici fortunæ inſolentis ludi. Verum non diu affuit Nemeſis, quæ riſum Ruſtani lacrymis & luctu mutaret. Venit non ita multo poſt ab iiſdem regionibus magna celeritate eques Dalmata, ex eorum genere quos ab enormi ſtolidaque audacia *Dellios*, hoc eſt amentes ſive inſanos Turcæ vocant, qui male rem geſtam, adverſo Marte pugnatum nunciaret: pleroſq; Singiaccos alioſque præfidiorũ præfectos conjunctis copiis in hoſticũ feciſſe excurſionẽ, multa millia pervagatos tuliſſe, egiſſe omnia, magnam prædam adeptos eſſe. ad extremum cum modum non facerent, incidiſſe in exercitum Chriſtianorum, equites ſclopitarios à quibus magna clade ſe fuſos fugatoſque multos deſideraſſe, in quib. & Achillem illum cecidiſſe Ruſtani propinquum, tantis modo laudib. celebratum. Tam triſti nuncio perculſus Ruſtanus lachrymas non tenuit inanemque ſuperioris temporis

poris lætitiam justo dolore propter amici interitum rependit. Audi reliqua, quæ non minus habent festivitatis. Cum eques ille Dalmata, cladis quam dixi nuncius, in Divano subinde à Bassis interrogaretur, quot tandem fuerunt vestrum? atque ille supra duo mille & quingentos fuisse responderet, pergebant Bassæ; cedo, quantum jam fuit Christianorum? arbitrari se aiebat non fuisse ultra quingentos, nisi si (quod suspicabatur) in insidiis delituissent. Bassæ prælio hercule non interfuisse plures. hic stomachari, ut nihil pene puderet justum Musulmannorum exercitum (sic suæ religionis homines nuncupant) à tantilla Christianorum manu profligatum, & homines dignos quos alat Suleimannus, in quos panem suum partiatur, bellatores egregios. Tum is nihil commotus, non recte accipitis, inquiebat. an non auditis vi sclopetorum nos obrutos, ignis nos profligavit, non virtus hostium. Alius longe medius fidius pugnæ fuisset exitus, si vera virtute nobiscum congressi fuissent. illi sibi in auxilium ignem asciverunt. ignis violentia superati sumus, fatemur ignis unum est ex elementis, & quidem acerrimum. Et quæ sunt cujusquam mortalium vires tantæ, quæ elementorum violentiæ non cedant? Hæc cum Dalmatica magniloquentia plenis faucibus pronuntiaret, vix (quanquam in re tristi) qui adstabant, erumpentes chachinnos reprimebant. Hæc res me non mediocriter exhileravit, mœstum etiamnum à memoria superioris casus. Ex quo discere potui, Turcis magno terrori esse minores sclopetos, quorum ex equis usus est. Idem usu venire audio Persis. ex quo fuit non nemo, qui suaderet Rustano ad bellum adversus Persas cum suo rege proficiscenti, ut turmam ducentorum

rum equitum ex ſuis domeſticis inſtitutam ſclopetis armaret, magno terrori futuram hoſtibus, & ſtragem magnam facturam. Nec conſilium aſpernatus Ruſtanus eam turmam inſtituit, ſclopetis inſtruit, curat exercendam. Sed nondum dimidiam partem itineris confecerant, cum aliud ad ſclopeti uſum neceſſarium deficere cœpit. amittebatur quotidie aliquid aut frangebatur, raris qui poſſent reficere. ſic bona ſclopetorum pars jam inutilis reddita erat : & cum ea de cauſſa pœnitebat ejus teli, tum quod mundiciei, cui valde ſtudent Turcæ, adverſabatur, conſpiciebantur manibus fuligine infectis, veſtitu maculoſo, informibus thecis & pyxidibus undique pendulis, ut riſui eſſent commilitonibus, & ab eis per ludibrium medicamentarii vocitarentur, ita cum nec ſibi nec aliis cum hoc habitu placerent, Ruſtanum circumſiſtunt : mancos & inutiles ſclopetos proferunt. quemnam ex his fructum ſperet, ubi ad hoſtes ventum ſit : rogant ut ſe illis deoneret, arma reddat uſitata. Re diligenter conſiderata, non putavit cauſſam eſſe Ruſtanus [illegible] fragaretur. ſic cum bona ejus venia ſagittas & arcus reſumpſerunt. facta paulo ſupra rerum in confiniis Hungariæ geſtarum mentio, me admonet ut exponam, quid Turcæ ſentiant de Monomachia, unico apud nos præclaræ fortitudinis teſtimonio. Fuit in regione Hungariæ, nobis contermina, magna virium fama Singiaccus Arſlambegus. Nemo eo validius intendebat arcum. nullius ferrum altius penetrabat, neque hoſtibus erat formidoloſius. Huic ſe æmulum comparaverat Velibegus ejuſdem laudis affectator, finitimorum locorum & ipſe Singiaccus : æmulatio aliis forte rebus aucta, ad ſummum odium, inſidia & vulnera proceſſit.

ceſſit. hac an alia de cauſſa arceſſitus Conſtantinopolim Velibegus, mihi incompertum, venit certe. ex quo cum alia multa quæſiviſſent in Divano Baſſæ, poſtremo de diſſidio ipſius cum Arſlambego [*Arſla Leonem Turcis ſignificat.*] audire voluerunt. Tum prolixe recitavit totam illarum ſimultatum ſcenam, cauſſas, progreſſum, & quo denique evaſiſſent, & ut cauſſam ſuam faceret meliorem, ſubjunxit ſe ex inſidiis ab Arſlambego vulneratum: quibus nihil fuiſſet opus, ſi ſe dignum ſuo nomine Arſlambegus præſtare voluiſſet. quandoquidem ipſe pugnam cum eo nunquam ſubterfugiſſet, ut quem ad ſingularem pugnam multoties provocaſſet. Hoc Baſſæ averſantes, Tune commilitoni tuo ſingulare certamen denunciare auſus es? deerant quippe Chriſtiani, in quos pugnares. vivit uterque veſtrum pane noſtri Imperatoris. nihilominus inter vos de vita decernere parabatis. quo jure, quonam exemplo? an ignorabatis, utercunque veſtrum cecidiſſet, Imperatoris damno caſurum? Quo dicto duci eum [illegible]carcerem juſſerunt, in quo multis menſibus maceratus, vix tandem liberatus eſt, exiſtimatione valde deminuta. Apud nos multi hoſte publico nunquam conſpecto, quod in civem aut contubernalem ſtrinxerunt ferrum, clari & memorabiles habentur. Quid iis moribus facias, ubi virtutis locum vitia occupant. & quod pœnam meretur, gloriæ & honori vertitur? Reſtat, ut quoniam omnia ſcire vis, ne adventu quidem in hanc urbem Colchorum regis te fraudem. Regnat ad Phaſim fluvium in ſinu maris Euxini, haud procul à monte Caucaſo. Nomen ei Dadiano. vir eſt & dignitate oris & proceritate corporis conſpicuus, ſed moribus ut fertur incultior.

venit

venit cum magno comitatu, sed ferè pannoso, vestitu vili & obsoleto. Colchos hodie Itali *Mingrellos* appellant. sunt ex iis populis qui intra portas Caspias, quas Turcæ *Demir capi*, hoc est, ferreas portas nominant, ad maria Ponticum & Hyrcanum siti: an à genere Christianæ religionis quod sequuntur, an ab antiquo nomine (quod verius videtur) Georgiani hodie vocantur, in quibus censentur Albani & Iberi. Caussa adventus incerta. Sunt qui suspicentur venisse evocatum à Turcis. Nam Colchi reliquique ejus tractus populi, belligerante cum Persis Turca, si ab eo steterint, magno adjumento esse possunt. in vulgus tamen credibilior caussa præfertur, venisse petitum auxilium aliquot triremium, adversus vicinum Iberum. quod si obtineat, non recusaret ultro se vectigalem huic principi facere. ejus patrem Iberi interfecerunt. Antiquis & inveteratis odiis ab Iberis Colchi dissident: sed quodam tempore cum de concordia & reconciliatione constitutum esset colloquium; magnoque numero hinc Colchi illinc Iberi convenissent, facetum illud commemoratur, magnis inter eos poculis cœptum pugnari, & de bibendi gloria certamen initum, in quo inferiores Colchi profundo somno sternuntur. At Iberi mala fide usum sopitum & stertentem bonum Dadianum in currum conjiciunt, & veluti justo prælio captum secum avehunt, & in editam turrim condunt. quam injuriam ut ultum irent Colchi, & ut regem suum recuperarent, ad xxx hominum millia cogunt, quorum dux regina captivi uxor, magni mulier animi, nec equitandi imperita, nec tractandorum armorum. In eo exercitu rerum capita potentioresque ponderosis & inhabilibus loricis

loricis tegebantur, gladioſque habebant & præpilatas haſtas. Erat item (quod mirere) certa ſclopetariorum manus. reliqua multitudo nullis armis tecta, ſagittis pugnabat aut præuſta ſude aut grandi lignea clava, in equis ſine ephippiis vecta. cæterum ordo ibi nullus, nulla imperia. ſic cum tumultuoſe ad eum locum appropinquarent, ubi rex cuſtodiebatur, paucarum bombardarum fragore perterrefacti ad unum milliare trepida fuga retroferuntur. hinc collectis animis redeunt, ſed eodem modo terrore bombardarum aliquoties proturbantur. At Dadianus propinquum auxilium deſpiciens, ſciſſis in faſcias, quibus lectus ſternebatur, linteis noctu per feneſtram ſe demittit, & ad ſuos profugit. quod ſtratagema ut mirificum hodieque multo populorum illorum ſermone celebratur. Colchorum regio omnis generis frugum uberrima, tantum non ſponte provenientium, præterquam frumenti & hordei. quamquam nec ea defutura putant, niſi parceretur operæ. juvat indulgere deſidiæ. negligenti cultura panicum ſeritur, quod copioſiſſimum provenit, tantoque fœnore redditur, ut ſemel ſatum in biennium ſuppetat. eo aſſueti ſaturantur, neque meliorem frugem deſiderant. Vinum conſitis ad pedem altiſſimarum arborum vitibus multum & non contemnendum legunt: atque hujuſmodi vites per arboris maritæ ramos ſparſæ in multas ætates ſufficiunt. Cera & melle feris apibus per ſilvas opus facientibus abundant. unus illis inveſtigandi labor. eædem ſilvæ venationis magnam copiam ſuggerunt: plena omnia phaſianis & perdicibus. Terræ fertilitatis vel pepones argumento ſunt, qui præterquam quod ſuaviſſimi ſunt ſaporis, in longitudinem trium pedum ſæpe excreſcunt.

Argenti

Argenti signati minimum est. argenteum nummum norunt pauci, aureum pauciores, habent fere nulli. quare nescio an fortunatos illos nefas sit dicere, qui tanta careant peccandi illecebra: tametsi (ni fallor) nostratum pauci hanc eis felicitatem invideant, apud quos nemo diteſcat. eatenus tamen argento honos est, ut si quod è peregrinorum commercio redactum est, ut fieri necesse est, id omne ad usum templorum transferatur, crucibus aut calicibus aut aliis templorum ornamentis conflandis. quæ Rex, ubi visum, per speciem publicæ necessitatis omnia convasat, ad seque avertit. unum inter se norunt commercii genus, permutationem. ergo quo quisque abundat, in forum portat; ut permutet cum eo quo indiget. ita pecunia non desideratur: mutua merces pro pecunia est: quin & regi suum vectigal terræ fructibus penditur. large illi sumministrantur, quæ usus vitæ cultusque requirunt. quod edat, quod vestiat, quo famulitium & bene promerentes remuneret. Penu ei inexhaustum, cum ex decimis, aliisque juribus regiis, tum ex muneribus quæ assidue congeruntur. in quibus prodigendis nihilo segnior est, quam in accipiendis. Ejus regia tanquam horreum publicum est, omni copia rerum referrum: inde victus omnibus suppeditat. qui indigent, quos circumvenit inopia, quos malignior proventus & spes anni fefellit, regiis cibariis aluntur. Mos est, ut qui mercatores illuc navem appulerunt, munere aliquo regem impertiant. id qualecunque rex non spernit: ipsos in terram egressos convivio adhibet. Est vastum quoddam ædificium, quod ab utroque capite regiis stabulis clauditur, in quo regi mensa sternitur. ea est longissima.

ipse

ipse accumbit in summo, mediocri spatio interposito accubant reliqui. mensa oneratur variis eduliis, sed potissimum venatione, nec parce ministrantur vina. quæ ut quisque largissime hauserit, eo hospes gratior habetur. in eodem cœnaculo cibum etiam sumit Regina, cum muliebri comitatu, seorsum tamen, nec magna ibi gravitatis aut decori ratio. eadem fere poculorum licentia, ineptæ gesticulationes, cachinni, nutus, nictus; ut si sint Jasones, non defuturæ Medeæ videantur. A prandio rex cum suis hospitibus it venatum. ibi passim in silvis, in umbraculis amplissimarum arborum, huc illuc projectam plebem videre est, inter vinum & choreas & cantus dies festos agentem. in longam perticam sive asserem fides intendunt, easque bacillo ad numerum percutiunt, ad quem strepitum cantant suas amicas, & laudes fortium virorum, inter quos (si vera sunt, quæ memorantur) frequens Rulandi nomen, unde eo translatum, non conjicio, nisi trans mare migravit una cum Gothofrido Bollionio. de quo Rulando multa narrant prodigiosa, magis etiam ridicula, quam nostri talium fabularum architecti. In tanto otio, tantaque victus affluentia non constant mores. rara ibi pudicitia. Maritus uxori vel sorori adventorem commendat, ut eum oblectet, ne tædium sit temporis, de reliquo parum solicitus. quin placere suas uxores glorioſum ducunt. nec puellarum astrictior custodia est, aut melior disciplina. paucas invenire est adultas, quæ sint virgines. ostenduntur pleræque matres anno ætatis decimo. quod cum mirere, neque propter corporis parvitatem credas, jussæ infantem proferunt grandi rana haud multo majorem, cum alioqui gens procera sit & forma membrorum

brorum egregia. adeo vero omnis leporis & urbanitatis expers est, ut inter cætera sonitu quodam gutturis ructus haud absimili, se tibi blandiri, & honorem habere arbitretur. una in re vim ingenii ostendunt, in faciendo furto: furandi solertia in magna laude ducitur. qui dextro Mercurio furatur, magnus censetur: qui nescit, ut stipes & truncus despicitur: imo vix communi luce dignus judicatur, adeo quidem ut hujusmodi vel frater vel etiam filius, ut degener & spei deploratæ mercatoribus advenis donetur, aut parva merce permutetur, quocumque terrarum asportandus. Narrabat mihi mercator Italus, qui in ea regione fuerat, sacerdotem in templo cultrum sibi sentienti sed dissimulanti surripuisse; cui, ne se putaret fefellisse, vaginam dono dederit, ut haberet videlicet quo cultrum reconderet. Templum ingressi, Deiparæ virginis, Petri, Pauli, aut aliorum divorum imaginum præsentia mediocriter afficiuntur: unam requirunt divi Georgii in equo sedentis effigiem. ante hanc venerabundi se prosternunt: deinde omni ex parte deosculantur, ne equi quidem soleis prætermissis. hunc demum virum fortem fuisse prædicant, bellatorem insignem, qui sæpe singulari certamine, paribus armis, cum malo dæmone congressus victoriam reportarit, aut certe non inferior discesserit. Nunc dicam quod attonitus legas: regnorum orientalium principes non solent adiri sine munere. Dadianus Suleimanno munus attulit tantæ clatitatis ex gemma carbunculo cavatam patinam, ut ad ejus lumen ducendi homines noctu non minus quam meridie iter facere possent. Non credo (inquis) nec ego, neque ut credas postulo. aliorum est affatim qui credant. Cordatiores brevem capedun-

culam

culam dicunt è lapide carchedonio sive granata naufragio interceptam, cujusdam filii regis Persarum, quem Constantinopolim transfugere conantem tempestas in littus Colchicum ejecit. Attulit etiam falcones quos vocant albos (sive id genus aliud accipitrum fuit) viginti, quos in Colchide frequentes reperiri ajunt. Hæc sunt quæ de Colchis & eorum moribus audita, communia tecum esse volui. De studiis reliquaque vitæ meæ consuetudine quod quæris, & an domo prodeam nunquam, equidem non soleo prodire, nisi cum adferuntur à Cæsare literæ, quas huic principi reddam; aut mandata, ut de Turcorum præsidiorum rapinis & maleficiis expostulem: quod anno fit bis, terve. quod si velim interdum cum meo custode per urbem obequitare, jam fortasse non denegetur, sed nolo id gratiæ mihi apponi, malo existiment custodiæ acerbitatem à me nihili pendi. & quæ mihi voluptas sit circumvectari per ora Turcarum, aut obloquentium, aut etiam conviciantium? Me rus & agri delectant, non urbs, ea præsertim quæ pene ruinam minatur, in qua nihil sit reliquum splendoris pristini præter situm; quæ quondam Romanæ urbis æmula incessit, nunc indignissima premitur servitute. quæ intuentem quem non subeat commiseratio, quem non moveat rerum humanarum inconstantia? Et quis scit an ex propinquo nos eadem fata urgeant? Domi me contineo, ubi cum libris veteribus amicis rationem habeo, cum his versor, his me oblecto. ipse mihi valetudinis caussa sphæristerium struxi, in quo me minore pila ante prandium exerceo. à prandio exerceor arcu Turcico, quo genere armorum dici non potest quam isti excellant. Ab octavo aut etiam septimo ætatis

tis anno, arcum tendere incipiunt, idque continuis 10. aut 12. annis usurpant: ex quo maximam brachio firmitatem acquirunt, & tantam scientiam, ut nihil sit tam minutum quod sagitta non consequantur. Arcubus utuntur ut haud paulo quam nostri sunt validioribus, ita propter brevitatem multo habilioribus, qui non ex simplici ligno, sed è nervo & cornu bubulo multaque glutine & lino componuntur. Horum etiam firmissimorum nervum exercitati Turcæ ad aurem usque facile adducunt: quos tamen aliquis qui non assueverit, tametsi robustus, tantum intendere nequeat, ut nummum erectum, inter arcum & nervum in angulo ubi crenæ inditur loco moveat. ictu vero tam certo sagittas destinant, ut in prælio hominis oculum, aut si qua alia pars vulneri pateat, configant. Videre est in ludo ubi discunt, tanta arte dirigentes ictum, ut in scopo album quod fere minus est tallero, quinque aut sex sagittis ita circumvallent, ut singulæ sagittæ albi oram contingant, non violent tamen neque comminuant. At scopo haud fere longius triginta pedibus absistunt. annulis utuntur in pollice dextræ manus osseis, quibus incumbentem nervum attrahunt, sinistræ manus pollicis eminentis junctura nodo sagitta coërcetur, longe quam apud nos diversa ratione. Scopi aggerem à solo quatuor plus minus pedes excitant, è terra fabulosa tabulis circumsepta. At Bassæ, & qui ampliorem habent familiam, ejus generis ludo suos servos exercent domi, quos inter quidam ceteros præcellentes alios instituunt. ex his aliquot solemni Paschatis (nam & ipsi suum habent Pascha) in magna supra Peram planicie conveniunt, ubi æqua fronte humi con-

confidentes cruribus ita compositis ut sartorum apud nos consuetudo est (ea est enim propria Turcarum sessio) à precatione orsi (ita sua omnia Turcæ auspicantur) inter se quis longius sagittam mittat contendunt. agitur ea res magna modestia & silentio, quamvis adstante spectatorum multitudine. Arcus habent ad eam rem brevissimos, eoque rigidiores, nec ulli nisi exercitatissimo flexibiles: sed & peculiares in eum usum sagittas habent. victori linteum acu pictum, quo faciei sudorem solemus abstergere, præmium proponitur. sed multo maximum gloria. Quantum vero spatium suis sagittis transmittant, creditu difficile. Locus quo adacta est ejus sagitta, qui eo anno longissime jaculatus est, lapide signatur. eorum lapidum jam à priscis temporibus plures extant, illis qui hodie ponuntur, multis passibus remotiores, quos majorum suorum metas fuisse persuasum habent: ad quorum robur & jaculandi scientiam ipsi se adspirare non posse fateantur. In diversis vero urbis Constantinopolis vicis & quadriviis hujusmodi ludi sunt, quo non modo pueri & adolescentes, sed & provectioris ætatis homines congregantur. Scopo præest aliquis, ad quem ejus tuendi cura pertinet, qui quotidie aggerem aqua rigat, exariturum alioqui sic ut sagittæ (quibus utuntur in ludo obtusis) figi in eo non possent. qui quidem scopi custos assidue astans terra extractas mundatasque sagittas jaculantibus rejectat. quo nomine à singulis certa donatur stipe, qui ei quæstus est. Scopi frons ostioli similitudinem refert: ex quo forte usurpatum est Græcis proverbium, ut cum toto scopo aberrare aliquem significare volunt, eum *jaculari contra januam* dicant. Nam & Græcos eodem scopi genere, jam olim usos arbitror,

tror, & Turcas ab iis sumpsisse. non quod ignorem arcus usum Turcis antiquissimum. sed nihil vetat quin ubi in urbes Græcas victores successissent, hanc inventam scopi atque aggeris rationem retinuerint. Non enim facile gentem aliam minus piguit aliorum bene inventa ad se transferre. Testes majores minoresque bombardæ, multaque alia, quæ à nostris excogitata ipsi ad se avertunt. ut libros tamen typis excuderent, horologia in publico haberent, nondum adduci potuerunt: quod scripturam, hoc est suas literas sacras, non amplius scripturam fore, si excuderetur. & si horologia publicè haberentur, aliquid de ædituorum suorum & prisci ritus authoritate diminutum iri arbitrentur: aliàs plurimum tribuere soliti vetustis aliorum institutis, pene vel cum aliqua religionis suæ injuria: de vulgo dico. Quis est qui nesciat, quam sint aversi ab omni sensu Christianarum ceremoniarum? sed tamen cum Græcorum sacerdotibus mos sit, certo veris tempore aquas consecrando mare clausum veluti reserare, ante quod tempus non facile se committunt fluctibus, ab ea ceremonia nec Turcæ absunt. Paratis ergo rebus ad navigandum, subinde ad Græcos accedunt, percunctanturque an nondum etiam sit aquis dictum bene. quod si negent, navigationem differunt: si factum respondeant, naves conscendunt ac navigant. Fuit item Græcorum institutum, ut non nisi sexto die Augusti festo transfigurationis Domini specus recluderetur, unde in Lemno terra quam *agos sphragida* vocabant, hauritur. idem institutum hodieque servant Turcæ: & ut olim sacerdos Græcus liturgiam ibi celebrabat, sic & hodie illam celebrari volunt, ipsi quidem sacrorum ex longinquo tantum

tum ſpectatores. Quod ſi quis roget, cur tamen ita faciant, reſpondent, multa exſtare antiquitus inſtituta, quorum utilitatem diuturnus uſus comprobarit, cauſſæ ignorentur. plus quam ſe ſciviſſe & vidiſſe veteres, non eſſe convellenda eorum placita. malle ea ſervare, quam cum ſuo damno quicquam mutare. quæ opinio apud nonnullos adeo invaluit, ut ſciam quoſdam ſacro baptiſmate voluiſſe ſuos filios in occulto luſtrari, quod dicerent ſe ſuſpicari eum ritum aliquid boni continere, & non temere inſtitutum. Sed ut nec iſtud omittam de eorum exercitationibus; mos eſt antiquus gentis jam à Parthis uſque deductus, ut in equo fugam ſimulantes hoſtem temere ſubeuntem ſagitta feriant: quod ut faciant expeditius, ita conſequuntur. ſummam altiſſimæ perticæ, ſive mali in plano erecti, partem æreo globo induunt, quem ad malum ubi celerrimo curſu equum incitarunt, jamque nonnihil prætervecti ſunt, repente converſi reſupinatique equo curſum perficiente, ſagittam in globum illum mittunt: cujus rei frequenti uſu efficiunt, ut nullo negotio arcu in fuga verſo hoſtem incautum figant. Tempus eſt ut me in diverſorium recipiam, ne cuſtos meus mihi ſuccenſeat. Quicquid his quas dixi exercitationibus temporis mihi ſuperat, id omne libris impenditur, aut colloquutionibus cum amicis, vel Peræ civibus, origine Genuenſibus vel aliis; non tamen ſine venia Chiauſſorum. Neque vero illi eodem modo ſemper affecti ſunt. habent dilucida intervalla, quibus ſe tractabiliores præbent. Cum ergo ſunt in mari Halcyonia, frequentes ad me ventitant ſalutandi gratia, vel aliis de cauſis, Raguſæi, Florentini, Veneti, Græci etiam interdum, aliarumque nationum homines. Deſeruntur

turetiam huc ex longinquioribus terris homines, quorum sermonibus vehementer capior. venit ante paucos menses succini mercator quidam Dantiſco, qui universum ejus succi sive bituminis proventum redemptum habebat. cujus cum magnus in Turciam numerus exportetur, cupido eum incesserat cognoscendi, quis ejus hic usus esset, aut quo porro ferretur. Demum cognovit portari in Persiam, ubi in magno honore est. ornant eo sua conclavia, mulsa & sacraria. Donavit is me vasculo ligneo. ejus cerevisiæ quam *Iuppenbier* vocant, sane præstantissimæ. sed risi satis convivas meos, Græcos & Italos; qui hujusmodi potus insolentes, quo nomine vocarent, non reperibant. postremo quod valetudini conducere ex me audiebant, & medicamenti genus esse rebantur. sirupum nominarunt quem dum sibi misceri subinde petunt, ut magis ac magis etiam gustent pitissando, meum vas uno prandio absumpserunt. Enimvero utor tanta aliquando Chiaussorum facilitate, (nam subinde mutantur) ut non modo si prodire velim, non repugnent, verum ultro invitent. sed ego (ut dixi) recusare soleo, ne in sua manu positum putent, ut mihi gratificentur, vel molesti sint. excuso autem ita cavillans, ut dicam, tam diuturna in ea domo mansione, me in ejus ædificii partem coaluisse, ut non sine ruinæ periculo inde avelli queam. semel proditurum, cum daretur in patriã reditus. Familiæ meæ libertate gaudeo, quo æquiore animo ferat longum exilium. In quo rursus est illa molestia, quod occursantibus temulentis Turcis crebræ rixæ oriantur, maxime si absunt Gianizari: sed nec si adsunt, semper prohibere possunt, ne plagæ inferanturaut accipiantur. Itaque magno cum tædio meos accusantiũ calumnias refutare cogor, sed me hoc onere

majore ex parte levat Chiausſorum importunitas, ſedulo fores clauſas habentium: cujus nuperum exemplum volo tibi commemorare. Venerat ad me miſſus à Cæſare Philippus quidam Baldus Italus, & ſexaginta natus annos, majore celeritate quam ea ætas tolerare poſſet, ex quo in morbum incidit. Imperaverat medicus clyſterem: quem cum pharmacopœus attuliſſet, eum Chiauſſus aditu prohibebat, neque medicinam ægroto inferre patiebatur. nimis inhumaniter. Habebam id temporis Chiauſſum, qui diu comem & benignum erga nos ſe geſſerat, ſed tunc veluti derepente efferatus, adeo ſævum ſe præbebat, ut ferri non poſſet. fuſtem etiam & verbera ad me adire volentibus intentaret. poſtquam ſatis me movit, demonſtrandum ei ſtatuo, quam ſumat inanem operam cum his ineptis & puerilibus terriculis. appono de meis unum, intra limen qui januam peſſulo obductam habeat, referet nemini, niſi meo juſſu. aderat Chiauſſus mane, ut fores de more aperiret: ſed ubi clavis nihil proficiebat, ſenſit intus occluſas. inclamat hominem meum, qui per valvarum rimas ei perſpicuus erat, ut ſe intromittat. meus recuſat. iraſci Chiauſſus, conviciari & maledicere. Tum famulus, blatera tu quantum voles: huc quidem non introibis, neque tuorum quiſquam. Nam cur ego tibi magis aperiam, quam tu nobis: tu nos incluſos, nos te excluſum tenebimus. Tu foris oſtium occlude quantum voles; ego ut intus clauſum ſit, providebo. tum Chiauſſus, itane juſſit orator? juſſit. At equum ſaltem ſine ut collocem in ſtabulo. non patiar. fœnum tamen & pabulum ſuppedita. tantundem eſt in vicinia unde emas. Solebam eum Chiauſſum aſſumere mihi convivam aut de menſa ad eum mitte-

re;

re: tum mutata sorte ante fores jejunus excubabat, equo ad platanum quæ est è regione religato. hac iter habent Bassæ & plerique purpurati, cum è regia domum se recipiunt: videbant equum Chiausii, quem ex ornatu satis norant, ad pedem platani fœnum rodentem. percunctabantur, cur illic haberet, ac non potius in stabulo, ut consueverat. ille rem ut se habebat commemorat; ut nos includat, sic seipsum à nobis excludi, ac non modo se, sed & equum: nec sibi cibum, nec equo pabulum suppeditari. hæc ad reliquos quoque Bassas perlata cum risu accipiebantur. atque ab eo tempore dubium esse desiit, quam nihil proficerent, occludendis foribus, quamque spernerentur hujusmodi frivolæ vexationes. Ac paulo post amoto illo Chiausso liberiore custodia haberi cœpti sumus. cujus rei paucis diebus animadvertendam mentionem fecit Rustanus. Nam cum ad eum veniisset salutatum quidam grandis natu, qui pietatis & sanctimoniæ opinione magnum habebat nomen, in reliquo sermone quæsivit à Rustano, cur cum manifesta esset principis filiorum inter ipsos discordia, ex qua graves motus impenderent, jamque essent pro foribus: cur (inquam) cum Cæsare pacem non firmaret, ab eaque parte Suleimannum cura liberaret? Tum Rustanus nihil sibi ait optatius, sed qui posset? quæ ego postularem, mihi non posse ipsum concedere: quæ vero mihi offerret, me nolle accipere. nec ipse, inquiebat, cogi se patitur. quid non expertus sum, ut eum ad meas conditiones adducerem? habeo eum jam multos annos inclusum multis modis. molestus sum, & tracto aspere. Sed quid proficio: ad omnia occalluit. cum damus operam ut eum quam arctissima custo-

dia contineamus, ultro se oppessulatis foribus includit. sic mihi frustra labor sumitur. alius, ut molestiis defungeretur, credo jam ad nostram religionem desciviſſet: iſte nihili pendit. hæc mihi retulerunt, qui sermoni interfuerunt. Propensum in suspiciones hominum genus sunt Turcæ, animis imbiberunt, habere Christianorum principum oratores varia mandata, quæ pro re nata & ingenio temporum, deinceps proponant. ac primo quidem si possint, commodissimis legibus depacisçantur. quod si minus procedat, ad ea pedetentim descendant quæ graviora sint. ob id perterrefaciendos, ostendendum bellum, veluti carcere conclusos habendos, omnibus modis vexandos, quo malis victi, quæ ad ultimum reservare jussi sint mandata, maturius edant. Quam ad rem multum olim juviſſe oratorem quendam Venetum nonnulli arbitrantur: quo tempore de restituenda Turcarum regi Romaniæ sive Græciæ urbe Neapoli inter Venetos & Turcas disceptabatur. Qui cum haberet in mandatis à suo senatu, ut omnia experiretur, si qua ratione cum Turcis salva Neapoli transigere posſet: quæ ubi feciſſet, potius quam ad bellum veniretur, demum in ejus urbis deditionem consentiret, contigit proditione quorundam civium Venetorum, ut hæc Turcis enunciarentur. quorum ignarus orator, cum levioribus conditionibus proponendis actionem auspicari & animos Bassarum tentare cogitaret, atque illis ut mandata omnia expromeret instantibus, pernegaret aliud sibi mandatum: postremo Bassæ indignantes eo proruperunt, ut dicerent, videret quo progrederetur: non solere suum dominum haberi ludibrio. scire eum cum quibus mandatis veniſſet, quæ singulatim ei recitarunt, ad amuſſim

cum

eum iis quæ habebat, congruentia. Quæ nisi statim omnia proferret, cum ei tanquam impostori & mendaci non leve impendere periculum, tum certam Reipub. eius perniciem maturari, concitata ob ejus fraudem implacabili irâ. Suleimanni, & domino illo in belli exitialis flammam conjecto. haud longum esse consulendi tempus, si mandata omnia edidisset: sin frustrari pergeret, nullum fore ad pacis spem regressum neque pœnitentiæ locum. Suleimannum rogare neminem: habere, Dei beneficio, vires quibus posset cogere. Quibus commotus orator frustra celari existimans, quæ essent apertissima, nihil reticuit, sed ut quidque habebat ab illo senatu commissum, ingenue fassus est. quæ tamen res ei magnæ invidiæ domi fuit. Ab eo tempore Turcæ videntur impensius indulsisse suspicionibus, cum nullo oratore se bona conditione transacturos rati, nisi quem diu maceravissent. Hinc VelduvicKium Caroli Imperatoris oratorem octodecim mensibus, meos collegas triennio amplius distinuerunt, & nulla re confecta dimiserunt. Me vero quamdiu jam exerceant, nondum ullum animo finem providentem, tibi non est ignotum. Cum vero venisset hic, quem dico, Baldus homo id ætatis, suspicabantur attulisse nova mandata, quibus nos incommodioribus pacis legibus illigari pateremur. quæ ne ego inverterem verebantur, quippe curarum eorum interiorum conscius. ea de caussa immitius agendum putabant, quo citius illa & certiore fide extorquerent. Ab eodem consilio, Rustano venit in mentem, mihi tanquam per jocum belli metum incutere. quid ergo? mittit ad me prægrandem curcurbitam ex earum genere quas nos angurias, Germani *Wasser plutzer* vocant.

proveniunt mira ſuavitate Conſtantinopoli, ſeminibus intus rubris, quæ Rhodo ut originem, ſic nomen ducunt: harum uſus ad mitigandam in magnis caloribus ſitim. ejus formæ unam Ruſtanus, cum eſſet calor intentior, ad me per interpretem meum mittit, cum hac præfatione, uterer tempori accommodato fructu, nihil eſſe refrigerando calori aptius; ſed ſcirem Budæ & Belgradi magnam ejus fructus & quidem grandioris aliquanto copiam eſſe. deſignans bombardarum globos. Renunciari jubeo, me pro munere habere gratiam, libenterque uſurum. ſed quod de Buda & Belgrado diceret, mihi non videri mirum: quando etiam huius generis fructuum equidem nihilo minorum magna eſſet ubertas Viennæ. juvit Ruſtanum ex reſponſo intelligere, non me latuiſſe cavilli ſui argutiam. Nunc me tempus vocat ad res Baiazetis, de quibus tu inprimis ſcire deſideras. Meminiſti haud dubie, quemadmodum fuerit ante annos aliquot Baiazetes à patre dimiſſus, ea lege, ne quid deinceps moveret adverſus fratrem, neu novarum turbarum conciator eſſet: pacem & amicitiam, ut fraterna neceſſitudine dignum erat, coleret. Recordaretur quid ſibi recepiſſet, neque ſuam ſenectutem ultra ſollicitaret, alioqui non laturum impune. Quæ quidem apud animum Baiazetis pondus habuerunt, dum ei vixit mater, magis ut ejus voluntatem retineret, neque ſpem quàm unicam in ejus erga ſe indulgentia habebat, corrumperet, quam quod vel fraterna charitate, vel patris in ſe benevolentia confideret, utcunque ſit, in gratiam matris quieſcebat tamen. verum poſtquam ea biennio poſt fato conceſſit; tanquam nulla ſpe ſalutis reliqua, omnibuſque pietatis vinculis exſolutis,

priora

priora consilia resumere & veteres cum fratre simultates gravius exercere cœpit. ac modo insidias ex occulto vitæ ejus struere; modo aperte vim intentare, sæpe provinciæ ejus fines per suos homines incursare (nam provincias confines obtinebant) & si quos deprehendere poterat eius domesticos, in domini contumeliam male multare: denique nihil reliqui facere, eorum quibus fraternam existimationem, (quando vitæ nocere non poterat) minui violarique arbitrabatur. Addictos sibi quosdam habebat Constantinopoli, per quos militum prætorianorum animos, quibus poterat artibus alliciebat. nec dubitabat, cum res ita ferret, eo ipse transire, atque apud conscios & suæ factionis homines latitare. quarum rerum præsertim ex Selimi literis nihil Suleimannus nesciebat; quibus identidem admonebatur, ut curam haberet suæ salutis. Errare eum, nisi istas Baiazetis nefariorum consiliorum prolusiones, ad extremum, in caput suum versuras intelligeret. Nihil pensi habere Baiazetem; non homines, non Deum curare, modo regnaret. Non minus indomitæ cupiditati ejus, patris incolumitatem, quam fratris intercedere. per suum latus vitam ejus peti, cujus sceleris jamdiu captum sit consilium, modo occasionem quæri. videret ne prius insidiis circumventus teneretur, quam sciri posset aut subveniri. Sibi quidem facile esse Baiazetis injurias tolerare, sed magnitudine periculi paterni commoveri. Quibus rebus Suleimanni odium adversus Baiazetem magis ac magis accendebatur. Ergo per literas officii ipsum commonefacit, quanta in eum usus esset clementia, quid sibi promisisset, vetera illa in memoriam revocat. Non fore semper veniæ locum.

Fra-

Fratrem injuriis lacessere, sibi molestiam creare desinat. Breve sibi vitæ tempus, quo exacto fore Deo curæ quæ sit amborum fortuna. interea debere eos quiescere, suæ & publicæ tranquillitati consulere. Sed hæc ad Baiazetem frustra erant, ut cujus animo penitus insedisset, quamvis experiri fortunam potius quam ignavum & torpentem mucroni fratris jugulum subjicere: quam se sortem manere in regno Selimi tam clare providebat, quam ea quæ posita sunt ante oculos. Respondebat tamen ad paterna jussa non incommode. sed facta cum dictis non congruebant, neque de suscepto consilio quicquam mutabat. Quod ubi vidit Suleimannus, alia ratione agendum, filiosque à se longius amovendos, & inter se majore spatio disjungendos ratus, indicat sibi placere utrumq; intra certam diem decedere de sua præfectura (Chiutaiæ præerat Baiazetes, Magnesium regebat Selimus) ac Baiazetem ire Amasiam, Selimum migrare Iconium. Selimo nihil erat quod imputaretur, integra apud patrem gratia: ne tamen caussa maturaretur Baizeti descendendi ad extrema, si solus præfectura moveretur, ex æquo habitos Suleimannus videri volebat. Mandatis additum, quo locorum spatio disjunctiores essent, eo animis conjunctioribus inter se fore. vicinitatem sæpe obesse concordiæ, dum ministrorum servorumque improbitate multa utrinque peccantur, quibus dominorum voluntates exulcerentur. dicto audientes sint. qui segnius paruerit, non vitaturum contumaciæ suspicionem. Nihil cunctatur Selimus, ut qui sciret hæc magnam partem gratiæ suæ dari. Baiazetes tergiversabatur, ac paulum modo progressus substitit. querebatur vel recenti fratris cæde damnatam infausti ominis Amasiæ præfecturam.

ram sibi dari : quamvis potius provinciam boni consulturum, quam eam ubi propinquorum miserabiles exitus semper in oculos incurrant, & funesta memoria animum vulnerent. Hybernare saltem liceret in iis locis aut certe unde frater decessisset. Suleimannus nihil audiebat : jam dierum aliquot iter præcesserat Selimus cum copiis, quas ei pater adjunxerat (nam Baiazetis insidiæ metuebantur) Baiazete etiamnum cunctabundo & restitante; cum derepente converso itinere regreditur, captoque circuitu fratri à tergo apparuit, Prusiadem contra Constantinopolim in littore Asiatico Bithyniæ urbem petens, non inscio consilii patre, cui cunctatio Bajazetis non placebat. Quid enim si conciliatis prætorianorum animis Prusiadem aut ipsam Constantinopolim petere contendisset? quantum summæ rerum, quantum sibi & Selimo periculum? in communi metu ibi consistere Selimum visum tutissimum, unde plurimum mutui præsidii è propinquitate ostenderetur. Nondum tantas vires habebat Selimus, ut cum fratre quidvis ausuro sine metu manum consereret. Baiazetes ubi Selimum à tergo respexit, & nihil aliud sua mora effectum, quam ut ille certus imperii hæres esset, si quid patri humanitus contigisset, cujus rei pro continua ejus invaletudine, ac tum solito etiam graviore, metus non aberat: dat literas ad patrem, quibus fratrem criminatur, non potuisse eum apertius declarare, quam esset in eum animo impio & contumace; qui non alia de causa eo iter flexisset, quam ut imperio insidiaretur, & brevem haberet trajectum, si qualem de morte ejus speraret nuntium accepisset. Quod si votum ejus lon-

gior vita patris moraretur; ipse rem occulto facinore per suos scelerum ministros transigeret, parricidioque imperium interciperet. Nihilominus hunc talem, ut egregia pietate & patris valde reverentem, gestari in sinu: se contra recte sentientem, & cui nihil tale unquam venerit in mentem, qui patris nutus omnes observet, repudiari. cujus summa postulatorum sit, ut omen infelicis profecturæ vitet. inde vertit ad preces, & patri denuo supplicat, ut sibi de alia præfectura gratificatum velit, vel ea unde migrarit frater, vel alia quacunque modo auspicatiore quam Amasia. Ad hæc se responsum expectaturum eo loco ubi jam constiterit, ne si voti compos fiat, longius sibi regrediendum sit. Quod si nihil impetraverit, iturum tunc quocumque pater jusserit. De Amasia quod causabatur Baiazetes, non erat de nihilo, quod sic mos ferat Turcarum, ut è minimis rebus maximarum auguria capiant. sed aliter accipiebantur à Suleimanno, cui filii lachrymæ non erant ignotæ, quem sciebat affectare locum novandis rebus Amasia opportuniorem, longius à Constantinopoli dissita. Sic Baiazetes alias ex aliis moræ causas nectens, patris quod poterat voluntatem eludebat. neque cessabat novo milite adlegendo suas copias augere, armare, pecunias facere, omniaque apparare, quæ ad sui defensionem & fratris oppugnationem pertinerent. Quæ Suleimannus ita accipiebat, tanquam sibi ipsi vis pararetur, nihilominus magnam partem silentio transibat. nolebat cautus senex incitatum Baiazetem, magis etiam præcipitem agere. Non fugiebat eum, omnium gentium oculos in hoc filiorum dissidium versos; studebatque, ut quam minimo stre-

ſtrepitu, tempore interpoſito turbæ ſedarentur. Reſpondit Baiazeti leniter, de præfectura mutari non poſſe, immotam ſtare ejus rei ſententiam. facturos recte, ſi ambo proficiſcerentur, quo juſſi erant. de reliquo bonam ſpem haberent ſibi fore curæ, ut omnia ſic adminiſtrarentur, ut neutri juſtæ querelæ locus relinqueretur. Qui hæc mandata ad eum perferret, deligitur Pertau Baſſarum Viſiriorum quartus: cum iiſdem vero, ut res ſine ſtudio geri videretur ad Selimum deſtinatur Mehemet Viſiriorum Baſſarum tertius. datur utrique negotium, ne antè ab eorum latere ad quos miſſi erant, digrediantur, quam illi ſuas provincias attigiſſent: haud abſurdo Suleimanni conſilio, ut tales viros apud filios aſſiduos officii monitores haberet. Quod quidem facile paſſus eſt Selimus: non item Baiazetes, qui cum ruere & miſcere omnia haberet in animo, nihil alienius à ſuis inceptis ducebat, quam habere affixum ſibi unum de paternis conſiliariis, qui ſua dicta factaque arbitraretur. Igitur humaniter appellatum, & donis pro copia cultum, fruſtra renitentem dimittit; præfatus ſe velle eo defenſore & patrono apud patrem uti: alioqui ſe habere neminem, qui ſuam cauſſam tueretur. non futurum ſe ingratum; neque indecorum clientem. Cæterum referret patri ſemper ſibi primam futuram mandatorum ejus authoritatem, ſi per Selimum liceat, cujus injurias & ſuæ ſalutis oppugnationem diutius tolerare non poſſet. Sic dimiſſus Pertau ſatis certum reddidit Suleimannum, quæ filii mens, quod conſilium eſſet. Tametſi Baiazetes ne nihil actum ea legatione videretur, ſe Amaſiam ire ſimulabat, nihilo ſecius adverſus eum

Su-

Suleimannus omnia comparabat. Bellerbegum Græciæ cum suo equitatu quamvis podagra tardum festinare, & Selimo subsidio ire imperat: & reversum è legatione Mehemet Bassam cum fidissimis prætorianorum eadem de caussa in Asiam mittit, ipse quoque accinctus eodem properare videri volebat, sed milites prætoriani detrectantes & inuiti ad signa conveniebant, fraternum bellum ut sceleris plenum abominantes. Nam in quem stringerent ferrum? an non & ipsum imperii heredem? posse supersederi hoc bello, ut minime necessario, nec cogendos sociali sanguine maculare manus, & piaculo se obstringere. Baiazetis conatus necessitate defendi. Quæ postquam ad Suleimannum perlata sunt, ad suum Mufti (quem supremum Turcarum, sacris antistitem haud dubie memineris) à quo in rebus dubiis tanquam a quercu Dodonea responsa petuntur, refert. Quomodo habendus sit, qui se vivo pecunias & manus cogat, oppida expugnet, imperii quietem turbet. Quid item de iis censeat, qui castra ejus sequantur, & talia conanti auxilio sint: ac postremo de iis qui arma capere recusent, & nihil eum peccare defendant. Respondit Mufti, eum hominem, & qui ejus sectam sequantur, videri quovis supplicio dignos: qui vero contra eum arma ferre detrectarent, tanquam profanos & religionis desertores pro intestabilibus habendos. Hoc responsum in vulgus effertur, atque opera præcti Chiaussorum ad Baiazetem mittitur. Paucis post diebus rediit Constantinopolim quidam de corpore Chiaussorum, quem à Suleimanno ad Selimum ablegatum Baiazetes interceperat. per quem patri nunciabat, sibi cum

eo

eo cuncta pietatis officia constare; nulla contra eum arma mota, neque recusare, quin ei in rebus omnibus dicto audiens sit. cum fratre sibi negotium & de vita certamen; cujus ferro sibi necessario cadendum sit, aut illi suo. nefas superesse utrumque. hoc dissidium eo vivo finire sibi certum esse: proinde ipsum rectius facturum, si se certaminis eorum non interponat, neque alterutri auxilio sit. Quod si (ut ferebatur mare trajiciat, ut Selimo suppetias eat; ne speret se facile in potestatem redactum iri. exploratum habere perfugium. sed eum non prius transiturum in Asiam, quam ipse incendiis, cædibus, ruinis totam deformasset, nihilo mitius, quam aut Tamerlanes, aut alius quivis hostis importunissimus. Hæc ita renunciata haud mediocrem Suleimanno curam attulerunt. Simul audiebatur Axuar oppidum, cui filius Selimi pro Singiacco, præfuerat, à Bajazete captum, exactaque magna pecunia fœdum in modum direptum. At Selimus audito fratrem proficisci Amasiam, & Jam venisse Ancyram, insidiarum suspicione depositaquas in itinere metuerat. & ipse Iconium properaverat, quod ei imposito præsidio servabatur, nam in cæteris curis, quibus angebatur animus Suleimanni, non erat postrema, ne Bajazetes intercepto Iconio in Syriam se demitteret, inde in Ægyptum irrumperet, apertum nec satis firmam provinciam, neque dum oblitam veteris Cercassiorum sive Mamelucorum imperii, ac proinde novitatis cupidam: è qua Bajezetem ejicere, magnæ molis negorium futurum erat, præsertim promptis ad omnem motum, unde spes prædæ esset, finitimis Arabibus. Ex qua etiam, si ad ultimæ necessitatis casum compelleretur, in quamcunque Christianæ ditionis

nis oram trajectus pateret. Ea re ſumme laborabat Suleimannus, ut hoc iter quod conſiliorum Baiazetis ultimum videri poterat, interſepiretur. ea re dederat ad pleroſque minoris Aſiæ præfectos mandata, parati excubarent, ut cum innuiſſet Selimus, præſto eſſent. Cum iis in omnem Baiazetis motum intentus Selimus, pro mœnibus Iconii caſtra poſuerat. Certus eo loco patris auxilia manere, neque immaturo congreſſu ſalutem ſuam in diſcrimen ancipitis pugnæ committere. At Baiazetes ex altera parte non immemor, quantum operis ſuſcepiſſet, nequaquam cauſæ ſuæ indormiebat; magna fortitudinis opinione equitem, quem hodie *Chiurtum* vocant; neſcio an olim Gordiæum, conduxerat: in cujus virtute magnam fortunæ melioris ſpem habebat. Illi quo die in caſtra ad eum venerunt, equeſtris pugnæ ſimulachrum ediderunt, tanta veri ſimilitudine, ut multi caderent, plures vulnerarentur. caſtra habebat in patentibus & porrectis ad Ancyram campis, è cujus urbis opportunitatibus, quæ multæ ſunt, magnum uſum capiebat. in arce collocarat pellices unà cum liberis. A mercatoribus quos opulentiores cognorat, pecuniam mutuabatur, ea lege, ut ſi quem optabat belli eventum Deus dediſſet, cum fœnore reſtitueret. Inde etiam quæ erant ad inſtruendos armandoſque ſuos opus deſumebat. Præter familiam (quam numeroſam alere ſolent Turcorum proceres) & quos dixi Chiurtos convenerant, qui matris, qui ſororis, qui Ruſtani beneficia habebant. item è reliquiis Muſtaphæ & Achomatis clientũ plerique, viri acres & armorum periti; quibus dominorũ indignam necem vel cum ſuo exitio ultum ire propoſitum. Nec deerat præſentis ſtatus pertæſa & novi cupida colluvies. Non-

nullos

nullos attraxerat misericordia infortunati Bajazetis, cui nulla usquam nisi in armis spes reliqua. Favebant juveni paterni vultus imaginem referenti, cum in Selimo nulla oris ejus similitudo appareret. maternæ quidem faciei & habitus expressæ notæ, sed mulieris in vulgus dum viveret odiosæ, multo gravis abdomine incedebat, inflatis buccis, facie nimia rubedine indecora, ut militari facetia *pollentâ saginatus* diceretur. ei vita iners fere per vinum & somnum traducebatur. sed neque in appellando salutandoque comis erat: neque sibi quenquam beneficio demerebatur. nolebat (ut ipse aiebat) populari gratia colligenda patris animum offendere. sic uni patri carus, reliquis agebat invisus. Quanquam ab eo genere hominum maxime fastidiebatur, quorum spes omnes sitæ erant in imperatore munifico, & rerum gerendarum cupido. iidem milites Bajazetem *Softi* vocare soliti, hoc est, quieti & literarum studio deditum, postquam viderunt pro sua liberorumque salute, captis armis quamcunq; aleam paratum subire, admirari tanquam virum fortem cœperunt. Cur pater hunc talem suam spirantem imaginem abdicaret? cur ventricosum illum & socordem nihil paternæ indolis præ se ferentem ei anteponeret? nullam in armis culpam, ad quæ necessitas impellat. An non idem fecisse Selimum horum avum? cujus rei haud alias authorem meliorem posse reperiri, quem non modo contra fratrem se armare, verum etiam patris fatum accelerare vis necessitatis coegisset. Quo tamen facinore regnum filio & nepotibus paravisset. Quod si regnum ita paratum non injuste possideret Suleimannus, cur filius eodem jure uti vetaretur? cur in eo tam graviter vindicaretur, quod avo licuisset à

licuisset? quanquam longe aliam rationem esse illius Selimi, ac istius Bajazetis. Hujus in patrem innoxia esse arma. optare hunc ut diu supersit pater, ne fratri quidem nociturum, si sibi per eum vivere liceat, si finem injuriis faciat. fas semper habitum vim armis repellere, & positum ante oculos exitum (si fata sinant) declinare. Ergo talibus studiis copiæ Bajazetis augebantur. quæ ubi pene in justi exercitus modum excreverunt, nullum Bajazetes paratis rebus interponendum spacium ratus, recta ducit adversus fratrem, de salute, de fortunis, de imperio unius prælii eventu decreturus. vel irritæ fortitudinis aliquam esse laudem. conandum, si posset in Syriam transgredi, quod si procedat, de reliquo nihil fore difficultatis. venientem expectabat sub Iconii mœnibus Selimus paternis opibus munitus & à rebus omnibus paratissimus: Copias habebat magnas, ductores gerendi belli gnaros, bene multos, quos ei pater adjunxerat, dispositarum opportunis locis bombardarum præsidio tegebatur. Sed nihil his territus ut venit in conspectum Bajazetes paucis suos adhortatur, ut fortiter rem gerant. venisse tempus quod optassent, dari virtutis ostendendæ locum, præberent se fortes, se illos beatos præstiturum. omnem in manibus eorum fortunam. quem suæ sortis pigeret, patere campum, ubi cum meliore permutaret, & in quo vitæ superioris miserias deponeret. A se dignitates, opes, honores, & quæcunque virorum fortium præmia expectarent, si vicissent. Unius aciei victoria spes quantumvis largas expleri. Eam vero comparari virtute, qua ipsi abundent. fraternum tantum agmen, quod esset in oculis, ignavi ducis ignaviores copias, ferro prorumpendum. Nam qui patris ibi

sint

sint milites corporibus illinc stare animis secum facere. eundem Selimum obstare suæ incolumitati, & eorum fœlicitati, ultum irent communem hostem. Ne multitudinem pertimescerent. non numero, sed animi constantia victoriam quæri. Cæli quoque & terræ potens numen non pluribus, sed melioribus adesse. si meminissent, quam immani cum hoste & quam sitienti sanguinis ipsorum prælia rentur, non fore difficilem victoriam, ac postremo non mea, inquit, dicta sed facta vos intueri volo. nec dubitabo, si ut me pro vestris commodis pugnantem videritis, vos quoque pro mea salute pugnaveritis exploratam victoriam vobis polliceri. Quo dicto magno animo signa in hostem ferri jussit, ubi diu inter primos versatus, omnique & strenui militis & boni ducis officio functus, non minorem ab hostibus, quam à suis egregiæ fortitudinis laudem reportavit. Certatur acriter. Multi utrinque cadunt. sic cum aliquandiu magna pertinacia dubio marte dimicatum esset, eo denique victoria inclinare cœpit unde plus virium, causa justior, & meliora stabant consilia. Hic machinam movent Turcæ ajunt à vicino delubro veteris cujusdam sui herois magnam vim veluti exortum tantum in ora militum Bajazetis pulverem tulisse, ut pene lucis usu privarentur, & veluti capti oculis pugnarent. Multis hostium cæsis, multis suorum desideratis, receptui signum dare cogitur Bajazetes. sed recipit se sensim, & sine trepidatione, pœne victoris quam victi similior. Nec se loco movit Selimus. pulso hoste lætus, satis habuit abeuntium terga spectare. At Bajazetes postquam contempto patris imperio, animo suo morem gesserat, consilio

depulsus

depulsus, atque itinere quod affectaverat desperato, haud falso Amasiam petere instituit. Sub hoc tempus, & (ut affirmatur) de pugnæ exitu citissimo nuncio certus jam Suleimannus transmisit in Asiam. Nam ut Bassis antequam ei de victoria constitisset, non videbatur transfretandum: sic ea nunciata non videbatur cunctandum, ne res Bajazetis adversæ, eorum qui causæ ejus occulte favebant, pectora nudarent. ex quo majores motus orirentur. Famam ejus transitus, cum ad frangendos Bajazetis spiritus, tum ad perterre faciendos ejus amicos plurimum valituram. Instandum victo, neque dandum tempus, ut se colligeret: exemplo Selimi, Suleimanni patris, qui formidolosior fuisset victus quam integer; eaque re maxime vicisse videri poterat, quod prius male pugnasset. Neque ista temere differebantur: siquidem incredibile est, quantum admirationis & gratiæ prælium illud, etsi adversum Bajazeti, conciliarit. Ausum esse cum fratre multo paratiore, & paternis opibus subnixo, cum parva manu configere: neque loci iniquitatem, neque vim Lombardarum timuisse: neque in acie versatum ut tironem, sed ut ducem veteranum: fortuna quidem illum inferiorem discessisse, sed virtute superiorem. jactaret se patri quantum vellet victor Selimus, Bajazetem meruisse ut vinceret. Selimum cuivis potius rei debere victoriam, quam suæ virtuti. Hæc ut gratiosum in vulgus reddebant Bajazetem, sic patris curas ingeminabant, odiumque incitabant, quo magis perditum vellet: immotum ei non alium imperii hæredem relinquere, quam Selimum natu majorem, sibi semper fidum & obsequentem, hunc alterum & contumacem, & imperio se vivo inhiantem aversabatur. à quo

sibi

sibi eo magis metuendum intelligebat, quo majore esset fortitudinis opinione, quantoque apertius ipse Selimi partes juvisset. His de caussis mare trajecerat, eo tamen animo, ne longius à littore discederet, & tantum è longinquo Selimi rebus aspiraret. Quid enim admovendis propriis copiis periculum adiret, ne dubiæ fidei exercitus inopinata defectione perverteretur? Vidi Constantinopoli excedentē anno quinquagesimo nono, die quinta Junii, vel invito meo Chiausso, sed quid vetat imitari milites gloriosos, & tibi duas pugnas meas narrare. Sum otiosus, (nisi continua animi solicitudo, instar negotii est) & quo pluribus ad te scribo, eo diutius à molestiis absum. Cum satis constaret in procinctu esse principem, ut mare transiret, jamque & dies præfinitus esset, denuncio meo Chiausso, me velle videre discedentem: veniret eo die bene mane, ut mihi fores recluderet. nam claves vesperi secum asportabat. benigne pollicetur. do præterea negotium Gianizaris, & interpretibus meis, ut mihi cœnaculum conducant viæ imminens, qua princeps excessurus erat. illi mandata exequuntur. Ubi dies venit, evigilo tempore antelucano, Chiaussumque ad fores expecto ut aperiat: sed ille etiam atque etiam moratur. mitto complures qui arcessant, modo Giazinaros qui pro foribus cubare solent, modo interpretes meos qui foris astabant, ut intromitterentur. atque hæc omnia per valvarum rimas, quibus illæ jam veteres latiscunt. Chiaussus alias ex aliis moras fingere, & modo jam jamque se venturum dicere, modo aliquid sibi prævertendum. dum hæc aguntur, abeunt horæ, donec fragor auditur sclopetorum, quo Gianizari ascendentem in equum principem salutabant. hic meum jecur urere bilis, video

mihi

mihi illudi. movet dolor meus & justa indignatio ipsos quoque Gianizaros. admonent, si mei intus magna vi connitantur, se foris adjurantibus luxatas vetustate valvas ita posse impelli, ut exeussis obicibus aperiantur. placet consilium. illæ dant exitum validius impulsæ. effundimur ad domum, ubi cœnaculum conduci jusseram. Animus fuerat Chiausso me frustrari, homini tamen non malo. nam cum mea desideria ad Bassas detulisset, non placuerat suum principem contra filium exiguas copias ducentem spectaculo esse homini Christiano. ei suaserant ut me benigne pollicendo differret, donec imperator navem conscendisset, tum comminisceretur aliquid, quo se mihi purgaret. sed dolus recidit in authorem: Ubi ventum est ad illam domum, reperimus occlusam, ut in eam non magis nobis liberum esset introire, quam paulo ante fuerat exire de nostra. Cum pulsantibus nemo responderet, denuo adsunt Gianizari & si sim auctor, vel fores effracturos, vel per fenestram se intro demissuros, & mihi aperturos pollicentur. effringi quicquam veto. quo minus per fenestram intrent, non prohibeo. Illi dicto citius ut se obtulerant, ingressi, fores reserant. ut ascendi, invenio plenam iudæorum domum, justam synagogam. at illis portentum videri me per occlusas fores potuisse intrare, recognita sistit se mihi matrona quædam magna natu, cum satis decoro vestitu, & de vi deque injuria illi domui facta, sermone Hispanico, mecum expostulat. ego non servatam pactorum fidem, & factam mihi eo nomine injuriam, nec me sic ludibrio haberi debuisse, regero. illa satisfactionem non accipiebat; nec tempus longiorem sermonem patiebatur. Ceditur mihi una fenestra. ea à postica parte despiciebat in plateam, qua

princeps

princeps urbe migrabat. hinc cum magna voluptatate spectо abeuntium luculentum agmen. Geminos cum Garipigos tum Ulufagos. Singulares vero Selictaros, Spahiosque. ea sunt equitum prætorianorum nomina suis locis turmisque distinctorum. conficere creduntur plus minus sex capitum millia. præterea ipsius principis Bassarum & reliquorum purpuratorum, domesticorum mancipiorum multitudinem. Neque vero non elegans præbet spectaculum eques Turcicus, Cappadoce vel Syro, vel alio quovis generoso equo phaleris & ephippiis argenteis, auro & gemmis interlucentibus vehens. ipse vestitu nitet auro argentoque intertexto, aut serico aut holoserico, vel certè è nobilissimo panno confecto, coccineo vel hiantino ferrugineove. geminæ latera honestant thecæ, quarum altera arcum capit, altera est depictis plena sagittis. utraque visendo opere, nimirum Babylonico, quo etiam elaboratus clypeus brachio sinistro aptatur sagittis & ictib. modo qui vel clava vel gladio inferuntur, resistere aptus. Manum dextram, nisi vacuam habere præoptet, impedit levis hasta viridi colore ut plurimum depicta. Acinace cingitur gemmis distincto. è calibe ab ephippiis sive equestri sella clava pendet. Tantum, inquies, armorum? imo, ut sis sciens, horum omnium tractandorum usu exercitatus est. cedo qui potest aliquis arcu uti & hasta? an ubi hastam conjecerit, aut fregerit tunc demum arcum arripiet? ne id quidem hastam enim penes se servat, quoad potest: verum ubi arcus vicissitudinem res poscit, levem eoque habilem hastam, recipit inter sellam, & fœmora, sic ut cuspis alte retro emineat, atque ita genu pressam tenent, quamdiu visum est. Arcum vero, ubi hasta pugnare res monet in corytum recondit,

aut

aut siniſtro brachio trans clypeum induit. Sed non eſt mihi propoſitum, eorum in armis ſolertiam longa belli conſuetudine multaque exercitatione quæſitam pluribus verbis explicare. Capitibus tegmina induunt ex candidiſſimo eodemque leviſſimo xelino linteo, è quibus mediis holoſericus apex purpureus ſurgit, per ſtrias diviſus. hoc capitis tegumentum plerique pinnulis atris decorant. Equitatu jam prætervecto excipiebat longum Gianizarorum agmen, rato aliis armis quam ſuis ſclopetis inſtructorum. omnibus ferme eadem veſtitus forma & color, ut ejuſdem domini ſervitium & veluti familiam agnoſceres. Nullum ibi enormis veſtitus prodigium, nihil conciſum aut perforatum. ſatis ſibi cito veſtes atteri dicunt, etiamſi non ſcindant. in pinnis modo & criſtis ſimilique ornatu militari luxuriant vel inſaniunt verius, præſertim in noviſſimo agmine veterani pinnarū quas frontalibus inſertas habent, ſylvam credas ambulare. ſubſequuntur in equis illorum centuriones & tribuni, propriis inſignibus diſtincti. ultimo loco ſolus incedit ſupremus eorum præfectus. Succedunt purpuratorum principes, inter quos & Baſſæ: deinde pedites, cuſtodia corporis regii peculiari cultu atque habitu, tentos arcus (nam ſagitarii ſunt omnes) manu geſtantes. mox complures ipſius principis equi, forma & phaleris inſignes, manu ducebantur. Ipſe ſedebat in eximio equo, fronte ſevera & contracta, ut iratum ſcires. pone eum tres pueri: quorum unus aquæ lagenam gerebat, alter penulam, arcam tertius. hos ſequebantur aliquot eunuchi cubicularii. univerſum agmen claudebat turma ducentorum fere equitum. Quæ cum omnia lætus deſpexiſſem, una mihi cura relinquebatur placandæ hoſpitæ.

Nam

Nam mulierem illam, quæ me ingredientem lingua Hiſpanica compellaverat, audiebam uxori Ruſtani perfamiliarem. verebar, ne quid per eam in illam domum deferretur, quod à me minus comiter factum argui poſſet. Jubeo venire hoſpitam: dico debuiſſe eam recordari conventorum, neque mihi januam occludere, quam pacta mercede apertam fore promiſiſſet. tamen utut merita eſſet, mihi eſſet in animo fidem, quam ipſa neglexiſſet præſtare, eique addito etiam corollario ſatisfacere. promiſiſſe aureos ſeptem, accepturam decem, ne pœniteret ſuas ædes mihi patuiſſe. Illa ut ſibi præter ſpem auro manum impleri vidit, tum derepente mutato animo in blandimenta, & agendas gratias deflexa, quicquid erat ibi ſynagogæ convertit. Accedit & illa, quam dixi Ruſtani conjugis familiarem: partes agit ſecundas, concinit cum hoſpita, & mihi ejus nomine ingentes gratias agit. vinum Cretenſe & bellaria proferuntur, ſi velim guſtare. ego rejicio, & quod poſſum, me domum abripio, cum fauſtis totius gentis Judæorum precationibus, novum certamen cum Chiauſſo meditans, ob reſeratas eo abſente fores, quem reperio mœſtum aſſidentem veſtibulo, ubi mihi longam orditur querimoniam. non debuiſſe me ſine ſuo conſenſu prodire, neque fores effringere. videri in eo jus publicum violatum, aliaque ejuſdem generis multa. Reſpondeo paucis, ſi mature quemadmodum mihi receperat, adeſſe voluiſſet, nihil iſtorum opus futurum fuiſſe: verum cum ipſe promiſſum non ſervaſſet, dediſſe cauſsam cur illa fierent, qui mihi illudere voluiſſet. Quæro denique utrum me pro oratore habeant, an pro captivo? Reſpondet pro oratore. ſi pro captivo, inquam, fruſtra conficiendæ paci adhibeor

adhibeor, quando hominis captivi nullum est arbitrium, sin pro oratore, ut dicis, cur liber non sum, si orator sum? cur domo egredi cum volo prohibeor? solent, inquam, captivi includi, non oratores. libertas apud omnes gentes servatur oratoribus. hoc magis jus est publicum. Sciret se mihi additum, non ut carceris custodem aut lictorem, sed qui me (ut ipsemet dictitare consueverat) suis officiis sublevaret, caveretque ne qua mihi aut meis injuria fieret. Is deinde ad Gianizaros conversus, rixari cum iis quod id mihi consilii dedissent, quodque in aperiendis foribus, meis hominibus auxilio fuissent. Illi negabant me ipsorum consilio indiguisse. jubenti aperire, paruisse. in quo haud magno molimine fuisse opus, leviter impulsos cessisse obices (ut acciderat) nihil usquam fractum aut deminutum. Ita placato nolente volente Chiausso, hujus reipost id silentium fuit. Paucis ab eo tempore diebus vocor & ipse trans mare. Isti non alienum à rebus suis judicabant, me versari in suis castris & tractari liberaliter, ut amici principis oratorem. ea de caussa assignatum mihi in conjuncto castris pago hospitium, ubi eram sane commodissime. Turcæ in proximis campis tendebant. cum vero eo loco tribus mensibus vixerim, fuit mihi facultas videndorum ipsorum castrorum, & cognoscendæ aliqua ex parte disciplinæ. qua de re nisi pauca attingam, habeas fortasse quod me accuses. Sumpto habitu Christianis hominibus in illis locis usitato, cum uno aut altero comite quacunque vagabar ignotus. primum videbam summo ordine cujusque corporis milites suis locis distributos, & (quod vix credat, qui nostratis militiæ consuetudinem novit) summum erat ubique silentium, summa quies, rixa nulla, nullum cujusquam insolens factum.

factum. sed ne vox quidem aut vitulatio per lasciviam aut ebrietatem emissa. Ad hæc summa mundities nulla sterquilinia, nulla purgamenta, nihil quod oculos aut nares offenderet. Quicquid est hujusmodi, aut defodiunt Turcæ, aut procul à conspectu submovent. Ipsi quotiescunque alvi exonerandæ necessitas urget, scrobem sibi ligone cavant in qua excrementa multa obruunt. sic tota castra sordibus vacant. Sed nec ullas compotationes aut convivia, nullum aleæ genus. magnum nostratis militiæ flagitium, videre erat. nulla lusoriarũ chartarũ neq; tesserarũ damna norunt Turcæ. occurrebat modo horridus aliquis, à finib. Hungaricis cum suis gregalibus, miles, qui flebili in chelyde mœstum quiddam tristis ipse ululabat verius quam cantabat. Ea erant suprema verba commilitonis in herbido prato ad Danubii ripam è vulneribus morientis: quibus Danubium obtestebatur, ut quoniam cursum teneret versus eorum regionem, unde ipse ortus esset; meminisset referre amicis & popularibus, se pro religionis incremento & pro gloria gentis non indecoram neque inultam mortem oppetere. Ad quæ ingemiscentes socii, ô ter fœlicem, beatum, & cum quo suam sortem permutatam vellent, vocibus ingeminabant. Habent hoc in opinione Turcæ, ut nullorum animas majore compendio in cœlum evolare credant, quam virorum fortium, qui in bello ceciderunt. pro quorum etiam incolumitate virgines quotidie ad Deum preces & vota faciunt. Volui per lanienam quoque ubi pecudes mactabantur, duci, ut viderem quid carnis venale extaret. vidi quatuor aut quinque ad summum verveces pendere excoriatos: atque ea erat laniena Gianizarorum, quos arbitror in illis castris, haud pauciores

fuisse quatuor millibus. mirabar tot hominibus tantillum carnis sufficere. eâ uti paucos respondebatur. Nam magnam eorum partem suum obsonium habere Constantinopoli transportatum. Quærenti quod esset, ostendebatur mihi aliquis accumbens Gianizarus, qui è fictili aut ligneo catino rapum, cæpe, allium, pastinacam, cucumerem trucidabat, omnia sale & aceto condita: quanquam ea verius condiebat fames, ut nec perdicibus nec phasianis suavius saturari posse videretur. Potus erat animantium omnium communis, aqua: cujusmodi frugalitate corpori simul & peculio consulitur. Et quo me magis horum caperet admiratio, tempus faciebat, quod eorum suberat jejunium, sive (ut nostro more loquar) Quadragesima. quo tempore apud nos etiam in bene moratis civitatibus, nedum in castris, omnia perstrepunt ludo, choreis, cantu, clamoribus, comessationibus, ebrietate, furore, denique & insania. ut non frustra creditum sit hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii caussa legatus venisset, reversum domum retulisse, Christianos certis diebus bacchari & furere, donec genere quodam cineris in templo respersi redirent ad se & convalescerent. Esse operæ pretium videre, quantum ejus remedii beneficio mutarentur. prorsus non videri eosdem: diem cineralium & ejus profestum signans. Quod magis stupebant, quibus hæc narrabantur, quod Turcis medicamenta multa sunt, quibus sanitatem mentis amittant, pauca vero quibus confestim recuperent. Ipsi diebus illis qui inediæ tempus proxime antecedunt, nihil mutant in peius de pristino vitæ instituto, nec ventri nec genio nec licentiæ largius indulgent. Quin potius contra demendo aliquid de suo (ut ita dicam) dimenso, sese abstinentiæ

præparant, ne subitam mutationem non tollerent. Jejunii eorum tempus ita statum est, ut tamen singulis anni diebus ferè quindecim citius recurrat, quod duodecim lunæ annuum spatium non impleant. Hinc fit ut jejunium quod fuit initio veris, post sex annos habeant ineunte æstate. Nam Turcis decursu lunæ unius esuriales feriæ terminantur, nec ullæ sunt graviores quam quæ in æstatem incidunt ob longitudinem dierum. Cum ita servant, ut nihil gustent, ne aquam quidem; imo nec os eluere fas habeant, antequam vesperi stellæ appareant: fieri necesse est, ut longissimi quique dies, quique plurimum habeant caloris & pulveris, molestissimi accidant, præsertim eis qui opus faciunt & suo labore victum quærunt. Liberum tamen est eis ante exortum solis (nam Sol vescentem toto jejunii tempore videre neminem debet) antequam stellæ ejus syderis luce hebetentur, vesci si lubeat, quo etiam hibernum jejunium facilius toleratur. Cæterum ne die nubilo errori locus sit, sacerdotes templorum æditui, ex altis turribus (unde ut apud nos æris sono, sic ipsi alta voce ad rem sacram populum convocant) candelas proponunt in earum turrium pinnaculis, genere quodam laternæ chartaceo conditas, quarum luminis indicio, evidens fit veniſſe cibi sumendi tempus. Illi tum demum templum ingressi, ac Deum suo ritu venerati, ad cœnam redeunt. Sed æstivis diebus memini videre cum a templo tabernam è regione diversorii nostri frequentes peterent (in ea venalis habebatur nix, quæ ex Asiæ monte Olympo nunquam deficit) aquamque nive rigentem poscerent, quam cessim subsidentes biberent. Turcis enim bibere aut vesci aut urinam facere stantibus, nisi quid cogat religio est, sed hæc faciunt ita demissis coxis,

ut apud nos reddituræ lotium mulieres. Cum vero per incertam crepuſculi lucem ſatis diſcernere non poſſem, quid ſibi eo habitu vellent; docebar ab hominibus moris eorum non ignaris, ſingulos aquæ gelidæ magnum hauſtum educere, ut eſcæ viam aperirent, alioqui æſtu & inedia ſiccis faucib. inhæſurum, etiam humoris frigiditate appetentiam cibi excitari. Eduliorum nullum habent delectum: nec eos ab ullo cibo jejunii religio arcet, quo aliis temporibus veſci nefas non ſit. Quod ſi quid morbi incidat, qui locum inediæ non relinquat; jejunium negligunt; cum eo tamen, ut quot dies abſtinentiæ morbi vis exemerat, totidem poſtea valentes reponant. At cum verſantur in hoſtico, & inſtantis pugnæ metus urget, ne fame confecti cum hoſte confligant, monentur jejunium in aliud tempus proferre. quod ſi cunctentur, tum Imperator ipſe palam de medio die inſpectante exercitu cibum ſumit, ut exemplo ejus provocati omnes idem faciant. Cum vero cætero tempore anni, religio eos à vini potu abſtineat, nec ſine ſcelere eo uti poſſint; tum vero id conprimis ſervant cunctis jejunii diebus, ut nemo tam profanus aut diſſolutus reperiatur, qui non vel odorem ipſum vini fugiat, nedum bibere non vereatur. At cur tantopere Mahumetes ſuis ſectatoribus vini potu interdixerit, ſæpius mihi cauſſam ſciſcitanti memini quanodque hanc narrari fabulam. incidiſſe Mahumeti iter ad amicum. in eo itinere ſub meridiem divertiſſe ad hoſpitem, apud quem nuptiale convivium frequentabatur. à quo invitatum cum reliquis accubuiſſe: inprimis vero admiratum fuiſſe ſummam convivarum hilaritatem, plurima non fictæ benevolentiæ ſigna, dextrarum conjunctiones, complexus, oſcula

oscula. tum quæsita ex hospite caussa didicisse. vinum hos habitus animorum facere: atque illum abeuntem, propterea benedixisse ei liquori, quo tanta charitate homines jungerentur. cæterum redeunti postridie, idem suggresso tectum, longe aliam rerum faciem occurrisse, atrocis ubiq; pugnæ vestigia, sanguine tetro solum, infectum disjecta membra, hic brachium ibi pedem, alioſque alibi jacentes truncos artus: percunctantem vero unde tantum mali? audivisse, convivas quos pridie viderat, postquam se vino ingurgitavissent, actos in rabiem in mutuam perniciem sæviſſe & magnam patrasse cædem. Qua de caussa mutata sententia Mahumetē vini usum execratum, eoque suis in perpetuum interdixisse. Ergo illis in castris tranquilla omnia, & summo silentio composita, cum alias tum maxime trigesimæ (ut sic dicam) tempore. tantum castrensis disciplina & summa severitas per manus à majoribus tradita possunt. nullum scelus neque flagitium inultum relinquunt Turcæ. Supplicia sunt muneris dignitatisq, privatio, bonorum publicatio, fustuarium, mors. frequentissimum tamen fustuarium, à quo non sunt immunes ne Gianizari quidem tametsi à summo supplicio vindicentur. leviora admissa fustis castigat, graviora exauctoratio, militiæve mutatio, quod genus gravius morte ducunt, quæ fere sequi solet. Nam exuti Gianizarorum insignibus, relegantur ad longinqua extremorum finium præsidia ubi contempti & inglorii vitam ducunt: aut si rei atrocitas gravius exemplum postulat, quæsita caussa morte illic afficiuntur. Nec tamen ut Gianizari moriuntur, sed ut gregarii milites. Est vero comprimis admirabilis Turcarum in accipienda castigatione patientia, in suris, in solis, in natibus

bus, sæpe ultra centum plagas excipiunt, ut plures cornei fustes nonnunquam confringantur, & illo identidem sit opus, *cedo alterum.* ac tametsi in promptu sint remedia, fit tamen aliquando ut plures libræ vitiatæ carnis è locis illis contusis ferro circumcidendæ sint. Nihilominus adire eum cujus jussu cæsi sunt, & manum deosculari, & gratias agere coguntur, & lictori pro singulis verberibus certam mercedem solvere. Nam fustem quidem illi quo castigantur, sacrum habent, nec dubitant primum cælo delapsum credere, non minus quam Romani sua ancilia. huc addunt, ne tantæ acerbitatis nullum solatium sit, partes eas quas fustis contigerit, post hanc vitam immunes fore ab expiatricis flammæ sævitia. Cum dico ea castra rixa & turbis vacua fuisse, unæ mihi excipiendæ sunt, quas mei homines excitarunt. processerant pauci exspatiatum extra castra, secundum littus, sine Gianizaris, assumptis tantum secum aliquot Italis religionem Turcicam professis: quorum hominum cum in aliis rebus variæ sunt opportunitates, tum præcipuè in redimendis captivis. siquidem accedunt ad eos in quorum potestate sunt, fingunt, sibi vel consanguineos vel affines certe populares, propterea calamitate eorum commotos rogare ut accepto pretio eos manumittant, vel sibi addicant, domini non gravatim assentiuntur. Quod si Christianus id postulet, recusent, aut multo pluris vendant. Cum ergo mei (ita ut dixi) prodiissent, incidunt in Gianizaros, qui se in mari natando abluerant, sine capitis insignibus, linteis tantum tegminibus temere injectis. Gianizari in meos ut in Christianos probra jaciunt. Nam Turcæ non modo licere putant contumeliosius appellare Christianos, & convitiis incessere, verum etiam

etiam pietatis loco ducunt, ut ignominiæ pudore adducti religionem, propter quam ita audiant, cum meliore scilicet mutent. Meilaceſſiti reſpondent, & convitia regerunt: denique à verbis venitur ad manus, adjuvantibus meos quos dixi Italis. cujus certaminis exitus fuit, ut deſideraret unus ex Gianizaris linteum capitis involucrum neſcio quo abjectum. Gianizari abeunt ad ſuum præfectum, & damni injuriâ dati meos (nam quo ſe recepiſſent obſervarant) deferunt. Edicit præfectus, ut meum interpretem, qui velitationi interfuerat arceſſant. illi ſedentem præ foribus corripiunt, me ſupernè ex porticu deſpectante. Mihi verò videri indignum hominem meum ſine meo conſenſu eo abripi, unde niſi verberibus oneratum (nam cauſſam jam intellexeram) ſpes non eſſet rediturum: etenim ditioni Turcicæ ſubjectus erat. Deſcendo, injectaque manu jubeo ut dimittant, dimittunt quidem, ſed multo gravius apud præfectum ſuum conqueruntur. is interloquitur, ut plures eant, homineſque illos ex Chriſtianis factos Turcas, eos Italos quos dixi, ad ſe trahant; ſic tamen ut mihi neque domui in qua divertebam, vim faciant. adſunt denuo magno cum ſtrepitu, conſiſtunt in via, homineſque illos magnis clamoribus & minis depoſcunt. Sed illi jam quod futurum erat providentes, trajecerant Conſtantinopolim. Diu res acta eſt magno hinc inde jurgio. Demum Chiauſſus quo tum utebar ſene capulari, metu trepidus me inſcio aliquot aureos eis obtruſit, veluti pretium amiſſi lintei. ſic rixæ facta eſt pauſa. Quod eo libentius commemoro, quod per hanc occaſionem ex ore ipſius Ruſtani cognovi, quæ eſſet principis de Gianizaris ſententia. Siquidem accepto hujus tumultus nuncio hominem ad me

misit, qui suis verbis moneret, ut caussam omnem contentionis cum illis pessimis hominibus præciderem. An ignorarem bellum esse, quo tempore ipsi regnarent, sic ut ne Suleimannus quidem eorum potens esset, & sibi ab eis male metueret? Quod non temere Rustano excideraț, ægritudinis domini sui probè gnaro. Nihil enim magis formidabat princeps, quàm ne quod perfidiæ ulcus in Gianizaris lateret, quod erumperet, cum remedio locus non esset. Sic est profecto. sunt proprii & continui exerci-tus magnæ utilitates: sed sunt etiam, nisi bonis rationibus obviam itum sit, non levia incommoda, illud inprimis quod assiduè defectionis metus sollicitos habeat Imperatores; & sit in potestate militum, ut regna transferant quo velint. quarum rerum magna extant exempla, sed tamen viæ sunt multæ quibus occurri potest. Venit ad me in ea castra Albertus de Ubiis, vir honestus & bonis literis non leviter imbutus, patria ni fallor Amersfordiensis. attulit à Cæsare ad hunc principem dona, scyphos aliquot inauratos, cum horologio affabrè elaborato, quod elephantis dorso turris instar vehebatur. item pecuniæ aliquid, quod inter Bassas divideretur. Quæ Suleimannus in castris in conspectu exercitus à me sibi offerri voluit, quo contestatior esset amicitia, quam sibi cum Cæsare intercedere, & nihil à Christianis armorum impendere credi volebat. Redeo unde diverti ad Baiazetem, qui à pugna Iconiensi se receperat; Amasiam ad suam præfecturam, tanquam ibi jam quieturus si pater permitteret. Dolori suo juvenilique cupiditati fuerat obsequutus: ita deinceps se comparaturus videbatur, ut paternæ

ternæ voluntati ſatisfaceret. neque ceſſabat per literas & idoneos homines animum patris explorare, neque ſe Suleimannus alienum à reconciliatione præferebat haud gravatim initio nuncios admittebat. legebat literas, neque reſpondebat inclementer: ut tota caſtra rumor pervaderet, patri cum filio conventurum. veniam datum iri ætatis infirmitati, modo reliquī temporis officia conſtarent. Sed hæc Baſſarum conſilio à prudente ſene ſimulabantur, dum veluti clauſum indagine Baiazetem vivum in ſuam poteſtatem redigeret. Nam metus erat, ne ſalute deſperata, tanto impetu in Perſarum regis fines (quod unicum ei perfugium) rueret, ut præfectorum cuſtodiam & diligentiam anteverteret: quos quidēm continuis nunciis Suleimannus admonebat, ita exitus omnes in Perſiam ſervarent, ne qua Baiazeti ad fugam rima pateret. Interea qui in manus ejus inciderant ſtudii & favoris in Baiazetem ſuſpecti, pér tormenta interrogati clam tollebantur è medio: in his etiam quidam, quos Baiazetes miſerat ut ſe purgarent. Regnum hoc tempore obtinet in Perſia, ſub quo nomine continetur quicquid gentium inter mare Caſpium & ſinum Perſicum (cum parte aliqua majoris Armeniæ) incolit (tametſi Suleimannus multa bello abſtraxerit: Babyloniam ipſam, Meſopotamiam & partem Mediæ) regnum inquam hodie in Perſia obtinet Sagthanas. dominaturque, cùm eo quo dixi ſpatio, tum etiam ulterioribus regionibus uſque ad ditionem principis quem *Homajum Patiſach* Turcæ vocant. Hujus partem in campis Chalderoniis vicit olim magno prælio Selimus. Res Per-

sica ab eo tempore inclinare cœpit, insultante acerrimo Imperatore Suleimanno, segniter & & lente defendente Thama, patre magnitudine animi longe inferiore. Qui quidem nunc otio & inerti vitæ deditus, regiæ parietibus inclusus inter pellicum greges consenescere dicitur, variis earum delinimentis se oblectans, & plerunque sortibus in res futuras inquirens, exigua justitiæ jurisque administrandi cura. qui neglectus magnum ad maleficia & latrocinia atque omne licentiæ genus per ejus Imperii gentes campum aperit. Itaque qui minus opibus valent, passim à potentioribus omni genere injuriarum opprimuntur; nec ullum in eius æquitate, innocentiæ præsidium viget. nihilominus apud eos populos ejus auctoritas sanctitatisque opinio in tantum, ut beatos credant qui regiæ ejus postes osculo contigerunt, & aqua qua manus abluerit, ad varia morborum genera abutantur. Sunt ei complures liberi, in quibus unus, cui Hismaëli nomen, non minus avitam indolem quàm nomen refert, insigni pulchritudine, Ottomanicæ gentis capitalis hostis. hic cum in lucem ederetur, pugnum cruore plenum utero matris extulisse dicunt, ex quo fama per eas gentes percrebuit, hominem fore bellicosum, quam ipse admodum adolescens multa cum Turcarum cæde insignique victoria confirmavit. Sed eum pater facta cum Suleimanno pace, ne concordiæ obesset, ex pacto, in intimam ditionis suæ regionem custodia clausum sepositi. qui tamen post obitum patris communi voto heres Imperii destinatur. Veritus ergo Suleimannus ne Sagthamas (qui nobis sub nomine *Sophi* notior est) magis veterum simultatum quàm recentis & coactæ pacis memor, filium si in Persiam se ejecisset, non sine magna molitione

litione extorqueri sibi pateretur, ex eoque fortasse longius & difficile bellum oriretur, omnem operam dabat, ut priusquam eo perveniret, opprimeretur. Meminerat paucis ante annis Helcam Thamæ fratrem ad se profugum, suis opibus sustentatum, longum fratri facessivisse negotium, ut non immerito Thamam parem relaturum gratiam suspicaretur, & forsasse quæ ei bello eripuerat, per hanc occasionem repetiturum. Quæ Suleimanni consilia tametsi magnopere secreta haberentur, tamen Baiazetis amicos non fallebant; à quibus subinde monebatur, ne patri crederet, caveret insidias, & quacumque ratione posset saluti maturè consuleret. Quod ut faceret Baiazetes, ut sæpe ad magnas res parvæ momentum adferunt, causam dedisse ferebatur deprehensus in castris quidam ejus miles explorator, moxque jussu Suleimanni palam in crucem actus, eo obtentu quod esset à Baiazete conductus, postquam ei interminatus esset, ne quem præterea militem scriberet. Ea veluti tessera Baiazeti fuit, ne quod consilium fugæ celeritati anteponeret. At Suleimannus qui jam se consequutum arbitrabatur, ne posset elabi, & fortassis ut magis falleret, exercitui suo reditum Constantinopolim indixit postridie paschatis. Baiazetes ipso paschatis die Amasiæ statim à peractis solemnibus sacris vasa conclamari jussit, iterque inauspicatum in Persiam auspicatur, gnarus quidem se ad veterem Ottomannicæ domus hostem proficisci; sed animo confirmato cujusvis potius misericordiam experiri, quàm in patris manus devenire. Excessêre omnes præter imbellem turbam, sexum muliebrem & pueros ferendis longinquæ viæ laboribus impares, inter quos unus cum matre relinquitur Baiazetes filius recens

cens editus, quem insontem avi clementiæ relinquere pater maluit, quam ærumnosæ & miserabilis fugæ comitem assumere. quem quidem Suleimannus incertus adhuc, quæ patris futura sors esset educari Prusiæ jussit. Reversurus fueram Constantinopolim pridie pascatis, nisi me videndi ejus diei ritus cupido retinuisset. in aperto & plano campo ante Suleimanni tentoria Turcæ paschales ceremonias celebraturi erant: ambigebam an videndi unquam talis se offerret occasio. Do negotium meis, uti in tumulo tentoria Suleimanni ex adverso despectante, promissis aliquot nummis in tabernaculo militis Turcæ mihi locum quærant, unde videre illa possim, eoque solis exortu transeo. Video in ea planitiæ magnam conglobatam turbinatorum capitum multitudinem, summo silentio verba præeuntis sacerdotis excipientium. Singuli suis quique locis ordines constiterant, & cum in loco aperto & patente versarentur, ipsi corporum suorum serie, tanquam septa sive parietes, sibi construere videbantur: honoratiore quoque ordine, ei loco, ubi princeps constiterat, propinquiore. omnium erat vestitus eximius nitor: capitum tegmina, de candore cum nivibus certabant. grata diversorum colorum varietas multa cum voluptate in oculos incurrebat. sic vero stabant immobiles, ut in illo solo defixi aut ibidem succreviſse viderentur, nulla tussis, nullus sc reatus, nulla vox, nullus circumacti capitis aut respicientis motus. Sacerdote Mahumetis nomen pronunciante, pariter una omnes capita ad genua usque summittebant: cum nomen Dei proferetur, in faciem venerabundi procidebant, & terram deosculebantur. magna cum ceremonia, & attentione, suis sactis interſunt Turcæ. nam si vel digito scalpant

caput,

caput, periisse sibi precationis fructum arbitrantur. Quid enim, inquiunt, si cum Bassis tibi sermo habendus sit, non aliter facias quam toto corpore ad reverentiam compositio? quanto æquius est idem servari erga Deum omne humanum fastigium tantopere excedentem? Sic illi ratiocinantur. Peractis precationibus omnis cõpages illa soluta est, miscerique & per campum fluctuari & totam planiciem inundare cœpit. Mox Imperatori suum prandium inferebant, quibus ferre mos est. cum ecce Gianizari manus ferculis injiciunt, omnia diripiunt, atque ipsi multa cum festivitate & jocis vescuntur. Datur illud ex vetere instituto diei illius hilaritati. Principi aliunde provisum. Quo spectaculo lætus refero me Constantinopolim. Restant de Bajazete pauca, quæ ubi narravero, te absolvam, non minus fortasse legendo fessum, quam ego sum scribendo. Bajazetes ita ut audisti, Amasia cum expedito comitatu profectus, tanta celeritate usus est, ut adventus sui famam pæne locis omnibus præverteret, ac plerisque quibus transitum ejus observare propositum erat, inopinantibus imparatisque insidere. Bassæ Sabastonopolitano sic illusit, ut cum essent duæ viæ, quarum una interjecta magno ejus itineri impedimento futura esset, eumque Bassa ille insedisset, misit quosdam specie transfugarum, qui indicarent, jam altera via eum prætergressum. quod dum Bassæ probabile fit, ac locis viæ quam occuparat relictis, ut vestigiis ejus insisteret; propere copias traducit, qua Bajazetem ire credebat, liberum ei transitum reliquit. Sed & Bassæ Erzerumensi non multum absimili astu imposuit, à quo cum non procul abesset, sciretq; in transitu ejus præfecturæ multum sibi paratũ periculi, arte eum aggressus

gressus est, missis qui ei salutem nunciarent. Deinde suis calamitatibus quàm maxime miserandum in modum exponendis eius misericordiam captarent postremo soleas equis comparandi potestatem sibi fieri peterent. se venire omnium rerum inopia confectum, cogitare in iis locis ubi pabuli copia sit, quiete unius atque alterius diei equos reficere, & novis soleis calceare. Commodè respondit Bassa, se non vetare quominus ea sumeret, quorum indigebat: sive commiseratio ea fuerit fortunæ Baiazetis, sive non alienus à partibus ejus sensus, quod nonnulli judicarunt: sive certè consilium, quo facilius incogitantem opprimeret, & forte adhuc temporis opus habebat ad conducendum in unum locum militem, celeritate Baiazetis deceptum. Mittit etiam honoris caussa ad eum munuscula, & de incolumitate deque adventu gratulatur Baiazeti: nihilominus progrediebatur, nulla diei, exigua noctis parte ad quietem suis permissa. Bassa Erzerumensis ubi continuare iter Baiazetem cognovit, accelerat, & se reliquis Bassis conjungit, qui vestigia eius legebant. Nam plures Singiacci & Bassæ, ubi migrasse Amasiâ Baiazetem auditum est, mandato Suleimanni eum persequebantur, pœna capitis indicta, nisi vivum aut extinctum stitissent. Verum nequidquam, propter præproperum Baiazetis discessum, & quod major esset huius in fugiendo quam ipsorum in sequendo celeritas. Quanquam nulli pluris stetit Baiazetis fuga, quam Bassæ de quo modo dixi Erzerumensi, quem hac de caussa præfectura à Suleimanno motum Selimus interfecit, unà cum duobus adolescentibus filiis detestandum in modum prius constupratis. Sed & Selimus & Mehemet Bassa & Bellerbegus Græciæ, quanquam longiore intervallo,

vallo, Baiazetem insequebantur. Gravissimus Suleimanno acciderat ejus decessus certum habenti quod erat, Persiam peti: & vix sibi temperabat, quin cum universo tam milite quam equite prætoriano accurreret, Persæ belli timorem ex propinquo inferret. Sed moderabantur vesanos impetus consiliarii, demonstrantes, quantum esset ab infido milite discriminis. Quid item si temerarius & præceps Baiazetes supra Pontum & Paludem Mæotidem devio itinere Constantinopolim se retulisset, & servitia & tyrones quos *Agiamoglanos* vocant, proposita libertate ad arma vocasset, itaque in vacuam imperii sedem se insinuasset? hæc monita Suleimannum retinebant. Cæterum Baiazetes quacunque incesserat, ædium postibus inscriptum relinquebat, se duplex stipendium daturum militibus, qui ad se transissent. quæ res suspectos ducibus milites faciebat: & quod identidem voces audiebantur magnæ in Baiazetem benevolentiæ indices. Tandem ad Araxem fluvium, qui Turcarum regionem à Persia dividit, Baiazetes evasit. quo traiecto ne sic quidem securus: quo transitu subsequentes Singiaccos prohiberet, custodias è suis in ejus fluminis ripa disposuit, qui sibi eam provinciam deposcebant. sed eos Singiacci facilè dejecerunt, & se bene penitus in Persici imperii fines intulerunt, donec obvios habuerunt Satrapas cum magno equitatu, quibus percunctantibus, quid sibi vellent, quid in aliena ditione quærerent? Turcæ responderunt, se Regis sui transfugam filium repetere. Contra Persæ non æquum facere, quod extra suos limites armati vagarentur contra fœderis leges. Sagthamæ cum domino eorum pacem & amicitiam esse, quam servari par esset. de Baiazete cogitaturum quod se deceret,

ceret, neque defuturum officio. interea facturos recte si è regione, in qua nihil haberent juris, excessissent. His moti Turcæ iter retro vertunt. Adsunt mox à Persa homines allegati ad Bajazetem, qui salutent, & scisciteritur quid veniat, copias item quantas secum ducat, explorent. Exponit Baiazetes, se fraternis injuriis & patris iniquitate patria ejectum, ad Persarum principis fidem tanquam ad unicam salutis aram confugere. sperare humanæ sortis memorem non repudiaturum supplicis preces, cæteroqui omni ope destituti. Ad hæc à Persa refertur fecisse eum parum considerate, quod ad se venerit, cui cum patre ejus pacem & amicitiam esse sciret, iis legibus sancitam, ut eosdem hostes & amicos haberent: quas leges violare sibi nefas duceret. tamen, quando res ita tulisset, accederet, bonis avibus dextram jungeret, hospitale tectum subiret, se nihil reliqui facturũ, quo cum patre reducat in gratiã. Sic cum Persa congreditur Baiazetes, quanquam principio plena gratulationis omnia, amici vultus hospitalia utrinque dona, crebra colloquia, epulæ mensæque communes, per quæ optime animorum occulta teguntur. fit etiam affinnitatis mentio promissa Orchani Bajazetis filio una de Persæ filiabus, spesque confirmatur Baiazeti non quieturum Persam, donec Suleiman. vel Mesopotamiæ vel Babyloniæ vel Arzegumi satrapiam ei dedisset. Extolluntur verbis earum prefecturarum commoda: posse ibi sine ullo fratris metu ætatem agere longe ab eo, longe à patre semotum. quod si quid durius ingruat, habiturum à tergo asylum soceri fidẽ, cujus præsidio ab omni casu tutus sit. Qui sermones vulgabantur, quo Bajazetis animus ab imminentis periculi sensu magis averteretur. An vero restituendo in gratiam patris

Bajazete

Bajazete Persa per oratores, quos multos misit, sincere egerit, in dubium vocari potest. neque enim interea, quæ ad ejus perniciem pertinebant, segniter instruebantur. Magno timore Sagthamas afficiebatur, ne serpentem nutriret in sinu, tametsi non desint, qui Persam eo compulsam quorundam scelere, qui beneficiorum parum memores Baiazeti suadebant, ut regno Persam spoliaret: cujus rei non ambigua extitisse indicia. quin etiam vocem unius de præcipuis Bajazetis ducibus sceleris plenam ad ipsum Persam delata. Quid agimus, cur istum hæreticum interficere, & regnum ejus occupare moramur? Nam cui dubium, quin per ejus fraudem nobis omnibus exitium instet? Quare adductū Sagthamam, ad conciliū magis necessariū quam speciosum descendisse. Habebat Bajazet, non quidem magnas copias, pugnaces tamen, in quibus eran viri fortes, ad quidvis audendum prompti, quos non injuria metuebat Persa. erat sibi conscius nec veteris & per simulationē religionis quæsiti regni. Quis præstaret quin in tot populis, quos subditos habebat plerosq; præsentis status pœniterent ac proinde res novas mallent? quibus nihil oportunius fieri poterat advētu Baiaz. adhuc quidē sē magis in ejus potestate videri, quā ipsū in sua. utendū vicissitudine, nec ut hospitē diutius habendū, sed ut Bestiā vinculis circūdandū. Quā ad rē via esset facillima, si dissipatis copiis nudatus suorū præsidio opprimeretur. non enim sine multa cæde aperto Marte posse expugnari. desidem longo otio Persam nec conductum in unum, contra Bajazetis militem præsentem, promptum & exercitatum. Ita communicato cum eo consilio de disjungendis ejus copiis & commoditatibus collectis, quas ea res adferet, non licuit refragari

Bajazeti

Baiazeti: tametsi viros cordatos & longius prospicientes gravis suspicio perculit. Sed quid recusari poterat, ubi tanta incumbebat necessitas? ubi alia nulla spes reliqua? ubi alieno quidem nutu de lucro tamen vivebatur? ubi de fide hospitis dubitare summæ perfidiæ imputari poterat? Ergo haud aliàs inter se visuri in diversos pagos diducuntur, collocanturque ubi Persis visum. ac paucis interpositis diebus, capto tempore, pauci à multis circumventi cæduntur. Equi, arma, vestes & quæcunque suppellex in prædam interfectorum cedunt. eodem tempore indita Baiazeti vincula, & quo sit indignius, ut nonnulli volunt, inter mensæ sacra atque epulas hospitales. liberi quoque ejus custodia inclusi. Habes quod scire voluisti, quid ad hunc usque diem sit actum de Baiazete. Quid porro futurum sit, neminem esse arbitror, cui promptum sit conjectura augurari. Variæ sunt sententiæ: sunt qui Babyloniam aut similem provinciam in extremis utriusque principis finibus sortiturum cui pro Singiacco præfit. alii nihil nec in Thama nec in Suleimanno spei reponunt, pro conclamato habente Baiazetem, quem huc ad supplicium remissum iri arbitrantur, aut in carcere fœde periturum. Neque vero non multa circumspectasse Persam cum Baiazeti vim adferret: nimirum ne si in regno patri successisset juvenis impiger & magni animi, fratre bello non paullo melior, ex eo sibi & suo regno multa mala crearentur. Suis rebus multo aptius, si regnaret Selimus ventri & somno natus, ex quo pacis spes & longa securitas ostenderetur. propterea Persam de manibus vivum Baiazetem nunquam dimissurum, in carcere potius necaturum, fide non difficili, juvenis tædio & impatientia carceris morte ab-

absumpti. certe non est quod speret sibi unquam amicum fore, quem tanta injuria læserit. Aliis aliud: mihi sic videtur, spissum (ut res cadat) fore negotium, quod opto. neque enim fortuna Baiazetis leviter causam nostram contingit. non facile isti in nos arma vertent, donec eis de exitu hujus negotii constiterit. Quin jam mihi literas, & pacis leges nescio quas obtrudere conantur, quas ad domini mei voluntatem proxime accedere mihi persuasum volunt; sed nullum, ut fieri solet, dant exemplum: ex quo mihi fraus suspecta est. itaque pernego me literas ad Cæsarem missurum; de quarum sententia non mihi prius liqueat, Quod si me exemplo communicato tamen fallant, tum in eorum manifesta impostura nihil erit quod mihi imputetur: in quo perseverare certum est, & dominum meum ad literas captiosas, difficultate responsionis exonerare. Nam is quidem nisi æquas, nullas pacis conditiones accipiet. At in rejicienda qualicunque pace gradus ad bellum strui videtur. libera omnia posteri temporis eventis servare consultius arbitror. Interea non missarum literarum penes me culpa erit, qua me facile liberabo, si eventus optatis eorum de Baiazete non responderit. Sin contrà evenerit, plusculum quidem erit negotii, sed nihil quod explicari non possit, & commoda purgatione mitigari. Non solent isti implacabiliter irasci iis, quos laborare vident, ut rem domini quàm optime gerant. præterea me ætas principis ingravescens juvabit, quæ Bassarum judico ocii & quietis magis indiget, quàm non necessariorum militiæ laborum: onus quidem & molestiæ mihi prorogabuntur, sed hæc æqui bonique facienda, modo bene collocentur. Habes librum non epistolam,

lam, in quo si qua mea culpa est, tua est non minor: tu exegisti, tuo desiderio datum est, quicquid hoc fuit operæ. sola facilitas mea reprehendi potest, quæ tamen in amicitia sæpe laudi datur. Etsi non despero quin tibi non gravia lectu futura sint, quæ mihi scriptu jucunda fuerunt. me quidem juvit ut semel ad scribendum ingressus sum, quam diutissime custodiam meam fallere, animo peregrinari, & tecum tanquam præsentem versari. quæ erunt (ut erunt multa) cassa & frivola, sic accipere debebis, ut quæ in familiaribus colloquiis inter amicos temere excidunt. Eadem semper epistolæ licentia fuit, quæ sermonis, ut nemo in quotidiano sermone judicii severitatem, aut anxietatem linguæ requisivis: sic ab epistolis censuræ morositas abesse debet. In communi consuetudine licet quicquid in buccam, idem permittitur in epistolis familiaribus: quæ si circumspectius loquantur, non jam jus suum retinere videntur. Quæ monumenta in oculis omnium locari debent, quæ templis & porticibus destinantur, summam perfectionem requirunt: non item quæ domesticis tantum usibus & privatis parietibus comparantur. nihil hic publico conspectu dignum. Hæc tibi & paucis amicis, cum quibus communicare voles, scripta sunt, nulla vel eruditionis vel ingenii quæsita laude. quæ si tibi probabuntur, hoc est, si libenter leges, jam finem suum consecuta fuerint. Poterant magis Latine & elegantius scribi. quis negat? sed quid si ego non potui? ingenii ista culpa est, non voluntatis. Quanquam quid hodie è Græcia, bene Latinum; aut è Turcia, penitissimaque barbarie, elegantius expectes? Hanc denique tibi fero legem, ut si ista non aspernere, accipias reliqua, donec Viennam

nam rediero, si tamen unquam rediero: sin minus, hic finem faciam, ne tibi ultra molestus sim. Vale, Constantinopoli Calendis Junii 1560.

AUGERII GISLENII BUSBEQUII

D. Legationi Turcicæ.

Epistola 4. & ultima.

QUOD mihi de reditu gratularis, agnosco humanitatem & veterem benevolentiam tuam. Quod reliqua exigis legationis meæ, & quæ à postremis quas ad te dedi, illustrissime, usu venerint, aut quæ scitu jucunda observaverim, non mones immemorem probe recordor quid tibi receperim: neque mihi est animus frustrari promissum, aut tam commodum fraudare creditorem. Accipe ergo quæ ab eo tempore sequuta sunt, nugas, joca, seria, quicquid in memoriam, ut aliàs: quanquam auspicabor ab initio minimè læto. Vix dum requieverat animus ab infortunio & carcere Baiazetis, cum nuncio nihilo meliore percellimur. Erat in expectatione eventus classis Turcicæ quæ famâ rerum ab Hispanis in Meninge insula (nunc *Gerbas* vocant) prospere gestarum excita, eo cursum tenuerat. Factus certior Suleimannus eam insulam à Christianis expugnatam, additis ad veterem arcem novis propugnaculis, præsidioque impositio muniri, sibi id in tanto imperio, & tam florentibus rebus, minime ferendum arbitrabatur.

Ea,

Ea re missis cum classe auxiliis, nationi ejusdem religionis sensu secum conjunctæ subvenire in animum induxerat, ac Pihalio Bassæ maris præfecto, ut eam expeditionem obiret, negotium dederat. Is classem multo quidem & selecto milite adornaverat, anxio tamen, & longinquam navigationem & hostem famosum reformidante. Insederat animis Turcarum magna virtutis Hispanicæ opinio quod cognoverant, multa bella vetera & recentia, fœlicibus auspiciis magna cum ejus gentis gloria confecta. meminerant Imperatorē Carolum: de filio, rege Philippo, paternæ & virtutis regnorum herede, quotidie audiebant. Quæ res tantam curam adferebant, ut plerique veluti supremum adituri periculum, tabulas quoque supreme voluntatis testes concederent, & ut nunquam redituri Constantinopoli proficiscerentur. Sic tota urbs in vario metu, nec erat quisquā, sive conscenderet, sive maneret, quem non expectatio exitus hujus belli vehementer solicitum haberet. Sed classis secundis vecta ventis, inprudentibus nostris intervenit, tantumque terroris inopinato adventu intulit, ut nec ad pugnam, nec ad fugam animus, aut consilium satis suppeteret: triremes aliquot expeditæ fuga salutē peterent: reliquæ hærerent, & aut vadis fœde illiderentur, aut ab hostibus circumventæ opprimerentur. In arcem Medinæ, idemque belli dux una cum Joanne Andrea Doria, classis præfecto, se receperat. hi primis noctis tenebris ignorati, fœlici ausu inter stationes hostium scapha in Siciliam transfrerarunt. Ejus victoriæ triremem nunciam huc misit Pihalius; quæ ut apertius profiteretur quid ferret, ingens vexillum, in quo Christi salvatoris cruci affixi imaginem depictam Turcæ ajebant, à puppi per fluctus trahebat. Ea ut portum subiit

subiit, tota urbe Christianæ cladis rumor percrebuit, gratulantibus inter se tantum victoriam Turcis. Iidem catervatim ad meas fores conveniebant, meosque homines, ecquem fratrem, propinquum, aut necessarium in classe Hispana habuissent, per ludibrium rogitabant. ejus (inquiebant) videndi brevi vobis potestas erit. Ad hæc multis verbis suam virtutem insolenter efferebant, ac nostram deprimebant ignaviam, quæ arma supereſſe, quæ sibi resisterent? jam etiam domitum Hispanum. Quæ mei magno cum dolore audire cogebantur: sed ferendum erat, quod Deo ita placitum, & mutari non poterat: Una nos spes sustentabat arcis, quam Hispani magno præsidio tenebant, si tutari eam possent, donec hostem aut hyems, aut quis casus ab obsidione avertissent. Prævalebat tamen metus, victoribus omnia fore procliviora quam victis; ut accidit. Siquidem rerum omnium, sed præsertim aquæ penuriâ conflictati obsessi, arcem postremo seque dederunt. Fecerat hoc Don Alvarus de Sande, qui militibus illis præerat, ingentis, vir animi, vetere militia clarus: ut cum videret ultra sustineri non posse, arce cum paucis excederet, naviculamque arriperet veluti trajecturus in Siciliam: ne parta multâ virtute belli decora, quamvis necessaria deditione contaminaret, atque ut ejus loci amissio cuivis rei potius imputaretur quàm sibi. Sic venit in hostium potestatem arx. Milites enim portas, quæ diutius frustra claudebantur Turcis, quo mitiores experirentur, patefecerunt. Don Joannes de Castella propugnaculo suæ fidei commisso excedere noluit: sed ibidem cum fratre hosti repugnans vulneratus, & ipse ad extremum capitur. Magna constantia arx ea trimestri spatio amplius ab

Hispanis

Hiſpanis defenſa fuit, pene rerum omnium neceſſariarum uſu, atque etiam auxilii ſpe (quod eſt miſerrimum) defectis. Sed nihil fuit in illius cœli caloribus quo premerentur gravius, quam ſitis. Una modo erat ciſterna, magna illa quidem, & aquæ abundans, ſed quæ tantæ multitudine non ſufficeret. Inde ſingulis certa aquæ portio quotidie dividebatur, quantum vitæ ſuſtinendæ ſatis eſſet. Hæc augebatur à pleriſque aquæ marinæ mixtione, vi ignisà ſalſioxe parte ſtillatim repurgatæ. hoc opportune docuerat quidam alchimiæ peritus. quanquam non omnibus ea facultas ſuppetebat. Itaque videre erat multos humi ſtratos, morti propinquos, rictu hiante unius aquæ nomen aſſidue frequentantes quibus ſi miſertus quiſpiam paulum quid aquæ in os infudiſſet, levati erigebantur, aſſidebantque, donec ejus aquæ auxilio conſumpto eodem relaberentur, ac demum torridi animam efflarent. Sic multi quotidie peribant, præter eos quos belli caſus, morbique, in illa ſolitudine, omni medicamentorum ſubſidio deſtitutos abſumebant. Menſe Septembri victrix claſſis Conſtantinopolim refertur, captivos, ſpoliaque & triremes noſtras ſecum trahens, tam lætum Turcarum oculis ſpectaculum, quam luctuoſum & flebile Chriſtianis, ſtetit ea nocte ad ſaxa è regione Byzantii, quo ſplendidiore pompa & majore celebritate in portum inveheretur. Deſcenderat Suleimannus in porticum portus faucibus vicinam, hortorum ſuorum appendicem, ut propius intrantem, monſtratoſque Chriſtianos duces ſpectaret. Oſtentui erant in puppi prætoriæ triremis Don Alvarus de Sande, Don Sanchius de Leyva, & Don Bellingerus de Requeenes, hic Siculorum triremum, ille Neapolitanarum præ

fectus.

fectus. Remulco trahebantur captæ triremes, remigio & acroſtollis deſpoliatæ, nuda corpora, ut ſic præ Turcis parvæ, deformes, contemptibileſque haberentur. Qui tum Suleimanni vultum viderunt, negant in eo ulla inſolentis lætitiæ ſigna deprehendiſſe. Ego certè altero poſt die ad ſua ſacra proficiſcentem vidi, eodem quo ſemper vultus habitu. eadem erat frontis ſeveritas & triſtitia, pene ac ſi nihil ad eum hæc victoria pertineret, nihil novum, aut inexpectatum contigiſſet. Tam capax in illo ſene quantævis fortunæ pectus, tam confidens animus, ut tantam gratulationem veluti immotus acciperet. Ductus paucis poſt diebus in Regiam captivus miles, prius fame cruciatus, & tantum non enectus. Vix pedibus plerique inſiſtebant: multi præ imbecillitate concidebant; animoque linquebantur: quidam utique moriebantur, per ludibrium agebantur, armis ridiculum in modum ac fere præpoſtere injectis. Circumcirca Turcarum voces audiebantur, inſultantium, & ſibi totius orbis imperium deſpondentium. Nam quem ultra, victo Hiſpano, ſupereſſe hoſtem qui timeri poſſet? Fuerat in ea expeditione primorum ordinum ductor Turca quidam mihi non ignotus, in cujus manus inciderat ſignum primum, ſive regium triremium Neapolitanarum, in quo erant in complexu imperialis aquilæ regum Hiſpaniæ provinciarum omnium inſignia. Quod cum eum Suleimanno velle offerre intelligerem, dandam mihi operam putavi ut anteverterem, & ab eo auferrem. Quod non difficulter obtinui, miſſo duarum veſtium ſericarum munere. Sic cavi ne clariſſima Caroli quinti inſignia ad æternam ejus cladis memoriam apud hoſtem remanerent. Erant in numero

captivorum, præter eos quos dixi, clari natalibus, Don Joannes de Cardona, Don Bellingeri gener, & Don Gasto ducis Medinæ filius pene quidem puer, honorato tamen in patris exercitu militiæ munere defunctus. Don Joannes haud insipienter id egerat, magnæ pecuniæ pactione, ut in Chio (ea tenetur à veteribus incolis Genuensibus) relinqueretur. Gastonem Pihalius occultarat, allectus spe ingentis pro redemptione pretii. Sed hoc consilium fere in perniciem ei vertit. Id enim quibusdam vestigiis odoratus Suleimannus, sane quàm ægre ferebat, neque quicquam enixius studebat, instigante Rustano, quam ut Gastonem è latebris erueret, ut in manifesto facinore iustiorem caussam haberet in Pihalium animadvertendi. Verum incassum is labor sumebatur, sublato e vivorum numero Gastone, an peste, quidam credunt; an (quod est verisimilius) ne quid emanaret, ipsius Pihalii opera. Certè magna cura à patris ministris requisitus, investigari non potuit. Credibile est Pihalium, quo propriæ saluti consuleret, Gastonis vitæ non peperciisse. Nihilominus in magno metu diu vixit, vitato Constantinopolis accessu, perque varias caussas circum maris Ægæi insulas cum paucis triremibus vagatus. Irati domini conspectum, ut sibi exitiosum, ac ne caussam è vinculis dicere cogeretur, fugiebat: donec Suleimannus eunuchi Cubiculariorum decurionis, & filii Selimi precibus mitigatus, delicti gratiam fecit sub iis verbis, quæ me referre non pigebit. *Habeat is quidem à me tanti delicti veniam & impunitatem: cæterum debitas pœnas post hanc vitam de eo sumat justissimus scelerum vindex Deus.* Adeo ei insedit, nullum malum facinus inultum relinqui debere. Don Joanni Cardonæ res cessit fœlicius;

fœlicius : qui quidem cura atque auxilio viri illustris, Adami à Ditrichstein, Baronis Austriaci, qui ejus sororem lectissimam fœminam habet in matrimonio, meaque fidejussione sublevatus, incolumis in Hispaniam rediit. Introductus in Divanum sive consessum Bassarum Sandæus, interrogatusque à Rustano, Quid domino ejus venisset in mentem, ut, cum sua tueri non posset, aliena oppugnatum iret? respondit, ad suum judicium hoc non pertinuisse: suum munus fuisse, ut quod haberet à domino mandatum, qua fide par erat exequeretur. In quo sortem habuisset adversam. Deinde genu nixus Bassas precatus est, ut salutem suam Suleimanno commendarent: sibi domi uxorem esse, & paucos liberos: orare, ut se iis servatum vellent. Respondit Rustanus, suum Imperatorem ingenio esse miti, sperare de ejus salute impetrari posse. Sic Sandæus in arcem, quam *Carademis*, hoc est, maris rubri, vocant, duci jubetur. Verum non longè abierat, cum revocaretur. Non viderat eum Cubiculariorum decurio, cujus suprà memini, magnæ apud dominum authoritatis. Ea de causa redire jubebatur. Commemerant qui revertentem viderunt, verum aliàs intrepidum, aliquanto commotiorem rediisse, verentem ne mutatâ sententiâ ad necem retraheretur. Reliqui captivi qui erant præcipui nominis in turrim Perensem, sive Galatensem conduntur. in iis Don Sanchius de Leyva, cum duobus filiis nothis, atque item Don Bellingerus. Postquam sum factus istorum certior, & quanta penuria omnes laborarent, putavi mearum esse partium, non deesse eorum miseriis. Misi itaque qui eos viserent, & meis verbis consolarentur, omniaque quæ in mea essent potestate deferrent. Atque ab eo tempore toti

captivorum nationi mea domus semper patuit, neque in ullo, quoad ejus fieri posset, adversus eos officio cessatum. Turcæ suis captivis, modo panis & aqua suppetat, abunde provisum arbitrantur. Quid cujusque ætas, quid consuetudo, quid valetudo, & tempus anni postulet, impense secuti, sanos ægros convalescentes, robustos. valetudinarios, juvenes, senes, eodem modo accipiunt omnes. ex quo magnus opitulandi campus mihi patebat, variis vitæ necessitatibus diversa subsidia postulantibus. Magna ægrotorum multitudo decumbebat in templo quodam Petæ, quod oppidi nomen est, statim transfretum siti è regione Byzantii. Ibi eos Turcæ veluti depositos & abjectos habebant. Plurimos aut in ipso morbo, aut jam convalescentes idonei victus inopia perdebat, quod justulum, aut offam non haberent. quo languentem ventriculum foverent, & vires amissas sensim recuperarent. De eo admonitus, do negotium civi Perensi, mihi amico, ut verveces aliquot quotidie emat, quos domi elixos inter captivos illos dividat, his jus, illis carnes, ut cujusque morbi vel valetudinis ratio exigeret, quæ res non paucis profuit. Atque hæc quidem cum infirmis; aliam opem poscebant, qui recte valebant. Plenæ erant ædes meæ à summo mane ad vesperam turba eorum, qui adversus varia incommoda auxilium petebant. Alii lautioribus mensis assueti ad atri panis ejusdemq; sicci quotidianum esum nauseabant; opus habebant qui comparatent aliquid obsonii: aliorum stomachus continuum aquæ usum non ferebat, pauxillo vino opus erat. erant quos offendebat in nudo solo cubantes nocturnum frigus, quibus veste stragula subveniendum erat; huic amiculum, illi calcei desiderabantur,

tur. Pars multo maxima adversus heri, vel custodis sævitiam subsidium orabat, quo commodioribus iis uteretur. Ad medendum istis omnibus incommodis una remedio erat pecunia, ea flagitabatur. hic nullus abibat dies, quin plures aurei insumerentur. Sed hoc malum tolerabile, neque exitiosum: perniciosius aliud ab iis impendebat, qui grandiores summas sibi credi postulabant, aut me vadem pro redemptionis pretio cupiebant. horum nulli deerat, quo se venditaret, ac suam causam præcipuam videri vellet. hic afferebat nobilitatem & consanguineos, aut affines illustres aut primarios: iste ductos in exercitu ordines, multorumque annorum stipendia: tertius divitias domi magnas, & in promptu satisfaciendi facultatem. Nec deerant qui suam virtutem, & clara in bello facinora prædicarent. Omnes denique quacunque de causa sibi succurri æquum censebant. De fide cum quæreretur, & an solvendi memores futuri essent, vetabant dubitare. Nam quid injustius, quàm non molestia & damno liberare eum, à quo tantum beneficium accepissent, cui libertatem, cui vitam deberent, qui eos tanquam ex Orci faucibus eripuisset? Ac sanè mihi gravissimum erat audire, Nisi mihi jam in numerato sint ducenti aurei, actum est de me: traducor in Asiam, aut conjicior in triremes ad remum, avehendus nescio quò, sine ulla spe recuperandæ unquam libertatis, aut revisendæ patriæ. Est mercator, qui tantum mercium suppeditare, unde ea summa confici possit, non recusset, modo tu fide jubeas. Hæc fere erat omnium cautio: qua non moveri non poteram, cum veniret in mentem vera esse quæ dicebantur, Fieri non posse, nisi esset subventum, quin magnam partem variis casibus perirent: esse au-

tem eo loco neminem, qui majorem opitulandi facultatem haberet, aut à quo justius id expectaretur quàm à me. Sed tu, *nusquam tuta fides*, mihi ingeris scio, sed cadit in cuiusquam animum fore tam immaniter ingratum aliquem, ut ex tanto periculo ereptus solvere nolit, quod sit pro ejus capite expensum? Fac uni, atque alteri non voluntatem, sed facultatem deesse. id susque deque habendum. Non perit, quod bonis bene fit. maior certè pars in officio manebit. His rationibus adductus, meam fidem pro multis aureorum millibus obstrinxi, meque in tam altam voraginem demisi, ut nesciam quo modo sim emersurus: ac verear, ne compedes quas iis ademi, ego meis pedibus aptarim. Qua de re pluribus ad te scribo, ut me purgem, quod à quibusdam insipientiæ accusari me scio, ob nimiam credendi facilitatem; tum quod nonnullorum in solvendo negligentia me in suspicionem adducit, fore ut non sine gravi damno ex hoc negotio exeam. Quinimò jam fuit necesse, me quod pro quibusdam spopondi, dependere: ac memini cum ad me nonnullorum voces referebantur, qui cùm essent meo beneficio servati, tamen deridiculo habebant tantam facilitatem, ut hominis inepti, & parum considerati. Ex quo possum colligere, quæ mens quorundam futura sit. Sed erit quod volet Deus. utut ceciderit, non video cur me pœniteat multis benigne feciſſe. Ipsa sibi virtus semper pulcherrima merces. præcipuum mihi nullum pretium expecto, nullos honores, nullam statuam decerni mihi volo; opto tantum ut eatenus grati sint, ut quod pro eorum incolumitate expensum sit, fideliter restituant. Quod de cordata natione, cuiusmodi hæc habetur, non despero. Ego verò

lætor

lætor, non modo me reposuisse, verum etiam exemplo fuisse, quo provocati plerique & ipsi bonam operam navarunt. Sunt Perææ cum cives, tum peregrini, generis Italici, multi mercatores, quorum extitit in captivis sublevandis insigne studium, sed unius non possum oblivisci, prorsus à reliquis diversi, propter sententiæ absurditatem. is erat Italogræcus, hoc est, mixta origine & moribus Græcis atque Italis. hic cum certatim omnes in tam pium opus incumberent, adduci nunquam potuit, ut teruncium in ullum impenderet. Quo nomine cum accusaretur, ita se defendebat absono & incomposito sermone Italico, (nam familiarior ei Græcus) Ego istos quales sint non novi: sed facile possum conjicere, non nisi justo Dei judicio in hanc miseriam conjectos. Nolo venire contra voluntatem divinam: maneant per me quo loco eos Deus esse voluit. Vos, qui iis quæ divinitus decreta sunt, tam audacter interceditis mirandum non erit si pœnitebit. nemo mihi persuaserit, ut vel unum obolum horum caussa erogem. Sic ille. Sed vanum istum & ineptum vatem omittamus. Hæc Christianorum maritima clades cum Baiazetis calamitate coniuncta, magnam mihi curam adferebat, ne Turcæ redderentur insolentiores, ac proinde in ferendis conditionibus intolerabiliores. Ad mala publica accedebat privatum, pestis, quæ domum meam invaserat, jamque unum de fidissimis meis famulis rapuerat: cæteros contagii metu vehementer turbarat. de quo dicam paulo post, si prius de alia solicitudine nobis injecta, minore quidem illa, sed tamen non contemnenda, attigero. Fit indies hic Princeps suæ religionis observantior, hoc est, superstitiosior. Solitus erat oblectare se puero-

rum fidibus, & voce canentium musica. Sed hoc omne sublatum Sibyllæ cujusdam interventu, hoc est, anus sanctimoniæ professione celebris, quæ magnas, nisi finem faceret, paratas ei pœnas post mortem denunciarat. Eo commotus, quicquid erat instrumentorum symphoniacorum, quanquam auro, gemmisque egregio opere distinctorum, comminuit, & in ignem injecit. Cibum sumebat ex argentea supellectile: hoc quoque nescio quis tam graviter apud eum increpuit, ut postea nullis quàm fictilibus vasis sit usus. Postremò inventus est, qui tantum usus vini licentiam in urbe non ferret, eoque nomine religionem ei injiceret, ac si præceptorum prophetæ sui parum retinens esset. fit ergo edictum ne vinum deinceps Constantinopolim importaretur, ac ne Christianis quidem, neque Judæis. hoc edictum ad me meosque non parum pertinebat, aquæ potioni minimè assuetos. unde enim nobis vinum, si à mœnibus urbis arceretur? longum patriæ desiderium, & incertum adhuc quo nostra actio evaderet, satis nos macerabant; nisi hæc etiam mutandi victus necessitas adjungeretur, cui sine multorum invaletudine locus esse non posset. Do negotium meis interpretibus, ut nostram causam apud Bassas in Divano diligenter agant, & veterem possessionem defendant. variatum ibi sententiis. Erant qui censerent, nos quoque aquæ potu debere contentos esse. quid enim dicturam viciniam, si vinum ad nos inferri videant? Ejus usu sibi severe interdici. At Christianos in media Constantinopoli eo se quantum liberet ingurgitare, fœtorem vini circumcirca late differri, atque omnia profanare. Sed & Musulmannos, qui ad me venirent, vinum eructantes prodire. Ex quo nihil

propius

propius factum est, quam ut causſa caderemus. Vicit tamen eorum ſententia, quorum auctoritate noſtri ratio habebatur, qui nobis tantam mutationem intolerandam fore, morborumque & mortis cauſſam pleriſque allaturam contendebant. Permittitur nobis unius noctis optio, qua vini quantum vellemus ad portam maritimam, quæ nobis opportuniſſima videretur, appulſum haberemus: qua nocte item currus & equi ad manum nobis eſſent, quibus vinum quanto minimo cum ſtrepitu fieri poſſet, in domum inferremus. Sic nos jus noſtrum retinuimus. Non defuerunt Græci, qui Principis animum eo quo dicam ſtratagemate periclitarentur. Cum exploratum haberent, eum per loca frequentibus vineis conſita iter facturum, magno numero conveniunt, viteſque radicitus convellunt. quarum congeſtis acervis alii viam complent, alii currus onerant. Ubi ad eum locum venit Princeps, rei novitatem miratus, conſtitit: vocat ad ſe proximos, quærit quid molianiur. Illi reſpondent, quando ſibi ejus edicto vini potu interdictum ſit, ſe vites, quarum deinceps nulla futura ſit utilitas, extirpare, ut lignis ad focum utantur. Tum Suleimannus: Non recte facitis, neque mentem meam, ut debuiſtis, aſſecuti eſtis. Ego ſi vini abſtinentiã indixi, non propterea veſci uva quenquam prohibeo. Inter præſtantiſſimos fructus, quibus genus hominum donavit Deus, annumerari debent uvæ. harum recentium ſucco nihil vetat quo minus fruamini, dũ ne in doliis conditum pernicioſo invento depravetis, atque in alium vertatis uſum. An nos pomiferas arbores, quod vinum non ferunt, eradicandas cenſebitis? Quieſcite, fatui, & vitibus, egregios vobis fructus laturis, parcite. Ita Græcis ſine effectu ſuum

commentum fuit. Revertor nunc ad peſtem, quam ſub eodem tecto nobiſcum verſantem reliqui. Cuius vitandæ gratia mitto ad Ruſtanum rogatum, ut mihi ejus permiſſu aliquo migrare liceat, ubi ſim extra metum aëris contagione infecti. Quod quidem faciebam diffidenter, quod erat mihi cognitum ejus ingenium: faciebam tamen, ne viderer in mea meorumque valetudine tuenda, fuiſſe negligentior. Reſpondit Ruſtanus, ſe relaturum ad Principem. poſtridie renunciat, eum ſic reſpondiſſe. Quid mihi vellem, aut quo cogitarem? an neſcirem peſtilentiam ſagittas eſſe Dei, quæ à propoſito ſcopo non aberrarent? ubi deliteſcerem, ut ab eius teli jactu tutus eſſem? Si me percuſſum vellet, nihil fugam, nihil latebras profuturas. Fruſtra vitari, quod evitari non poſſet. Suas ædes ne nunc quidem peſte vacuas, in quibus nihilominus maneret. me quoq; facturum rectius, ſi me loco non moviſsē. Sic mihi in domo funeſta, & peſte contaminata manendum fuit. Sed accidit haud multo poſt ut Ruſtanus ad plures migraret, aqua extinctus intercute. Cui ſuffectus eſt Hally Viſiriorum Baſſarum tum ſecundus, vir (ſi Turcarum quiſquam) humanus, & prudens. Ad quem cum novæ dignitatis initio gratulatum miſiſſem, adjunxiſſemque amplum ſericeæ veſtis munus, liberale reſponſum acceperam, me in quibuſcunque rebus uſurum ſe amico; ne vererer, ubi uſus eſſet, compellare. Neque id re parcius præſtitit quàm verbis promiſerat. quod primum ſum expertus, cum ex intervallo rediviva peſtis in domo mea denuo turbaret, eumque nobis eripuiſſet, cuius ope & præſidio in conſervanda valetudine ſecundum Deum potiſſimum niti ſolebamus, atque alios plures (ut ſic loquar) afflaſſet.

Mitto ad Hally Baſſam eandem petitum veniam

niam quam antea petieram à Ruſtano. Reſpondet ſe quidem mihi poſſe permittere, ut item quo vellem, ſed futurum conſultius ſi id poſtularetur à Principe: ne ſi forte in homines meos incidiſſet liberius vagantes, ægrè ferret me ſine ſuo ſcitu verſari extra hoſpitium. Multum referre, quomodo quidque Principi proponeretur. Se ita ad eum relaturum, ut non eſſet quod de aſſenſu dubitarem. Pauloque poſt me facit certiorem, non prohiberi me quocunque viſum ſit proficiſci. Seceſſui viſa eſt aptiſſima inſula quam vocant *Principo*, quatuor horarum navigatione ab urbe diſtans: ea fere amœniſſima eſt complurium minutarum inſularum, quæ Conſtantinopoli proxime ſubſunt. Nam aliæ ſingulos, aut nullos habent pagos, hæc duobus habitatur. Quod dixi, eum cuius fiducia maximè niti ſolebamus, morte nobis ereptum, fuit is medicus Gulielmus, optimus mihi & fidiſſimus longinquæ peregrinationis comes. Correptum quendam peſte, quemadmodum eventus palam fecit, imprudens redemeram. Ei dum Gulielmus medicinam facere conatur, neque ſatis ſibi cavet, venenum peſtiferum hauſit. Erat in ea hæreſi, ut graſſante peſtilentia plus eſſe metus quàm periculi diceret: oriri eodem tempore, ut ſemper, varia morborum genera, quorum maiorem partem timori aſſignaret peſtilentiæ: ſic fieri ut quodlibet ulcus, aut tuberculum pro peſtilenti anthrace curaretur. Itaque etſi jam ex peſte langueret, longe tamen à peſtis ſuſpicione aberat, donec malum diſſimulatione auctum cum tam ſævis acceſſionibus erupit, ut fere inter manus opem ferentium extingueretur. Nec dum tamen adduci potuit, ut ſe peſte laborare crederet. Cum pridie quàm è vita diſceſſit, miſiſſem qui percunctaretur, qui ſe

se haberet: respondit sibi factum esse melius: rogare, si commodum esset, ut ad se venirem. Diu ei assedi, quum mihi narraret quàm graviter æger fuisset. Nam sibi cum ceteros, tum videndi sensum ita debilitatum fuisse, ut neminem discerneret. quo affectu se nunc liberatum, atque omnibus sensibus vigere: unam superesse destillationem, quæ spiritum impediret: qua si levetur, continuò valentem fore. Ab eo discedens, dico me audisse, habere eum nescio quid abscessus in pectore, fatetur, rejectoque lecti stragulo mihi monstrat, sed nihil esse incommodi. contractum id è nodulis angustioris thoracis, quem novum induisset. Ad vesperam, cum ex familiæ disciplina duo è reliquo comitatu meo ei noctu ministraturi accessissent, jamque munda interula induere eum pararent, advertit ipse in nudato corpore maculam purpuream, quam ipsi morsum pulicis esse dicebant. Et vero plures & grandiores vidit. Non sunt, inquit, isti morsus publicum, sed mortis appropinquantis nuncii. Hoc ergo agamus. hinc totam noctem Deo precibus placando, piis colloquiis, & sacræ lectionis auditioni vacavit, donec mane summa cum miseric ordiæ divinæ fiducia vita excessit. Sic sum orbatus homine mihi charissimo, & rebus meis opportunissimo. Nec minus damni fecit in ejus morte respub. literaria. Multa viderat, didicerat, annotaverat, quæ in communem usum aliquando edere cogitabat: mors præclaros conatus interrupit. Ejus quidem fidelitas, & rerum usus tanti à me fiebat, ut si fuissent passa tempora & mihi reditus permissus fuisset, dubitaturus non fuerim eum loco meo Constantinopoli relinquere. Ab eo tempore mihi visi labores mei conduplicati; neque sane eo relicto totus mihi

rediisse videor. Pax sit piis boni viri manibus. Posui ei monumentum, quo debitum virtuti ejus testimonium dedi. Sed redeo ad meas insulas: in quibus trimestri spatio summa cum voluptate vixi. Mira ibi solitudo, nihil turbæ, neque strepitus: pauci Græci, apud quos divertebam. Turca nullus, cujus præsentiæ oblectationes meæ obnoxiæ essent. Nam Turcæ domestici, quibus assueveram, nihil interpellabant: licebat qua vellem libere discurrere, & circum illas insulas, quæ plures sunt, pro arbitrio vectari. Omnia ibi plena diversimodi generis plantis, stœchade; myrto aculeata, stœbe, aliisque pluribus. Mare vero omnis generis piscium copia refertum, quibus nunc hamo, nunc reti insidias faciebam. Erant ad mannm cymbæ cum piscatoribus Græcis, quibus utebar adjutoribus. Vbi plus amœnitatis, aut major capturæ spes ostendebatur, eo trajiciebam. Interdum aperto Marte juvabat rem gerere, in vadoque pellucidi maris, trepidantem cancrum, aut locustam fuscina confixum in navim rapere. Sed omnium non modo jucundissima, verumetiam fructuosissima erat venatio, quæ sagena, sive verriculo fiebat. Quia in parte piscatores judicavèrat plus esse piscium, ea circumjiciendum verriculum curabam: sic ut magnum spacium complecteretur primum ipso reti, deinde prælongis funibus, quibus expassæ in diversum alæ ad littus trahebantur. Ad illos funes nautæ crebros virides ramos implicuerant, quo terrore pisces coërcebantur, ne evadere, atque in altum refugere tentarent. Ita cum utrinque verriculi alæ ad terram adductæ essent, redacti in angustum pisces trepidare, neque tamen se deserere. Ad eas quisque artes, quibus erat à natura doctus, confugiebat. Alii audacia super

rete

rete saltu periculum effugiebant. Alii contra arena obruti, ne reti involverentur cavebant. Erant qui quamvis crassiore lino consertas maculas dentibus scindere niterentur, inprimis synodontes, armatum firmis dentibus genus, quibus ea industria, ut ubi tantum lini morsu contriverunt ut uni fugæ via pateat, qua primus erupit totum agmen consequatur, ut è magno numero nullus piscatori relinquatur. Id metuens (nam eram præmonitus) stabam in prora contum tenens, quo rictum corrodentium retondebam, non sine meorum risu. nec tamen obtinebam quin paucis exceptis reliqui (qui multi erant) fuga sibi consulerent. Adeo ne piscibus quidem in extremo discrimine solertia deest. Nobis tamen præter hos diversorum piscium multitudo remanebat, melanurorum, scorpionum, draconum, scarorum, julidum, & chanum, quos ibi vocant. quorum varietas cum aspectu delectabat oculos, tum nominum & naturarum cognitione valde mihi jucunda erat. Ergo sub noctem me recipiebam in castra cum puppi laureata, præda & captivis onusta. Postridie faciebam participes spoliorum, Hally Bassam, atque ejus magistrum curiæ, qui valde sibi munus acceptum præ se ferebant. Juvabat interdum pertica, ferroq; in eum usum parato, pinnas, quarum in illo mari tanto copia est. ut ibidem data opera consitæ videantur, fundo avulsas capere, in quibus Ciceroni, Plinio, & Athenæo celebratos pinnotheres, sive pinnophylaces, deprehendebam, fere binos, marem & fœminam, quandoque plures. Sed vereor ne cætera quæ de iis præfati scriptores memorant, non utique liquida fide constent, & speciosa magis sint quam satis explorata. Narrant illi, pinnam patulis hiulcam chonchis insidias face-

re

re minutis piſcibus, quos tamen illa utpote cæcum & brutum corpus, intra ſua præſidia verſari neſciret, niſi pinnophylacis morſu commonefieret: tum illam conchas contrahere piſciculoſque incluſos communem prædam cum pinnophylace partiri. Pinna qua figura ſit, notum ex Bellonio. Qua parte acutior eſt, ſic ſolo maris infigitur citroque capillamentorum ſive fibrarum, ita adhæret, ut plantata videri poſſit. Quibus quidem fibris alimentum ſugit. quæ res hinc ſatis liquet, quod ſua ſede convulſa inopia nutrimenti computreſcit, quemadmodum olera. & plantæ. Eam vero ſibi ſedem deligere pinnophylacem credibile eſt, ut firmum propugnaculum adverſus rapacium piſcium vim habeat. quietumque in concitatorum fluctuum agitatione portum, unde excurrat cum velit, & quo ſe tuto recipiat. Quæ tamen nolim ſic à me dicta accipi, ac ſi de tantorum virorũ auctoritate quicquam detractum velim. Sed ut iſta relinquam aliis curioſius inveſtiganda. Cymbam nos quidem pinnis facile complebamus, eſca vili & cujus tecito faſtidium capiat, carne perquam ſimili muſculorum. Sed piſcatores ſeponere pinnophyllaces monebant, ex quibus cum palato grato obſonium, tum ventriculo non inutile parabatur. Eſt inter reliquas parva inſula ab humano culto deſtituta, ad quam mera rerum monſtra & portenta, ſtellas, ſerras, uvas, hypocampos, prodigioſas cocleas, & ſphærulas quaſdam lutas pomis ſimiles, quæ nos aurantia vocamus, piſcium nihil præter unam rajam, & paſtinacam, ſævo aculeo metuendam, quo dum nos appeteret, ſe ipſam ſubinde transfigebat, capi à nobis memini. Cum tempeſtas à mari arcebat, in terra me oblectabam quærendis rarioribus, nobiſque inuſitatas

sitatis plantis. Interdum exercitationis caussa totam insulam pedibus circuibam, Franciscani ordinis monachum, bonum virum, juvenem quidem, sed obesum, & laboris insolentem, mecum trahens. Is à cœnobio Perensi comes mihi prodierat. cæterum incedentem me pleno gradu quo magis incalescerem, ægre consequebatur anhelans fermensque, & quid tanta festinatione esset opus, quem fugeremus aut persequeremur? An literas magnis de rebus ferendas suscepissemus, & pro tabellariis aut cursoribus operam locassemus? Nec finis, donec ei sudor in modum argolici clypei in tergo per vestimenta erumperet. Ubi in hospicium reditum erat, tum vero gemitibus & lamentis omnia complebat, abjiciebat se in lectum, actum de se clamitans: cur de nobis non male meritum sic perdere properaremus? vixque adduci poterat, quamvis crebro invitatus, ut veniret ad prandium. Invisebant nonnunquam à Constantinopoli Peraque amici, & ex Hally familia Germani quidam, de quibus cum quærerem an nondum etiam pestis remitteret? & quidem insigniter, respondebat unus. quot ergo quotidie jam decedunt? fere quingenti (ajebat) Tum ego, bone Deus hoccine est pestem remittere? Quot moriebantur cum sæviret maxime? ad mille, aut mille & ducentos. Turcas à peste securos, sed non tutos præstat opinio, quâ mortis tempus & genus, uniuscujusque fronti à Deo inscriptum persuasum habent. Si mori fatum sit, frustra declinari; sin contra, stulte metui. Itaque vestes & lintea in quibus pesti ægri animam exhalarunt, etiamnũ à mortifero sudore madentes contractant, imo iis perfricant faciem. Si Deo. inquiunt, visum ut sic moriar, fieri necesse est; sin minus, ob-

esse

esse non poterit. Sic contagioni latus patefit aditus', totæque interdum familiæ ad unum emoriuntur. Fui mihi dum in illis insulis vixi, notitia cum metrophane Metropolita, qui cœnobio in Chalci, una istarum insularum præst, viro humano & non indocto, concordiæ inter Latinam & Græcam Ecclesias percupido, præter consuetudinem reliquæ gentis, quæ fere nostræ religionis homines ut impuros & profanos aversatur. Adeo suus cuique mos placet. Cum jam ferme duobus mensibus in illa insula versatus essem. Bassarum quibusdam mea mora suspecta esse cœpit; cum Hally colloquuntur, & sibi commodius videri ajunt, si in urbem revocer. Quid enim si profugiam? esse mihi paratas (fugæ instrumenta) naves, nec reliqua, si velim, diffutura. Hally jubet eos sine cura esse, de mea fide nihil se dubitare. Chiausum nihilominus summittit, qui hæc nunciet. Is dissimulanter circumspectis omnibus, nulloque indicio comperto quod fugæ suspicionem faceret, revertitur, accepto à me munsculo, jussus renunciare Hally Bassæ, ne quid vereretur non commissurum me ut fides quam mihi habuisset, ei noceret. Ita in tertium mensem mea Rusticatio extenditur, ac tum demum cum est visum, nullo revocante in urbem me refero. A quo tempore magna mihi intercessit cum eo Bassa familiaritas, perpetuaq; de pace actio. Est natione Dalmata, quē quidē solū vidi in illa barbarie meo judicio minimè barbarū, natura miti & sedata, comē, acriter intelligentem, ingenio quantumvis magnarum rerum capaci multi usus cum domi tum militiæ. Nam est ætate provectior, & maximis muneribus semper præfuit. Statura ei prosera, plena, amabilis, cujusdam gravitatis facies. Summa erga dominum pieta-

te

re, ut cui nihil sit optatius quam ut & otium & quietem conficiat, quò tollerabilius ætatem, annis morbisque gravem ferat. Quæ Rustanus sævitia terrere & minis perficere studebat: hic operam dat ut comitate & æquitate, ac veluti per amicitiæ speciem consequatur. Rustanus semper tristis, semper atrox, sua dicta pro edictis haberi volebat. Non erat nescius ille quidem quid tempora, quid principis senectus postularet: sed metuebat, ne si quid indulgentius faceret, aut loqueretur, id avaritiæ caussa (cujus nomine vehementer domino suspectus erat) fecisse videretur. Ideo nihil de consueta importunitate mutabat, tametsi conglutinandæ pacis cupiens esset. Ergo ubi non respondebantur volentia, nihil audiebat, jubebat facessere nec unquam aliter quam velut ab irato discedebatur. Ac memini cum de rebus ad pacem pertinentibus cum eo egissem, quæ is tanquam indigna rejecisset, dixissetque, si nihil haberem aliud, abirem: confestim me surgere & redire domum, præfatum mihi liberum non esse quicquam, quam quod à domino mandatum non haberem, proponere. quod cum visus essem præter consuetudinem fecisse commotior, revocat meum interpretem, percunctatur ecquid iratus essem? quum negaret, Quid putas, inquit, si ab imperatore meo obtinuissem, de quo aliquando ipse mecum egit, putasne (inquam) ipsum servaturum fidem, & donum quod mihi pollicitus est representaturum? Cum interpres se nihil addubitare diceret quin quicquid promisissem, optima fide præstiturus essem. Tum Rustanus, Abi domum & quære ex eo. Erant mihi in numerato quinque millia ducatorum quos vocant, ea sex millia coronatorum conficiunt, quæ habebam in omnem

nem eventum proviſa, ſi quid incidiſſet, ut opus eſſent. illis onero meum interpretem, ac jubeo Ruſtano ita dicere, haberet hoc meæ fidei ſpecimen & ſolutionis initium: reliqua ſequutura ubi negotium ad exitum perductum eſſet (nam majorem etiam ſummam promiſeram) non eſſe meum fidem fallere. Vidit lætus eam pecuniam Ruſtanus, & attrectavit deinde reddidit interpreti. Ego inquiens, de ejus fide non dubito; ſed illud negotium plenum eſt magnæ difficultatis, & de quo nihil certi polliceri poſſum, neque adhuc ſcire quæ mens domini mei futura ſit. I, refer argentum oratori, ut mihi ſervet donec certum ſit quo ſe negotium det. Interea ejus arca ſit arca mea. Sic argentum illud tanquam poſtliminio ad me rediit. ipſum Ruſtanum aliquot poſt menſibus mors è medio ſuſtulit. Cognoſce nunc benignitatem optimi imperatoris, cum fruſtra diutius ea pecunia ſervari videretur, ipſo prius certiore facto, converto eam in unius anni expenſas (tantum eum in ſingulorum annorum ſumptus mihi expenſum ferebatur, cujus me poſtea pœnituit, cum cœpiſſem mecum cogitare, quot jam annos & quantis in laboribus periculiſque in ea legatione verſarer: viſus ſum mihi defuiſſe, qui cum recte factis præmia deberi ſcirem, & haberem optimum & liberaliſſimum dominum, meritorum cujuſque æquiſſimum æſtimatorem, uti occaſione, & eam pecuniam præter ſpem ſalvam veluti agnam è lupi faucibus ereptam, mihi petere non meminiſſem. Eſſe in aula multos, qui nequaquam paribus meritis majora præmia conſequuti eſſent. Viſum eſt hæc in mentem redigere Imperatori, erratum meum confiteri, & poſtulare ut reſtitueret integrum: & quod ego per imprudentem

prudentiam neglexiſſem, ipſe pro ſua benignitate corrigeret. Facile fuit obtinere cauſſam apud tam æquum judicem: de ſuo ærario totidem aureorum millia mihi reponi juſſit: cujus ſi beneficii tanta cum animi propentione dati memoriam apud me unquam intermori patiar, tum ego me indignum judicabo, qui lucem diutius aſpiciam Sed redeo unde digreſſus ſum. Diverſi Baſſarum Hally & Ruſtani mores, diſpar ingenium. Vita illi ſine ſordium ſuſpitione non metus, nec ejus comitas aut facilitas apud principem reprehenſionem haberet. At contra Ruſtanus, ſemper avarus, ſemper ſordidus, & qui primam utilitatis & pecuniæ rationem duceret. Quæ Ruſtanus colloquia mecum breviſſima habere ſolitus erat, Hally dabat operam, ut in plures horas extenderet, & multa humanitate condiret. Fremebant interea Turcæ, qui vel officii vel negotii cauſſa convenerant, quod propter meam præſentiam tamdiu à Baſſæ aditu prohiberentur. Me vero cruciabat fames, quod poſt meridiem ad eum arceſſebar, nec fere niſi jejunus accedebam, quo ſolutiore ingenio hominis acuti colloquio vacarem. In his ſermonibus erat in eo multus, ut quod uterque in rem domini ſui maxime judicaret, id ei ſuaderet. ſe quidem non ignorare, nulla re magis indigere dominum ſuum quam quiete, decurſa jam ætate victoriis & gloria ſatiatum. Nec à domini mei rationibus (quod ipſe ſcire poſſem) pacem & otium aliena. Si ſaluti & tranquillitati populorum ſuorum conſultum veller, non eſſe quieſcentem leonem denuo in arenam revocandum. Animos principum habere ſe ad modum ſpeculorum: ea eſſe natura vacua, ſed in illa migrare quarumcunque rerum imagines, quemadmodum objectæ eſſent

essent. Sic animos principum per se puros, earum rerum simulachris velut imprimi quæ objecta essent. proinde debere nos animis dominorum nostorum ea exhibere, quæ ipsorum rationibus maxime conducerent. Debere item immitari bonos coquos, qui non ad hujus vel illius palatum cibos condirent, sed consulerent in commune: sic nos in conditionibus constituendis ita deberi moderari, ut ea sequeremur, quæ utrique parti convenirent & tolerari possent. Hæc atque hujus generis plura non nimis insulse congerebat. Ubicunque vero res patiebatur, non alienam à me voluntatem præ se ferebat: ac si quid vicissim à me officiosius in eum profectum esset, id quam illustri gratia excipiebat. Evenerat per eos dies, ut cum ipse à Divano domum rediret, ventumque esset ad viæ flexum, ubi salutatos collegas dimittere consueverat, ut dum equum celerius circumagit, salutationique intentius toto corpore in equi cervicem propendet, magnitudinem ponderis equus haud dum firmiter fixis pedibus non ferret, sed una cum domino in terram præceps iret: quod cum est à me auditum, de negotium hominibus meis, ut eum invisant, & percunctentur, num hic casus aliquid offensæ attulisset? lætatus hoc officio, cum mihi gratias egisset, respondit se nulla parte læsum. neque esse mirandum, si miles ætate confectus, ad lapsum proclivis esset: Tum conversus ad eos, qui astabant, Dici, inquit non potest,, quanta benevolentia me prosequatur iste Christianus. Commemorabat mihi aliquando sibi opum, honoris ac dignitatis abunde contigisse: nihil aliud nunc studere, quam ut de multis bene merendo præclarum ad posteros nominis sui memoriam transmitteret

mitteret. Cum jam aliquandiu nos pacis negotium tenuisset, ac magna essem in expectatione desiderati eventus; casus intervenit, qui labefactare & pervertere totum posset. Græcus quidam natione, quem Despotæ nomine honestabant, præsidio Cæsariani militis, qui fines Hungariæ tutabatur, in Moldaviam irruperat, eamque Veyvoda exacto, à quo possidebatur, insederat. Quæ res Turcas graviter commovit, verentes ne tale principium longius procederet, tametsi sane illud per se haud exiguum videri poterat: sed prudentiæ suæ esse arbitrabantur curam tegere, neque malum indecora trepidatione maius facere. At Hally sibi non prætereundum existimavit, quin mecum communicaret, & quid sentirem cognosceret. fit mihi notum indicio cuiusdam ex ejus domestibis, paucis post horis ea de re me ad eum accersitum iri. Nonnihil (ut fatear) is nuncius animum meum momordit. Erat pene ad catastrophen perducta actio nostræ fabulæ, & tantum ultimus actus restare videbatur. eram in magno timore, ne hæc novitas omnia turbaret, nosque è conspectu portus in altum denuò referret. Vocor, ut eram præmonitus, ad Hally Bassam. Excipit me solita comitate. sermonem confert de variis rebus, præsertim ad pacis clausulam spectantibus: nullum in vultu neque in verbis novitatis signum, donec jam abire pararem, & surrexissem ei valedicturus: tum ac si demum Moldavia in memoriam veniisset jubet me residere, ac Mehercule, inquit, pene fui oblitus, quod tibi dictum volui (prorsus quemadmodum solemus, quum quid levius in memoriam redit.) Audistine tuos Germanos venisse in Moldaviam? In Moldaviam inquam? ego verò, minime; neque mihi fit verisimile. Nam

quid

quid Germanis cum Moldavia, tanto terrarum ſpatio diſiunctis? Atqui hoc verum eſt, inquit, & ita eſſe comperies. tum idem pluribus affirmare, & veniſſe certos nuncios, aſſerere cœpit. Denique quo minus dubites, inquit, curabimus, ut Germanum aliquem capiamus, quem ad te mittam, ut ex eo cognoſcas. Hic in eum ſermonem deflexi, ut dicerem, quicquid hujus eſſet, unum ſcire me, nihil factum juſſu neque mandato Imperatoris. Germanos gentem eſſe liberam, peregrinis ſtipendiis aſſuetum. ex iis forte dimiſſos aliquos, qui ducibus Cæſareis militaſſent, cui conducto milite eſſet opus, dediſſe nomen. Ac meo judico nihil erratum iri, ſi hujus motus cauſſa ad optimates ejus viciniæ Hungaros referretur, qui pertæſi quotidianarum injuriarum, quibus à Turcis onerarentur, de referenda gratia cogitaſſent. Ac ſi mihi licet dicere, quod ſentio, non video, inquam, quo nomine accuſari poſſint, ſi toties laceſſiti & veluti ſtimulis fodicati, ſe viros meminerunt, & ultum iri injurias voluerunt. Quid jam multis annis veſtri milites ſibi licere in Hungaria non putant? quod genus maleficii aut hoſtilitatis à noſtris abſtinuerunt? Hic quidem pacis ſpes præfertur, ſed illic nullum atrociſſimi belli exemplum prætermittitur. Ego ut captivus multos jam annos detineor, nec eſt qui apud nos certum ſciat, etiamnum vivam, an in vivis eſſe deſierim. Qui veſtras contumelias tulerunt tam diu, laude non reprehenſione dignos judico, ſi cum oblatum eſt vindictæ tempus, eo utantur. Eſto inquit Hally, utantur, ut valent, modo intra ipſius Hungariæ fines aut locos finitimos: ſed ut in ipſam Moldaviam invadant, paucorum dierum itinere Adrianopoli diſtantem, id vero tolerandum

randum non est. Tum ego, non debet à viris bello assuetis, & tractandorum armorum quam juris peritioribus delectus aut discrimen requiri. quæ prima oportunitas oblata est eam arripierunt: nec sibi cogitandum putarunt, ubi aut quatenus liceret, Sic ab eo discessi (ut mihi videbatur) minime irato: neque sane puncto difficiliorem sequentibus diebus in negotio pacis se præbuit. Dum hæc maxime agebamus, non levi affectus sum (sic enim interpretor) Christianissimi regis oratoris beneficio. Erat in principis ergastulis Constantinopoli homines tredecim, plerique juvenes, in quibus & nobiles aliquot: partim Germani, partim Belgæ, quos animadvertendus casus eo redegerat. Navim conscenderant Venetiis, qua quotannis interposita fide publica, qui sacram urbem Hierosolymorum visere cupiunt, in Syriam deportantur. Quosdam pietas, alios peregrinandi, & longinquas regiones visendi studium eo adduxerat: sed siniſtro auspicio. quo tempore terram attigerunt, milites Maltenses facta excensione illam oræ Phœniciæ partem populati fuerant, captosque complures homines abstraxerant. At Syri, quibus parentes, liberi, propinqui abducti fuerant, cum neque ultionis neque recuperandi suos alia via pateret, manus injiciunt in istos Venetorum hospites, criminantur eos esse de numero piratarum: aut reddendos sibi curarent suos, aut eandem servitutis conditionem ne recusarent. Nec profuit monstrasse diplomata dominii Veneti, fidem publicam, leges fœderum protulisse, quin vis plus quam jus valeret, & Constantinopolim constructi vinculis aveherentur. Multum oberat florens annis juventus, quæ ne Bassis quidem probabile

videri

videri patiebatur, eos sanctimoniæ causſa Hyerosolymam petere voluisse. quod Turcæ non nisi jam natu grandiores religionis ergo peregrinari solent. Quæ postquam ad me delata sunt, equidem movi omnem lapidem, quo eos ex illa miseria eriperem: sed nihil est à me profectum. Appellatus Bailus Venetus, quod per fidem ejus Repub. in eam calamitatem devenissent, non negabat æquum esse eis subveniri. sed quam facultatem dari in tanta immanitate insolentissimæ gentis? sublevabam interea illorum infortunium, quibus poteram solatiis. Quum omnes quadam die præter spem ad me ingrediuntur, aiunt se mihi dono missos ab oratore Christianissimi regis: ejus opera se libertatem consequutos. Sane sum lætatus, nec opinato eventu, magnasque oratori gratias agendas curavi. Fecerat hæc præfatus orator Lavinius (sic enim vocabo quem *Lavigne* vocant) ut cum dicessurus valediceret Suleimanno, manumque de more oscularetur, schedulam ei obtruderet, in qua homines illos, quibus religio calamitatis causſa fuisset, in gratiam regis sui libertate donari postulabat. Assensit Suleimannus, ac sine mora missos fieri jussit. Ego viatico adiutos, & in navim impositos Venetias, atque inde in patriam remisi. Fuerat hic Lavinius initio multis modis mihi molestus: ubicunque poterat meis actionibus intercedebat, nihilque omittebat, quo me immerentem apud Bassas in invidiam vocaret. Narrabat me regi Hispaniæ subjectum, ortum in Belgio, non minus ei regi servire quam ipsi imperatori. Eum per me de rebus omnibus, quæ Constantinopoli gererentur, certiorem fieri: habere homines ad eam rem pretio redemptos, qui

mihi etiam arcaniſſima quæque enunciarent, in quibus præcipuas partes teneres Ebrahimus, primarius Turcæ interpres, de quo dicam poſtea. Atque hæc quidem omnia antequam pax inter reges Hiſpanum & Gallum conveniſſet: pace facta, videbatur quæ ſiviſſe tempus ubi illa corrigeret. Erat Lavinius aſperæ cujuſdam & horidæ libertatis, qui nihil ſibi tacendum aut diſſimulandum putaret, quodcunque veniſſet in mentem, tametſi parum æquis auribus acciperentur. Ex quo fiebat, ut ab ejus congreſſu ipſemet Ruſtanus refugeret, cum cæteri propter ſermonis acerbitatem à Ruſtani colloquio abſtererentur. Mittebat Lavinius ſuos interpretes, ut ſibi aditum peterent, tergiverſabatur Ruſtanus, & jubebat per ipſos potius indicaret quid vellet, parceret operæ, nihilominus, ut ipſe abeſſet, poſſe perfici: ſed nequicquam, nam mox aderat, eaque expromebat quæ raro ſine offenſione à Ruſtano audiebantur; ut accidit cum aliquando non eam haberi domini ſui rationem, quæ debebat expoſtularet. Nam quid vos, inquiebat, arbitramini Budam, Strigonium, Albam Regiam, ac reliqua Hungariæ oppida fortaſſe veſtro Marte capta exiſtimatis? ſed fallimini, vos ea per nos habetis. nam niſi fuiſſent diſcordiæ & continua bella, quæ inter noſtros & Hiſpaniæ reges interceſſerunt, tantum abfuiſſet, ut illis potiri potueritis, ut per Carolum quintum vix Conſtantinopoli tuti futuri fueritis. Non tulit diutius Ruſtanus, ſed graviter excandeſcens: Quid mihi tuos, quid Hiſpaniæ reges narras? ea Domini mei potentia eſt, ut ſi omnes veſtri Chriſtiani principes arma conjungant, & ſimul ei bellum inferant, non flocci faciat, ac facilem victoriam de cunctis reportet.

Quo

Quo dicto in cubiculum iratus se recepit, facessere jusso oratore. Non possum hoc loco prætetire, quæ de gente accepi, quæ etiamnum Tauricam Chersonesum. quam sæpe audiveram sermone, moribus, ore denique ipso & corporis habitu, originem Germanicam referre. Itaque me diu cupiditas tenuit videndi ab ea gente aliquem, & si fieri posset inde eruendi aliquid quod ea lingua scriptum esset. sed hoc consequi non potui. Casus tamen utcunque desiderio meo satisfecit. Cum essent duo huc illinc diligati, qui nescio quas querelas nomine ejus gentis ad principem deferrent, meique interpretes in eos incidissent memores quid eis mandassem, si id usu veniret ad prandium illos ad me adduxerunt. Alter erat procerior, toto ore ingenuam quandam simplicitatem præ se ferens, ut Flander videretur aut Batavus: alter erat brevior, compactiore corpore, colore fusco, ortu & sermone Græcus, sed qui frequenti commercio non contemnendum ejus linguæ usum haberet. nam superior vicinitate & frequenti Græcorum consuetudine sic eorum sermonem imbiberat, ut popularis sui esset oblitus. interrogatus de natura & moribus illorum populorum, congruentia respondebat. Aiebat gentem esse bellicosam, quæ complures pagos hodieque incoleret. ex quibus Tartarorum regulas, cum expediret, octingentos, pedites sclopetarios scriberet, præcipuum suarum copiarum firmamentum: primarias eorum urbes, alteram *Mancup* vocari, alterum *Suarin*. Adhæc multa de Tartaris eorumque barberie: in quibus tamen singulari sapientia non paucos reperiri memorabat. Nam de rebus gravissimis interrogatos breviter atque opposite respondere. Ea de

causſa non temere dictitare Turcas, reliquas quidem nationes ſcriptam in libris habere ſapientiam; Tartaros libros ſuos devoraſſe, ideo in pectoribus eam habere reconditam; quam promant cum opus ſit, & veluti divina fundant oracula. Eoſdem eſſe perquam immundis moribus: ſi jurulentum aliquid apponatur in menſa, nulla requirere cochlearia, ſed jus volâ manus haurire. Enectorum equorum carnem devorare, nullo foco admotam. offas tantum ſub equeſtri ſella explicare, quibus equino calore tepefactis tanquam opipare conditis veſci. Gentis regulum è menſa argentea cibum capere. primum inferri ferculum caput equi, ut & poſtremum, quemadmodum, apud nos primo noviſſimoque loco honos habetur butyro. Nunc adſcribam pauca vocabula de multis, quæ Germanica reddebat. nam haud minus multorum plane diverſa à noſtris erat forma: ſive quod ejus linguæ natura id ferat, ſive quod eum fugiebat memoria, & peregrina cum vernaculis mutabat: omnibus vero dictionibus proponebat articulum *tho* aut *the*, noſtratia aut parum differentia hæc erant:

Broe. Panis.
Plut. Sanguis.
Stul. Sedes.
Hus. Domus.
Wingart. Vitis.
Reghen. Pluvia.
Bruder. Frater.
Schvveſter. Soror.
Alt. Senex.
Wintch. Ventus.
Sivir. Argentum.
Golx. Aurum.

Kor.

Kor. Triticum.
Salt. Sal.
Fiſch. Piſcis.
Hoef. Caput.
Thurn. Porta.
Stern. Stella.
Sune. Sol.
Mine. Luna.
Tag. Dies.
Oeghene. Oculi.
Bars. Barba.
Handa. Manus.
Boga. Arcus.
Miera. Formica.
Rinck ſive
Ringo. Annulus.
Brunna. Fons.
Waghen. Currus.
Apel. Pomum.
Schieten. Mittere ſagittam.
Schlipen. Dormire.
Kommen. Venire.
Singhen. Canere.
Lachen. Ridere.
Criten. Flere.
Geen. Ire.
Breen. Aſſare.
Schvvalch. Mors.

Knaven tag erat illi Bonus dies: *Knaven* bonum dicebat, & pleraque alia cum noſtra lingua non ſatis congruentia uſurpabat, ut

Iel. Vita ſive ſanitas.
Iltſch. Vivus ſive ſanus.
Iel uburt. Sit ſanum.
Marxus. Nuptiæ.
Schuos. Sponſa.

Baar. Puer.
Ael. Lapis.
Meuus. Caro.
Rintſh. Mons.
Fers. Vir.
Statz. Terra.
Ada. Ovum.
Ano. Gollina.
Tilch. Stultus.
Stap. Capra.
Gadeliha. Pulchrum.
Atochta. Malum.
Wichtgata. Album.
Mycha. Enſis.
Liſta. Parum.
Schedit. Lux.
Borrotſch. Voluntas.
Cadariou. Miles.
Kilemſchkop. ebibe calicem.
Tzo Wathata. tu feciſti.
Ies Varthata. Ille fecit.
Ieh malthata. Ego dico.

Juſsus ita numerabat. *Ita, tua, tria, fyder, fyuf, ſcis, ſevene,* prorſus, ut nos Flandri. Nam vos Brabanti, qui vos Germanicè loqui facitis, hic magnifice vos efferre, & nos ſoletis habere deriſui, ac ſi iſtam vocem pronunciemus rancidius, quam vos *Seven* effertis. Proſequebatur deinde, *Athenyne, thiine, t hiinita, thunetua, thunetria, &c.* Viginti dicebat *ſtega,* triginta *treithyen,* quadraginta *furdethyen,* centum *ſada, hazer* mille. Quinetiam cantilenam ejus linguæ recitabat cujus initium erat hujuſmodi:

Wara vvara ingdolou:
Scu te gira Galizu.
Hœmiſclep dorbiza ea.

Hi

Hi Gothi an Saxones ſint, non poſſum dijudicare: Si Saxones, arbitror eo deductos tempore Caroli Magni, qui eam gentem per varias orbis terrarum regiones diſſipavit. Cui rei teſtimonio ſunt urbes Tranſilvaniæ hodieq; Saxonibus incolis habitatæ. Atque ex iis ferocioſſimos fortaſſe longius etiam ſummoveri placuit in Tauricam uſque Cherſoneſum, ubi quidem inter hoſtes religionem adhuc retinent Chriſtianam. Quod ſi Gothi ſunt, arbitror jam olim eas ſibi ſedes tenuiſſe Getis proximas. Nec erraturum fortaſſe, qui ſentiat majorem partim ejus intervalli, quod eſt inter Gothiam inſulam & Procopiam, quam hodie vacant, à Gothis aliquando inſeſſam. Hinc diverſa Gothorum, Weſtgothorum & Oſtrogothorum nomina: hinc peregratus orbis victoriis, & ſeminarium ingens barbaricæ multitudinis. Habes quæ de Taurica Cherſoneſo ex his Procopienſibus didici. Audi nunc quæ ex quodam errone Turca de urbe, & regione Cathaia. Erat is è ſectæ genere, cui pietas eſt per longinquas regiones vagari, & in altiſſimis montibus in locis deſertis & vaſtis Deum venerari. percurrerat pæne totum orientem, ubi ſibi cognitos Luſitanos commemorabat: incenſus deinde cupiditate viſendæ urbis & regni Cathaini, adjunxit ſe proficiſcentibus eo mercatoribus. Nam ſolent illi magno numero convenire, atque ita catervatim regni illius fines petere. Paucis iter illud pervium eſt, aut certe parum tutum. Infidæ multæ peregrinantibus gentes ſunt in medio, quarũ aggreſſuræ ſingulis momentis timendæ ſunt. Ubi eſt à Perſarum finibus aliquanto longius diſceſſum occurrunt civitates Sammercanda, Borchara, Tuſcan, cæteraque loca à Demerlanis ſucceſſoribus habitata. Hinc magnæ ſo-

litudines aut regiones sequuntur, modo feris & inhospitalibus, modo à mansuetioribus populis cultæ: sed passim victus & annonæ penuria infesta est. idcirco unumquemq; provisi sibi habere cibaria, & quæ vitæ usus requirat, quibus rebus magno numero cameli onerantur. talem numerosæ multitudinis comitatum *Caravvanam* vocant. Postquam multorum mensium labore ad angustias ac veluti claustra regni Cathaini perventum est (nam bona pars ditionis regis Cathay mediterranea est, asperis montibus præruptisque saxis circundata, nec potest intrari nisi per certas fauces, quæ regis illius præsidiis tenentur) ibi mercatores interrogantur: Quid ferant, unde veniant & quot sint numero? Quæ regii præsidiarii cognita interdiu fumo, noctu per ignes proximæ speculæ tradunt, illo vicissim sequenti, ac sic deinceps donec aliquot horarum, quod plurimum dierum spacio fieri non posset, nuncius Cathaium ad regem de mercatorum aduentu transferatur. qui quidem pari celeritate eademque ratione quid sibi placeat respondet, admitti omnes, an partim excludi aut differri velit. Admissi per dispositas justis spaciis mansiones sub certis ducibus incedunt: ubi quæ sunt ad victum & cultum necessaria justo pretio subministrantur, donec ipsum Cathaium attingant. hic imprimis quid singuli portent profitentur, dein regem honoris causa, quo visum est munere impertiunt. Cui nihilominus fas est æqua æstimatione facta, merces quas velit emere. Reliquas pro arbitrio vendunt, aut permutant, die ad reditum præstituta, intra quam negotii gerendi contrahendique potestas fit. Nam Cathainis peregrinorum hominum diuturnius contubernium non placet, ne quid labis

bis peregrinitatis contagione patrii mores contrahant. Sic illi per eadem hospicia quemadmodum venerant, comiter dimittuntur. Gentem illam magnæ esse solertiæ, idem peregrinator memorabat, humaniterq; & politice vivere religionem habere propriam a Christiana, à Juca, à Mahumetana discretam Judaicæ tamen exceptis ceremoniis propriorem. Jam à multis retro seculis artem typographicam fuisse apud eos in usu. Quod satis testarentur ibidem typis excusi libelli. Quam ad rem uterentur chartæ ex involucris exuviisque bombycum confecta, adeo tenui, ut in altera tantum parte typorum impressionem sustineat, pars altera vacua relinqueretur. Frequentes in ea urbe esse tabernas odori illius aromatis, quod *muscum* vocant. eam esse saniem bestiolæ cujusdam hœdi magnitudine. nulli merci maius apud eos pretium, quam leoni: hanc feram regionibus illis inusitatam summæ esse admirationi. neque quicquam pluris rependi. Atque hæc de regno Cathaino ex illius erronis ore, quorum penes auctorem fides sit. nam sane fieri potuit, ut cum ego de Cathaio quærerem, mihi de alia aliqua vicina regione retulerit, & juxta proverbium, cum falcem postularem, mihi de ligone responderit. Quæ cum ex eo excepissem, visum est percunctari, nunquid alicunde retulisset vel radicis vel fructus vel lapilli rarioris? Nihil admodum, inquit, nisi quod radiculam hanc in usum meum circumfero, cujus minima particula mansa & devorata, cum me languor aut frigus occupavit, excitor & incalesco. & cum dicto prægustatam mihi donat, subinde admonens ea parcissime utendum gustavit eam meus medicus Gulielmus, tum etiam vivus, qui ex fervore, quo illi os

inflammatum est, verum napellum esse judicavit. Sequitur hoc loco, ut alterius peregrinatoris & monachi Turcici tibi miraculum narrem. Is incedebat cum tunica, & pallio albo, ad pedes usque demisso, cæsarie promissa, quales fere nostri pictores depingunt Apostolos. Sub facie liberali latebat impostor animus, sed Turcæ ut miraculis insignem venerabantur. Iidem interpretes meos impulerunt, ut ad me adducerent, ut viderem. Sumpsit una mecum prandium sobrie & modeste. Inde descendit in aream domus, pauloque post revertit, sublato vasti ponderis saxo quo sibi nudatum pectus aliquot ictus inflixit. quibus pæne bos percelli potuisset. hinc manum injecit ferro, quod in foculo ad eum usum accenso candens factum erat. Id ori insertum omnem in partem aliquandiu versat, non sine salivæ stridore. Erat ferrum illud oblongum, sed altero capite crassius, & quadragulum, quod ore recepit, vi ignis sic ferveſactum ut à candente carbone nihil differret. Quo facto ferramentum in ignem recondit, meque salutato & accepto munere discedit. Admirabantur qui circumstabant mei domestici præter unum, qui se plus reliquis intelligere arbitrabatur: Et quid vos, inquit, fatui ista miramini? An fieri hæc revera creditis? præstigiæ sunt istæ & mera oculorum ludibria. ac simul ferrum, qua parte alto è foculo extabat aripit probaturus sine noxa contrectari. Sed non citius manum comprehenderat, quam rejecit, vola & digitis sic aduſtis, ut pluribus diebus persanari ægre potuerit: quem casum magnus sociorum risus consequutus est, rogitantium, Iamne illud calere, an nondum etiam crederet? invitantiumque ut denuo contingeret. Idem Turca inter prandium commemorabat

memorabat, ſuum cœnobiarcham, vitæ ſanctimonia & miraculis clarum, conſueviſſe in lacum qui eſſet cœnobio propinquus, extendere pallium in eoque ſedentem, qua viſum eſſet ſuaviter circumvectari. Eundem excoriato exenteratoq; verveci nudum allegari ſolitum ut priores pedes brachiis, poſteriores cruribus ejus aptarentur: ita conjectum in ferventem furnum manere, donec percocto vervece ut iucunde edi poſſet, illæſus ipſe promi ſe juberet. Non credo, inquies, nec ego. audita modo refero. ſed de ferramento candente quod vidi reſtor. Nec tamen ea res tantam habet admirationem, haud dubie dum in area ſaxum ſe quærere ſimulabat, aliquo medicamento ſibi os adverſus ignis violentiam præmunierat, qualia reperiri non ignoras. Nam memini me in foro Veneto videre circulatorem, plumbum, igne liquefactum contrectare, eoque ſine offenſa tanquam manus lavare. Jam a paucis ante mortem Ruſtani diebus me ſolutiore cuſtodia habitum ſupra attigi. Erat id mihi valde gratum propter libertatem acceſſus externorum longinquorumque hominum, ex quibus multa cognoſcebam quæ me delectarent, ſed ea voluptas non minore incommodo rependebatur, quod data liberioris egreſſus facultate mei abuterentur, & ſæpe ſine cuſtodia Gianizarorum per urbem vagarentur. unde rixæ cum Turcis & turbæ mihi perquam moleſtæ, è quarum multis, ut nihil ignores, volo tibi unam referre, ut de reliquis conjecturam facias. Duo mei famuli trajecerunt in Peram ſine Gianizaris, vel quod illi domo aberant, vel quod iſti non eſſe opus judicabant. Alter mihi pro Pharmacopœo dabat operam, alter cellæ vinariæ præerat. Confectis in Pera rebus quarum gratia eo ierant, cymbâ qua

Conſtan-

Constantinopolim remearent, conduxerant: sed vix confederant, cum puer adest ab ejus loci judice, quem illi *Caddy* vocant, qui eos exire juberet, & domino suo cymba cedere. mei recusant, & circumcirca satis esse naviculam ostendunt, quibus Caddy trajiciat. hanc sibi jam conductam. pergit nihilominus, & vi conatur expellere. mei renituntur, nec parcunt operæ. res pugnis geritur. quæ cum jam fierent in oculis adventantis judicis, temperare sibi non potuit quin acurreret, ut puero dilecto (quo ad nefandos usus abuti dicebatur) opitularetur. sed dum per gradus per quos ad mare descenditur, glacie lubricos (nam hyems erat) incautus ruit lapsantibus vestigiis, in mare præceps ibat (jamq; pedes aqua summa tingebantur) nisi comites ei subvenissent. fit clamor, & Turcarum tota Pera concursus. homines Christianos vim & manus iuluisse judici, parumque abfuisse quin mari obruerent. comprehendunt meos, magnoque tumultu ad prætorem sive judicem rerum capitalium trahunt. Expediunt fustes, pedes asseribus inseruntur, quibus sublati in soleis (ut mos est) verberentur: Interitu meorũ alter, qui Italus erat, ira percitus clamare non desinebat, *Vour chiopeck larvour*, verberate canes, verberate. Fit nobis injuria. nihil commeriti sumus, servi sumus, oratoris Cæsaris. vos pœnas pendetis Imperatori vestro, ubi resciverit. Atque hæc quidem non perfecte sermone Turcico. sed tamen ut satis intelligi posset. Fuit tum in illo tumultu Turcarum non nemo, qui istius confidentiam admiratus exclamaret, Hunccine vos hominem existimatis sic deformatum altero oculo (nam luscus erat) non excredite mihi, sed est de genere coelitum cacodæmonum. unus

Wey-

Weyvoda (hic est eorum lingua prætor) & ipse tanta animi præsentia commotus, ne plus minusve faceret quàm par esset, optimum statuit intactos ad Rustanum mittere. itur eo magna comitante caterva falsorum testium, ita comparatorum, ut suis testimoniis insontes opprimerent. Turcæ magnæ pietatis loco ducunt dicere falsum testimonium adversus hominem Christianum: non expectant ut rogentur, injussi adsunt, seque ultro ingerunt, ut tum accidit. Ergo uno ore clamare omnes, latrones illos pessimum ausos esse facinus, judicem pugnis concidisse. Quod nisi obviam itum esset, etiam mari mersuros fuisse. Mei negare, & se immerito accusari dicere, tum se famulos meos profiteri. Mox suboluit Rustano, genus esse calumniæ: ut tamen iram concitatæ multitudinis declinaret, vultu ad severitatem composito interloquitur, sibi eos pœnas daturos, moxque in carcerem duci jubet. Carcer eis adversus vim furentis turbæ pro arce erat. audit eorum testimonia, quibus fidem habendam putabat: comperit meos esse extra noxam, judicem esse in culpa. Ego per interpretes famulos meos repeto. Rustanus rem dignam existimabat, de qua referretur ad concilium. vereri ne si Princeps resciscceret, suspicaretur nummorum interventu judicis injuriam neglectam. Erat mihi jam tum nonnullus usus cum Hally Bassa: ad eum per eosdem interpretes graviter expostulo, finem injuriarum fieri peto. suscipit caussam Hally, & me securi animi esse jubet, hanc molestiam citò finem habituram. Rustanus se non expediebat: metuebat semper ne pecuniæ caussa mihi æquior fuisse videretur: ob id ita componi negotium maluisset, ut ne qua judici querela relinqueretur. nunciat mihi videri

deri sibi consultissimum, ut judicem illum placem objecto aureorum aliquot bolo, viginti quinque ducatos ad eam rem suffecturos. Ego me gratiam ei habere de consilio, respondeo. Si jubeat me quinquaginta ducatos sua gratia in mare abjicere, nihil cunctaturum: sed non hic pecuniam agi, sed exemplum. nam si ita instituatur, ut quicunque meos homines ostendisset, argentum ultro acciperet, nullam pecuniam suffecturam. ut cuique vestis atteri aut lacerari cœpisset, de inferenda meis injuria cogitaturum, ut qui sciret eo nomine sibi paratum pretium, habiturumque à me qui novam compararet. quo nihil indignius, neque à rationibus meis alienius esse posset. Sic illi, maxime procurante Hally Bassa, mihi remittuntur. At Bailus Venetus ubi audivit, interpretem unum de meis arcessit, obsecrat ut sibi dicat quantum huic turbæ sedandæ impendissem. iste, nullum obolum, respondit. tum Bailus, si nostrum, inquit, negotium fuisset, tibi adjuro vix ducentis ducatis defuncti fuissemus. Nulli pluris constitit quàm bono judici, qui propterea fuit officio motus, quod sic ipsorum mores ferunt, ut turpe & flagitiosum habeatur, vapulare à Christiano, quemadmodum de se fassus erat. Quid scire vis de primariis Hispanorum ducibus, quos à me carcere liberatos, fama istic percrebuisse dicis: hi fuerunt. Sandæus militaribus copiis præfectus, & duarum classim, Neapolitaniæ, & Siculæ præfecti, Leyva & Requesenæus. Quod quemadmodum actum sit, paucis expediam. Angebat nonnihil Turcas facta inter Hispaniæ & Galliæ Reges pax, rebus eorum parum opportuna, præsertim cum non invenirent quod initio crediderant. Et persuasum eis fuerat, se adscriptos inter primos, ut

ejusdem

ejuſdem pacis commodis fruerentur. Itaque præteriti, tanquam mala relata gratia, diſſimulabant quidem, ſed locum quærebant ubi alienioris animi ſignificationem aliquam darent. Suleimannus ad Regem Galliæ ſcripſerat, eam ſibi pacem probari, veruntamen recordaretur, neque veteres amicos facile hoſtes fieri, neque veteres hoſtes amicos. Ea Turcarum offenſio non parum actioni meæ ſuffragata eſt. Huc acceſſit benevolus Hally Baſſæ erga me animus, tum magnum in Ebrahimo gratiæ referendæ ſtudium. Meminiſti me ſupra adſcribere, cum me Lavinius criminaretur, eodem tempore ſolitum & Ebrahimum accuſare, tanquam mihi ejus indicio quæcunque Turcarum conſilia paterent. Erat hic Ebrahimus primarius Turcarum principis *Dragomanus* (ſic illi interpretem vocant) natione Polonus, propterea Lavinio inviſior, quod in odio capitali, quod cum Codognato ſuperiore ejuſdem regis oratore exercuerat, Codognato impenſius faviſſe videbatur. Longum eſſet illa percenſere, neque valde ad rem faciunt. Memor hujus Lavinius, infeſtiſſimo ſemper fuit in Ebrahimum animo: quodcunque tempus dabatur, eum tertio quoque verbo apud Baſſas exagitabat: neque ante deſtitit, quam dignitatis gradu dejectum ad privatum ſtatum redigit. Parum ea res me tangebat. nam mihi nulla cum Ebrahimo gratia, ſed potius ſimultas quædam, quod eum ſæpe rebus noſtris adverſarium expertus fueram. Dolebam tamen ita in vulgus efferri, eum mea cauſſa officio motum. Cum ſic viveret Ebrahimus dignitatis expers; non expers ægritudinis, ut ſolent qui quod fuerunt, eſſe deſierunt; quod poteram, meis officiis caſus ejus ſuſtentabam, &, cum de pace actio mea, tum ut

cum

cum maxime caleret, frequenter eum ad meos interpretes adjungebam, eoque utebar ad Bassas internuncio. Quod Hally pro sua in me benevolentia, & quod Ebrahimum per injuriam pulsum non ignorabat, facile patiebatur, Denique perficio ut in pristinum honoris locum restituatur. quæ res mihi ejus animum valde adjunxit, sic ut nihil ei esset antiquius, quàm ut se memorem & gratum probaret. summa cum fide causam meam ubique agebat, neque quicquam prætermittebat, quod ad gratiam omnium mihi conciliandam pertineret. Quod ei proclivius erat in illa novæ pacis offensione, propter quam subirati, (ut dixi) Gallis Turcæ, cum venisset Constantinopolim vir nobilis Salviatus, ut regis Christianissimi nomine Sandæo libertatem conficeret, nihil obtinuit, neque ullus eius incœpti fructus fuit. Magna in expectatione istius legationis Sandæus vixerat, omni undecunque (si ea falleret) spe præcisa: magnos sumptus fecerat comparandis muneribus, quibus Bassis Principiq; ipsi ex consuetudine honos haberetur. quæ omnia (ne sim longus) digresso jam Salviato ad nihilum redierant. Qua re territi, quos illic famulos procuratores suos Sandæus habebat, ad me veniunt: fatentur se non audere tam inexpectati eventus eum certiorem facere: totum ab hujus legationis spe pependisse, qua nunc deceptus vereri ne ferre posset: atque ei desperatio morbum, morbus mortem adferret: rogare ut meam operam interponerem, atque ipse ei scriberem. Ego recusabam, quod mihi non ratio, non oratio supperebat, qua hominem tam graviter afflictum consolarer. Erat Sandæus ingentis spiritus vir, spei abundans, timoris inscius. Sed qui sunt hujusmodi, ut omnia quæ optent sperent postquam cuncta retro ferri & contra animi

mi ſententiam evenire experiuntur, ita plerumque animis concidunt, ut non ſit facile ad æquitatem eos erigere. Dum nobis negotium ad hunc ſilicem hæret, commodum offert ſe interpres Ebrahimus; qui cum in vario ſermone injecta eſſet mentio captivorum illorum Hiſpanorum, eo evaſit ut aperte demonſtraret, ſi eos petiviſsem non mihi negatum iri. Scire ſe quid diceret, habere ex bono auctore. Solitus quidem erat antea quædam in medium obſcurius jacere, quibus mihi ſpem faceret illorum ſi adniterer liberandorum, ſed parum me movebat. quid enim pacis etiamnum incertus tentare ea auderem? etiam illud me retinebat, ne dum importune inſtarem, cum ipſe nihil proficerem, tum Salviati actionem fortè impedirem. Sed cum poſt ejus diſceſſum ſic affirmantem viderem Ebrahimum, hominem mihi obſtrictum: non viſum eſt eſſe de nihilo, & cœpi aliquantum verbis ejus aures præbere, identidem tamen admonens, videret quo impelleret. ne hominem amicum præberet deridendum. quod mihi haud dubie eventurum eſſet, ſi rem fruſtra ſuſcepiſſem communi opinione factu incredibilem, & præjudicio jam damnatam. perſeverabat nihilominus, & me vetabat dubitare. Experirer ſuo periculo, ſe rem certam adferre. Hujus auctoritate adductus ſcribo ad Sandæum, quò evaſiſſet Salviati actio, tamen deſperare prohibeo. Nam aut nihil unquam credendum homini Turcæ, aut multum ſpei ſupereſſe. deinde quæ ex Ebrahimo cognorim, memoro. His jactis initiis conſulo tamen amicos, quos magnum rerum Turcicarum uſum habere ſciebam: illi reſpondent, velle ſe mihi quæ agerem proſpere evenire. Sed non videre, qua ratione impetrare poſſem, quod modo regis amici veteris oratori denegatum fuiſſet,

set, præsertim ambiguo etiamnum pacificationis nostræ exitu: omnibus omnis memoriæ exemplis satis constare, quàm essent magnis captivis reseratu difficiles carceris apud Turcas fores. Scribo nihilominus ad Cæsarem, & quæ mihi spes facta sit ostendo, ut eos captivos à Suleimanno petat, oro atque exoro. Ut rem conferam in pauca, magnis muneribus Bassis promissis, si se lubentes & propitios illorum liberationi præbuissent. Pridie diei Laurentii exempti carcere omnes in hospitium meum traducuntur. odio plus quam fraterno dissidebant Sandæus & Leyva, cui ob eam caussam necesse fuit mensam separatim sterni, quo cum cænavit Requesenæus. Sandæus eidem mensæ mecum accubuit. Cœnantibus intervenit ab eo, qui Regis Galliarum oratoris vicem exhibebat, dispensator, nescio quid literularum quæ in ejus manus inciderant, ad me ferens. Quærit ex eo Sandæus num se nosset? Arbitror, inquit, te esse Don Alvarum. sum vero, inquit, nunciabis domino tuo multam salutem, eique dices, quemadmodum hic me videris hujus oratoris opera liberum. Tum ille, video sane, ita tamen, ut vix credam oculis meis. Hoc ideo à Sandæo fiebat quod is oratoris vicarius, vir alioqui bonus, unus fiebat ex iis quibus persuaderi non poterat, eos captivos in gratiam Imperatoris Ferdinandi Suleimannum dimissurum. Ceterum antequam è carcere promerentur, fuerat in hanc sententiam consultus Mufti Turcicorum sacrorum antistes, num fas esset cum paucis Christianis plures captivos Turcas permutare? nam haud pauciores quam quadraginta Turcas captivos, sed communes & proletarios contra redditum iri promiseram. Mufti respondit, duorum auctorum super ea re diversas extare sententias. uni per-

permutationem probari, alteri non placere: sed itum est in sententiam commodiorem. Restat ut de supremo Baiazetis casu tibi narrem, nam id quoque te expectare scio. Quemadmodnm à Sagthama in custodiam datus fuerit, opinor te meminisse, Ex eo plures ultro citroque nuncii commearunt, etiam oratoris titulo quidam à Persa ad Turcam cum muneribus, cujusmodi solent esse exquisito opere elaborata tentoria, tapetes Assyrii & Persici, & sacra eorum mysteria comprehendens liber Alcoranus, & in his aliquando inusitati generis animantes, qualem memini dictum fuisse allatam formicam Indicam mediocris canis magnitudine, mordacem admodum & sævam. Adventus causa obtrendebatur Baiazetis cum patre reconciliatio, iisque magnus habebatur honos, & à Bassis magnificis epulis accipiebantur, quarum Hally me quandoque participem esse voluit, missis ingentibus octo dulciariorum murrhinis patinis. Romanis usitatum fuit de mensa ad amicos mittere, quem morem etiamnum hodie retinent Hispani. Turcæ è mensis opiparis sibi potius auferunt, sed tamen non ferè nisi familiares, & quibus uxores & liberi sunt domi. Plena sudaria frustorum esculentorum è mensa mea domum plerumque asportabant, nec verebantur vestem sericeam guttis jurulentis oblinere, quamvis apud eos primo loco commendetur mundities. Hujus rei mentio mihi reduxit in memoriam casum jocularem, quem non me pigebit tibi referre. Ridebis, sat scio, quemadmodum & ego affatim risi: nec risum contemperis homini maxime proprium, & quo nulla re melius humanæ miseriæ condiuntur. Tum Catones non sumus. Hic mos est Bassis, ut paucis ante jejunia sua, quæ nos quadragesimam

gesimam vocamus, diebus, prandium omnibus qui venire volunt præbeant, excluditur nemo. Sed tamen ferè accedunt vicini, clientes noti, & amici. stratum est humi super taperem oblongum scorteum mantile, quod densatis ferculis oneratur. Ea mensa multorum hominum capax est. Bassa ipse in summo assidet, circumque eum qui sunt honoratiores, longa de in serie minorum gentium convivæ, donec nulli amplius supersit locus, plures adstant, non enim mensa simul omnes capit, sed ubi qui consederunt, famem depulerunt, quod fit raptim, magna modestia & silentio, ac potione mellis aut saccari aqua diluti prandium finiverunt, salutato convivii patre discedunt. in quorum locum succedunt ex circumstantibus alii, ac deinceps alii, donec brevi spatio multi ex eadem mensa saturentur, famulis interea haud segnibus novos discos & patinas detersis prioribus, succenturiare. Cum hujusmodi convivium haberet domi suæ Bassa, adventorem forte Singiaccum invitarat ut sibi accumberet. secundum ab isto locum tenebat quidam senex ex eo genere quos *Haggias* Turcæ vocant, hoc est, literatos. hic cum ante se magnam diversorum ciborum congeriem videret, velletque jam satur portare aliquid ad uxorem, cœpit quærere sudarium quo reponeret: sed illud domi reliquerat. non tamen sibi deest: capit ut bonus gladiator consilium in arena. dependentem à tergo manicam arripit non suam, (ut putabat) sed Singiacci. hanc infercit quantum potest, eamque postremò bono panis frustro, ne quid elabatur, veluti obsignat. nam remitteret paulisper. vale dicturus hospiti necesse erat, quod eorum ita ferat consuetudo, ut manibus ad pectus vel ad femora applicatis suos optimates saluter. quo

functus

functus officio denuo manicam sed suam colligit, quam ubi est triclinio egressus, sedulo pertentans inanem offendit, obstupescit. Sed quid faceret? tristis domum redit. Surgit haud multo post & ipse Singiaccus, Bassamque veneratus abibat, ignarus oneris quod pendebat à tergo. sed mox ad singulos egressus manica quod continebat patere cœpit. longam ducebat à tergo Singiaccus reliquiarum lineam. ridere omnes. respicit ac videt non sine rubore offas vomentem manicam. Tum Bassa (conjectura assequutus id quod erat) eum revocat, ipsum residere & Hoggiam illum accersiri jubet: ad quem conversus, Cum (inquit) sis & mihi vicinus & vetus amicus, & domi habeas uxorem & liberos, nec tibi defuerit quod a mensa mea ad eos portares, miror cur id facere neglexeris. Tum Hoggia, Nulla domine mea culpa id factum, sed genio irato meo. nam cum imprudens sudarium domi reliquissem, in manicam meam recondideram prandii reliquias, quam tamen triclinio egressus nescio quo casu vacuam offendi. Sic abstersus Singiacco pudor, literatorisque presbyteri frustratio & casus novitas majorem etiam risus materiam circumstantibus dedit. Sed redeo in viam. erant in angusto Baiazeti spes, inclemente patre vivum ad supplicium poscente, dedere tergiversante & veluti patrocinante Persa, sed parum certa fide. Suleimannus tamen modo blandius agebat cum Persa fœderis admonens, quo convenerat eosdem utrique hostes & amicos haberent, modo minis & belli denunciatione territabat, nisi Baiazetes sibi traderetur: loca omnia suæ ditionis finibus Persæ proxima, firmis præsidiis munierat. Mesopotamiam totamque Euphratis ripam frequente milite compleverat,

[præ-

præsertim prætoriano, & quo usus fuerat adversus Baiazetem. quibus copiis Mahemet Bassa Visiriorum tertius & Græciæ Bellerbegus præerant. Nam Selimus maturè domum redierat. Sed & ii populi quos Georgianos vocant, qui inter mare Hircanum & Pontum incolunt, vicinique sunt Mediæ, ut in Persam arma caperent, assiduis nunciis solicitabantur. Illi non insultè respondebant: Sibi non esse tantam suarum virium fiduciam, ut per se Sagthamam lacesse auderent: veniret modo cum exercitu Suleimannus: ubi præsentem vidissent, scituros quid se facere oportet. neque tunc consilium neque animum sibi defuturum. Hircani ex alia parte quinque supersunt ex Demirlanis posteris: invitabantur ut socia arma contra communem hostem jungerent. Ipsa Suleimannus iturum se Haleppum, (ea est Syriæ urbs ad ripam Euphratis sita) atque inde Persæ bellum facturum credi volebat. Nec erat extra metum Persa, quid bello Suleimannus valeret, sæpius expertus. Sed Turcam sævientem aversa militum voluntas alienusque ab eo bello animus facile continebant. Detractabant impiam militiam, à signisque dilabebantur. Quorum magnus numerus præsertim equitum, ducum injussu Constantinopolim reversus, confestimque in castra redire jussus, paruerant illi quidem, sed ita ut restatum relinquerent, quomodo animati futuri essent, si quis casus aut si qua mutatio incidisset. Ea de caussa postquam Suleimanno satis perspicuum fuit, à Persa vivum Baiazetem non obtineri (ulcionem tam graviter offensi hominis si qua elaberetur excusante) sequendum sibi quod erat proximum, ut illic necaretur judicavit: quod sperabat impetrari posse. eo magis quod ita ei postremo Persa scripserat, se ejus rationem

tionem valde mirari, quod tantam rem tam negligenter ageret: oratores se ad eum aliquoties, illum sibi contra nihil præter literas & nuntios missitasse. Non arbitrari id negotium ei esse cordi. Quin viros optimates præcipuæ auctoritatis ac nominis legaret, cum quibus agi & transigi pro negotii magnitudine posset. Non sibi nihil eum debere, magno sibi detrimento fuisse Baiazetis adventum, magnos sumptus factos antequam in potestatem redigeretur. horum rationem haberi æquum esse. Sensit Suleimannus pecuniam quæri. Itaque potius quam non necessario bello aliena ætate se involveret, statuit Bassarum sequi consilium, & cum Persa pecunia citius quam armis pugnare. Primum deligitur in Persiam orator Hassan Aga unus è cubiculariorum strincipibus. Cui comes ire jubetur ætatis honore conspicuus Basa Marassiensis. Discedunt illi cum ampliſſimis mandatis media fere hyeme, summa celeritate: itinere difficilimo proficiscuntur, pluribus suorum desideratis: demum Casbinum ad Persam perveniunt. Imprimis postulant videndi Baiazetis sibi fieri potestatem. inveniunt situ & pædore carceris deformarum, & barba capilloque adeo promissis, ut nisi raderetur satis agnosci non posset. Tum demum genuina ejus vultus signa Hassan recognovit. fuerat is à primis annis pueritiæ cum eo educatus: eaque de causa potissimum id munus Suleiman. ei delegaverat. Convenit, ut quod Persa detrimenti se feciſſe diceret, ei reficeretur, & munus præterea acciperet tanto negotio dignum. tum demum Suleimanno facultas esset interficiendi Baiazetis. Recurrit Hassan, & legationem domino suo renunciat. Munus simul cum impensis quæ postulabantur adornatur, quod præsidio Turci-

co

co ad ditionis Persicæ initium deducitur. Adest iterum Hassan infortunati Baiazetis designatus carnifex: siquidem ita mandarat Suleimannus, ut eum suis manibus extingueret. Sic injecta fidicula Baiazetes strangulatur, qui quidem unum ante mortem rogasse dicitur, ut videndorum liberorum dividendorumque inter eos novissimi officii osculorum copia sibi fieret; sed incassum, jussus agere quod instaret. Hic finis inauspicatorum Baiazetis consiliorum, eo citius in exitium præcipitati, quo magis vitatum cupit. Quod patris fatum, idem quatuor filiorum fuit. Unum dixi relictum Amasiæ cum profugeret, recens natum, quem avus transtulerat Prusam, ubi educabatur: sed cum cognovit de Baiazete actum, Eunuchum cui fidebat, Prusam misit, ut eum interficeret. Sed cum Eunuchus esset teneriore animo, sibi de numero janitorum quendam asciverat obfirmati ad quodvis facinus animi, cujus opera puerum extingueret. Is cubile ingressus, cum collo puerili laqueum aptaret, infans ei arridens seque quod poterat attollens, apertis ulnis complecti & ferre osculum conabatur, quæ res ferum alioqui hominem sic commovit, ut ferre non posset, animaque defectus concideret. Moram admiratus Eunuchus, qui foris astabat, eodem se infert, janitorem in solo stratum offendit: tum ne suscepto muneri deesset, suis manibus insontis pueri animulam elisit. Ex quo satis constitit, non avi misericordia eo usque nepoti parsitum, sed ex opinione quæ Turcis insedit, ut res quocunque consilio institutas, si benè candant, ad Deum auctopem referant. Propterea quandiu incertum fuit, quem exitum Bajazetis conata sortirentur, abstinendas ab infantis injuria manus, Suleimannus

mannus ſtatuit : ne ſi poſtmodum res melius vertiſſet, obniti voluntati Dei voluiſſe videretur. Sed nunc illo extincto, ac veluti divina ſententia damnato, cauſſam eſſe non putabat, cur filio diutius parceretur: ne malum ovum ex malo corvo relinquereretur. Fuit mihi aliquando longa ſuper eo cum meo Chiauſſo diſputatio: cum eſſe in inſulis (de quibus ſupra) & mihi viſum eſſet longius evagari. Contigit ut revertens littoris partem paulo altius in mare porrectam reflante vento ſuperare non poſſem. Quo in loco poſtquam aliquandiu fruſtra luctati ſumus, exſcenſionem facere, & prandium ſumere nobis neceſſe fuit. Nam in eum eventum ſemper cibariorum aliquid coctum in navi circumferebam. Fecère idem complures Turcæ, quos par caſus eo detulerat. Menſa mihi poſita eſt in virenti prato. Mecum unà Chiauſſus & interpres diſcumbebant. Injecta forte Baiazetis mentione, cœpit Chiauſſus in eum inclementius invehi, quod arma ſumpſiſſet contra fratrem. Ego contra dicebam videri mihi miſeratione dignum, cui inevitabilis neceſſitas impoſita eſſet, aut capiendorum armorum, aut certæ peſtis ſubeundæ. Sed cum Chiauſſus nihilominus execrari pergeret, Vos, inquam, immanis facinoris reum facitis Baiazetem. At Selimum, hujus Imperatoris patrem, qui non modo contra patris voluntatem, verum etiam ſalutem arma tulit, nullius criminis arguitis. Recte, inquit Chiauſſus: nam rerum exitus ſatis docuit illum, quod fecit, divino feciſſe inſtinctu, & cœlitus fuiſſe prædeſtinatum. Tum ego, ſi hoc more agetur, quidquid quamvis peſſimo conſilio ſuſceptum, ſi bene cedat, recte factum interpretabimini, & Dei voluntati ad-

scribetis, Deum facietis auctorem mali, neque quicquam bene aut segnius factum, nisi ex eventu pendetis. Sumus aliquandiu in hoc sermone commorati, cum uterque non sine animorum & vocis contentione, quod proposuisset, defenderet. Collecta utrinque plura sacræ scripturæ loca, *Nunquid potest vas dicere figulo, cur me ita finxisti? indurabo cor Pharaonis. Iacob dilexi: Esau odio habui.* atque alia, ut veniebant in mentem. Admirantibus quid altercaremur, qui prope aberant Turcis: postquam sublata mensa consurreximus, Chiaussus recta abit ad suos. illi recipiunt in medium. Video dein pœne in modum concionantis multa dicere cum magna illorum attentione, demum cum instaret meridies, facto silentio, suo ritu, in frontem consistentes Deum venerantur & adorant. Mihi longum videbatur, dum rediret ad me Chiaussus, ut scirem, quem tam serium sermonem cum suis habuisset. Subverebar, ne quid eorum, quæ dixissem, in pejus retulisset, quanquam esset mihi satis perspecta ejus probitas. Tandem cum posuisset ventus & tempestas, ad conscendendum vocaret, referimus nos in navem, & cœptum prosequimur iter. Hic mihi nihil prius fuit, quam ut ex Chiausso quærerem, qua de re apud suos populares tam accurate sermocinatus esset. atque is subridens, Fatebor, inquit, tibi ingenuè, quid fuerit. Voluerunt ex me scire, qua de re fuerit inter nos tanta contentione disputatum. Ego dixi, de prædestinatione, & quæ tu pro tua parte loca collegisses, & quæ à me adducta agnovisses, eis recitavi: ex quibus te libros nostros legisse, & sacræ scripturæ scientissimum esse constaret: nec tibi ad omnem fœlicitatem quicquam deesse, quam

ut sacris nostris initiarere: quam tibi mentem dari à Deo cohortati inter nos sumus, ut eum in precibus, quas nos habere vidisti, rogaremus. Nuntio de Baiazetis interitu Constantinopolim allato, magnus me metus incessit de nostri negotii exitu, stabamus quidem pulchre, finemque qualem optabamus, prospicere videbamur: sed casus Baiazetis curam revocabat, ne Turcæ insolentiores facti, quæ acta essent retexerent, & nos ad conditiones graviores revocarent. fueramus fœliciter prætervecti complures scopulos, in quibus cladem Gerbensem, vincula Baiazetis, & pulsi è Moldavia Veyvodæ fortunam: restabant duo nihilominus formidolosi, mors (de qua dixi) Baiazetis, & item alter: de quo, mox dicam. Me primus per servum domesticum ejus nuncii participem his verbis fecerat Hally. Certo scirem sublatum è vivis Baiazetem, non esse, quod ejus fiducia luderem diutius: meminissem facilius inter duos principes eorundem sacrorum consortes veterem gratiam integrari, quam inter duos diversæ religionis novam conciliari. Crederem hoc sibi non esse tutum tergiversari ulterius: neque nodum in scripto quærere. Hæc meum animum non leviter pupugerunt. Sed quod autor suspectus haberi posset, mitto circum amicos sciscitatum, nunquid certe de Baiazetis nece sit allatum? respondent ad unum omnes, de eo nullam dubitationem relinqui. Intelligo mihi contrahenda vela. Non esse quod deinceps ad meliora aspirarem: mihi satis esse debere, si locum quem ceperam, tueri possem, si nihil in conditionibus mutaretur. Jam diu eas Turca viderat, neque erat aversatus, paucis additis aut circumcisis, in quibus tamen erat nonnihil quod desiderarem. Erant quæ-

dam posita obscurius, & quæ controversiam facere possent, si quis malignius interpretaretur. Adnitebar ut aut tollerentur aut corrigerentur, ut nostræ parti commodius esset. Jam semel atque iterum eas conditiones ad se missas Imperator meus viderat, clementerque approbarat: sed ipse mihi non satisfaciebam, adjungique semper aliquid, quod magis etiam esset in rem nostram cupiebam. Cum me hæc agentem is de quo dixi, nuncius oppressit: sed & antea grave impedimentum inciderat ex quorundam optimatum Hungarorum à Veyvoda Transilvaniæ ad Cæsarem defectione, vel (si verum dicendum est) ex errore in viam & ad officium reversione, cum arcibus atque oppidis quæ ab iis tenebantur, quæ novitas quicquid erat de pace inchoatum, turbare & pervertere potuit. Siquidem Turcis speciosa oratio non deerat: Non debuit, dum de conditionibus agitur, quicquam novari. Si pax cordi est, quæ perverse acta sunt, in integrum restituere: de se statuant defectores ut volent: quæ possederunt penes Veyvodam remaneant, clientem & beneficiarium nostrum. Verum non modo nihil istiusmodi ab Hally propositum fuit, verum etiam cum in conditionibus pacis nominatim adscripsissem ut illa manerent, rata libenter comprobarat. Sed qui tum supervenerant à Veyvoda recentes oratores, eam cicatricem acerrime refricabant, aulam clamoribus implebant, prodi miserum juvenem, profanari jus amicitiæ, veteribus amicis hostes anteferri. quibus quidem reliqui Bassæ præter unum Hally movebantur. Sic denique in pacis legibus, de quibus jam convenerat, mansum. Ego vero, tametsi nulla dubitatio esse posset de mente domini mei,

memor tamen nunquam deesse in comitatu Principum, qui aliorum benefacta, etsi praeclara denigrarent, praesertim hominum externorum, omnia quatenus fieri posset ei quàm liberrima reservanda statuo. Sic ergo cum Hally ago, ut ostendam, tametsi conditiones propositæ ex toto expectationi Principis mei non respondèrent, tamen confidere illis acquieturum, modo una mecum mitteretur aliquis qui ea quæ essent obscuriora, aut alioqui in controversiam vocari possent, declararet. Ad id videri optimum Ebrahimum, per quem ipsi vicissim de Cæsaris voluntate erga pacem cognoscerent. facile itum est in hanc sententiam. Ita longinquo huic pacis negotio suprema manus imposita. Mos est, ut discedentem cum gratia oratorem Bassæ in Divano mensæ suæ adhibeant. Sed quando omnia suspensa & incerta donec à domino meo responsum referretur, [illegible] videri volebam, is mihi honos non est [illegible]us, quo me carere animo æquissimo tuli. Erat mihi in votis aliquod præstantes equos mecum educere. Idcirco negotium dederam meis famulis, ut crebro versarentur in foro, si quos ejusmodi reperire possent. cujus rei factus certior Hally, ipse generosum atque optimum equum ex suis tanquam venalem producendum curat. Concurrunt mei, licentur, indicatur centum viginti ducatis, ipsi offerunt octoginta, ignari cujus esset. recusant dare tanti, quibus commissus erat. Post unum atque alterum diem idem equus cum duobus aliis nihilo deterioribus mihi ab Hally Bassa dono mittitur, quorum unus erat Arabs gradarius insigni forma. Cum agerem gratias pro munere, quæsivit idem Bassa, an equum illum quem homines

mei 80. ducatis in foro emptum voluissent, non pluris æstimarem? respondi, longe pluris. Sed eos à me mandatum habuisse ne pretium illud excederent, ne mihi nimiæ fraudi esset, si vitiis latentibus affectum (ut fieri solet) per imprudentiam mercati essent. Admonuit me deinde de ratione alendorum initio itineris equorum Turcicorum: nimirum minima pabuli portione, utque minima facerem itinera, donec equi itineri assuevissent: & quod iter Adrianopolim quinque diebus confici soleret, ut partirer in dies novem aut decem. Idem donavit me veste sane quam eleganti auro intexta, & plena pyxide præstantissimæ theriacæ Alexandrinæ: postremo adjecit vasculum vitreum plenum balsami, sed non sine verborum honore. Cætera quæ mihi donasset, non se magni ducere, quod pecunia comparari possent, hoc esse munus rarum, quo dominus suus nullum majus amico aut confœderato Principi donare posset. Se aliquot annos Ægypto præfuisse, ex quo sibi datam ejus habendi facultatem. duplex ejus fructicis succi genus: unum quod ex oleo decoctorum foliorum cogitur, quod nigrum est & vile; alterum flavum, quod ex vulnere incisi corticis stillat, quod est genuinum. quo sum ob eo donatus. Ipse vicissim quædam sibi mitti voluit, loricam ad modum sui corporis sane ampli & proceri. Equum robustum, cui se securum à lapsu committat. Nam propter membrorum molem equus qui ei ferendo par sit, non facile reperitur. Postremo materiæ genus vermiculatæ, sive ea aceris est, seu cujuscunque alius arboris, cujus laminis nostri mensas incrustant. A Suleimanno nulla mihi munera data quam communia, cujusmodi quibuslibet oratoribus discedentibus dari solita, qualia

lia fere superioribus annis, cum ei valedicerem. Paucis in Heydonum & præsidiariorum Sigheti insolentiam invectus est. Quid, inquit, attinuit nos hic pacem facere, si eam disturbabunt. qui Sighetum præsidio tenent, & bellum continuabunt? Dixi me relaturum ad Cæsarem, sperare ei rei provisum iri. Sic bonis avibus sub finem mensis Augusti optatum iter ingressus sum, mecum referens annorum octo fructum octennales inducias; quas tamen nisi aliqua mutatio insignis inciderit, facile erit quandiu libebit prorogare. Cum esset ventum Sophiam, qua non minus Rhagusium iter est quam Belgradum, atque inde Venetias paucorum dierum trajectus est, petierunt à me Leyva & Requesenæus, sibi darem veniam itineris habendi Rhagusio, quo majore compendio in Italiam pervenire, & fidem quam Bassis de muneribus dederant, maturius liberare, & æs quod Constantinopoli in varios usus contraxerant, dissolvere possent. Daturos mihi literas ad Cæsarem, quibus ei gratias agerent de recuperata libertate: libentius se id coram facturos fuisse, nisi impedirentur eo quo dixi officio, in quo eis à me non gravatim mos gestus: cujus quo me minus pœniteret. fecit propinqua mors Requesenzi, qui cum antequam Rhagusium attingeret, ætatis ultimæ senex decessisset. Id quoque eum à me munus habere facilè passus sum, quod recusatio aliquid fortè ad causam morbi attulisse videri potuisset. Sandæus & ego, prorsus jucundè reliquum quod fuit itineris, sine graviore incommodo confecimus. Est Sandæus multi joci multarumque facetiarum, & qui ubi opus est pressa animi ægritudine magnam hilaritatem ostendat. Multa se quotidie

offerebant, quæ à nobis in ludum iocumque vertebantur. iuvabat interdum relictis curribus experiri, uter diutius itineris pedestris laborem ferret. In quo ego facilè superabam macilentus, nec ulla ventris saburra gravis, hominem obesum & pondere corporis tardiorem, ad hæc etiamnum ex carceris desidia torpentem. Ut quisque pagus occurrebat, festivum erat videre accurrentem Ebrahimum, qui multa cum gravitate eum suis Turcis in equo sequebatur, obtestantem per ea quæ nobis essent charissima, referremus nos in currus, ne tantam turpitudinem admitteremus, ut talis locī hominibus iter pedibus facientes conspiciendos nos præberemus. id enim magno dedecorī esse apud Turcas. Quibus vocibus nos aliquando in currus compellebat, aliquando eas cum risu transmittebamus. Unum de multis Sandæi facete dictis accipe. Cum discederemus Constantinopoli, erat non modo adhuc molestus æstus, verum ex præteritis caloribus etiamnum languebam, sic ut pœne cibum fastidirem, minimo certe contentus essem. At Sandæus homo robustus, & multo cibo assuetus, quem secum unà semper sumebat, non tam vescebatur, quam vorabat, me subinde commonefaciens, ut suo exemplo virum me præberem, & fortiter essem. In quo nihil proficiebat, donec sub initium Octobris finibus Austriæ appropinquaremus. ibi partim regionis, partim temporis ratione altiori cœlo recreatus, cum valetudine fieri melior, tum liberalius quam ex superiorum dierum consuetudine esitare cœpi. Quod à Sandæo animadversum, exclamat sibi magnum operæ pretium factum, non fuisse inanem laborem, neque disciplinam quam mihi impendisset, ut qui se præceptore & magistro esse

esse didicissem, rei tam necessariæ tot annos natum nondum neque scientiam, neque usum habuisse. deberet mihi, quantum vellem, quod eum carcere Turcico exemissem: me sibi nihilo levius devinctum, à quo comedere didicissem. Sic ludibundi Tulnam pervenimus, ubi nonnihil molestiæ objectum est. Solebat Sandæus sub eodem tecto mecum manere, ubi plura erant cubicula: sed ubi unum tantum erat, divertebat in proximo, ne mihi molestus esset. id cum Tulnæ facere vellet, mandat Gianizaro, qui mihi apparebat, quem Constantinopoli Budam mecum ducebam, ut sibi prospiciat de hospitio. cum Gianizaro eunt simul unus de meis famulis, & doctor quidam medicus Hispanus, ære Sandæi Constantinopoli redemptus. forte ingrediuntur in vicinam nobis domum Gianizari, qui fuerat illi oppido præpositus tutelæ caussa. nam ita Turcis usitatum, ut singulis lautioribus pagis aut oppidulis unus alterve Gianizarus attribuatur, qui Christianos à commeantium injuriis prohibeant. ex quo Gianizaris illis multæ multarum opportunitatum utilitatumque accessiones. Hic nescio quo commisso delicto commeritus erat, ut ab officio removeretur, ideoque animo agebat anxio & exacerbato. Hujus ædes nostri libere inspiciunt, perlustrant omnia. quum non placerent, recipere se incipiunt. Præcedebat Gianizarus meus, sequebatur famulus, tertio loco incedebat medicus. Fit interim certior Gianizarus loci incola, qui versabatur in horto, Christianos sibi hospitium quærere domi ejus. Approperat insaniens cum fuste, Herculis clavæ non absimili, eumque tacitus quanta vi maxima potest in humeros medici impingit: qua accepta plaga ne geminaret, medicus se do-

me ejicit. Respicit meus famulus, & sibi videt imminentem, ut eodem modo se accipiat Gianizarus. Jamque erat in ictum sublatus fustis: sed hic meus securiculam manu gerebat, ut fere illic mos est, cujus aciem una manu, altera manubrii partem extremam apprehendit, atque ita transversam supra caput attollens, plures ictus tutus excipiebat, cum tamen alter feriendi finem non faceret, cœptum est infringi securis manubrium. Qua necessitate meus famulus adductus intra ictum Gianizaro subit, ut ei caput cominus dedolaret: sed Gianizaro non placuit mutata pugnæ conditio, & se protinus in pedes conjecit: quem cum meus assequi non posset, in fugientis tergum securiculam jactu dirigit. Quo ictu Gianizarus saucius, concidit: sic nostri se expediunt. Interim medicus viciniam clamoribus ciebat, de se actum, nullam vitæ ulterioris spem superesse, omnia sibi ossa comminuta. quæ Sandæus audiens & ringebatur & ridebat. Non movebatur medici vocibus, quod in eo plus esse timoris quam periculi existimabat. Sed eum cura atrox coquebat fore, ut Constantinopolim revocaretur, nec poterat sibi persuadere hoc negotium sincere agi. quæsitum à Bassis locum, ubi falso mihi gratificarentur, eosdem mox animum detecturos, & causam inventuros, cur ipsum Constantinopolim retraherent, ubi esset in perpetuo carceris situ putrescendum. idcirco graviter ferebat famuli mei rationem, qui cum tam graviter saucium Gianizarum reliquisset, juraret tamen sibi gravissimum esse, quod adhuc spirantem audiret. Ergo sic eum compellabat, amicissime Henrice (nam id ei nomen) quæso moderate iracundiæ. Non est hic ostentandæ fortitudinis, neque vindican-

dæ injuriæ locus : hic fas est sine ignaviæ nota contumeliam accipere. velimus, nolimus, sumus in istorum potestate. Etiam atque etiam considera, quantum ista importuna iracundia nobis importare mali possit, nimirum, ut omnes reducamur Constantinopolim; & quæcunque acta sunt, pro irritis habeantur, aut certe in dubium revocentur : ex quo novæ molestiæ, & longus labor renascatur. rogo te, si aliàs vel mea causa temperantior. Sed hæc surdo canebantur. Erat Henricus pervicacioris ingenii, nec satis ipse rationis capax, utique cum ira efferbuisset. Quid mea (respondebat) referret, etiam si occidissem? an non ei propositum fuit me trucidare, si vel unus ictus, quibus tot me petivit, non fefellisset, nonne me ut pecudem mactavisset? Deberem credo quicquam illi qui me interfectum voluit, si illum prævenissem? Dolet mihi ex intimis sensibus, si non sit vulnere mortifero affectus. deinde dejerabat, se Turcæ nemini parsurum, qui sibi vulnus inferre voluisset, sed quocunque proposito periculo vitam si posset erepturum. Hæc Sandæo non placebant. Gianizarus eo quo dixi accepto vulnere rem etiam majorem faciebat. Veniunt ad me duo Judæi linguæ Hispanicæ non ignari. Ajunt periculose laborare Gianizarum, videndum mihi ut ei satisfaciam, alioqui rem non ita abituram : multas mihi magnas eo nomine paratas molestias. Respondeo quæ visum est. Sed cum Turcarum calumnias & morem novissem, mature occurrendum judicabam. Per puerum confestim ab Ebrahimo postulo, ut mihi accommodet de comitibus suis aliquem, quo duce unus de hominibus meis Constantinopolim eat. Sic facto opus esse, miratur quid causæ sit Ebrahimus; nec mora,

adest

adest ut cognoscat. Dico ab Hally Bassa petendum, ut de itineris securitate certiore fide mihi caveatur: alioqui non confidere posse me incolumem fines patrios attingere. Nihil proprius factum, quam ut duo de comitatu meo interficerentur, & quemadmodum res acta sit, ei commemoro. Intelligebat Ebrahimns quantopere ea res ad se petineret. Rogat ut feram patienter non longissimi temporis moram: atque è vestigio transit ad illum Gianizarum, quem cubantem offendit. Accipit illum vehementi jurgio, quod se talem adversum meos præbuisset: redire nos confecta pace, cum magna Suleimanni Bassarumque omnium gratia. mihi nihil negatum eorum quæ petivissem: multa ultro concessa: se adjunctum itineris comitem, ut mihi honorem ubique habendum curaret. Illum primum inventum, qui nos injuria læderet, qua de re velle me questum mittere Constantinopolim. quod si fiat, ipsum intelligere quid de se futurum sit. Quo sermone decussæ Gianizaro cristæ, terrorque ultro injectus. Sequenti die iter nostrum Budam versus prosequuti sumus, medico ex tantæ plagæ contusione nullo momento ad iter tardiore, Cum jam esset in conspectu Buda, veniunt nobis obviam jussu Bassæ ex ejus familia aliquot cum plerisque Chiaussis; sed inprimis visenda juvenum in equis multitudo propter novitatem ornatus, qui erat hujusmodi. In aperto capite, quod eis plerumque rasum est, cutem longa linea inciderant, cui vulneri plures pinnas cujusque generis inseruerant: ipsi stillantes cruentis guttis, dissimulato dolore veluti sensus expertes læti & hilares ferebantur. Ante me proxime pedites aliquot ambulabant, horum unus veluti ansatus subnixis nudis brachiis

chiis ingrediebatur, quorum utrumque supra cubitum cultello (quod genus nos Pragenses vocamus) transfixum habebat. alius à superiore parte umbilico tenus nudus incedebat. sic scissa duobus locis infra supraque lumborum cute, ut illac trajectam clavam tanquam è cingulo pendentem haberet. alius in vertice capitis equi soleam pluribus clavis fixerat. Sed id vetus erat, clavis ita cum carne coalitis, ut nihil moverent. Hac pompa Budam sumus ingressi. & ad Bassam introducti: cum quo mihi de fide induciarum adstante Sandæo sermo prolixior. Constiterat intra limen atrii egregia illa contemptrix doloris juventus, in quam cum oculos forte conjecissem, quærit ex me Bassa quid mihi videatur? recte inquam, nisi quod illi de sua cute faciunt, quod ego de mea veste nollem. nam malim mihi servari integram. Risit Bassa, nosque dimisit. Postridie tetendimus Strigonium: inde processimus Commaronium, primam Cæs. Majestatis arcem, ad flumen Wagæ sitam. In cujus ulteriore citerioreque ripa loci præsidium cum sociis navalibus, quos ibi *Nassadistas* vocant, præstolabatur. Antequam traicerem, accedit ad me Sandæus, curam diu dissimulatam aperit, me complexus denuo agit gratias pro recuperata libertate. Nam fateri se fidem hactenus sibi fieri, non potuisse hoc negotium bono fide à Turcis geri, ac proinde in perpetuo metu fuisse, ne sibi Constantinopolim redendum esset, & in vinculis senescendum. Nunc demum se agnoscere; quæ à me beneficia haberet, rata & firma esse, quo nomine mihi ad extremum vitæ spiritum devinctum fore. Paucis inde diebus attigimus Viennam. Erat tum temporis in comitiis imperialibus Cæsar Ferdinandus, cum filio

filio Maximiliano, de cujus in regem Romanorum inauguratione agebatur. facio Imperatorem certiorem de meo reditu, deque adventu Ebrahimi, & quid de eo fieri placeat, consulo. Nam is quidem vehementer urgebat, ut Francofordiam duceretur, Respondit primo Imperator, sibi videri consultius ut Viennæ ad reditum suum Turcæ subsisterent: fore abs re alienum, si gens tam infesta per tantum tractum, quantus est à Vienna Francofordiam, per ipsius Imperii penetralia duceretur. Sed expectare longum erat, & multas suspicionum ansas Turcis dare poterat. Nec erat ullus metus, si Ebrahimus cum suo comitatu iter per florentissimam imperii partem fecisset, imo optabile ut per ea vires & magnitudinem imperii æstimaret. Tum autem maxime ut videret Francofordiæ, quanto consensu summorum imperii principum imperatori successor Maximilianus designaretur. Quæ cum essent à me Imperatori rescripta, assensus est, ut Ebrahimus cum suis Francofordiam duceretur. Sic nobis iter Praga, Bamberga, Wirtzburgo illuc institutum. Nolebat Ebrahimus, cum iter per Bohemiam haberet, transire insaluto Archiduce Ferdinando: sed ei se offerre, sic ut nosceretur, non visum Archiduci. Quum paucorum modo dierum itinere abessem à Francofordia, visum est mihi ut de quibusdam rebus ad meam legationem pertinentibus Cæsarem prænonerem, unius atque alterius diei itinere Turcas præcurrere. Itaque eo delatus sum per equos dispositos, ac veni Francofordiam pridie ejus diei, quo ante annos septem alterum iter Vienna Constantinopolim auspicatus fueram. Ea humanitate atque indulgentia clementissimi Imperatoris exceptus sum, non qua me dignum erat, sed quam ejus

consuetudo

consuetudo & innata bonitas ferebat. Tu cogita quid mihi lætitiæ fuerit post tot annos frui conspectu non modo incolumis, verum etiam omnibus rebus florentis domini, qui me amplissimis bene atque ex sententia sua confectæ legationis testimoniis ornaret, diuturnos labores meos, & quæcunque à me acta essent grata & accepta sibi esse offenderet, nihilque prætermitteret quo ad propensam voluntatem significandam pertineret. Pridie inaugurationis venit Francofordiam multo jam vespere, clausis ejus urbis portis, quas toto sequenti die vetus cæremonia reserari non patitur. Sed diserto Cæsareæ Majestatis mandato factum est, ut Turcis portæ postridie aperirentur. Assignatus eis locus unde possent prætereuntem electum Cæsarem cum omni pompa atque apparatu spectare. Visum est eis hoc amplum (ut erat) & magnificum spectaculum. monstrabantur inter reliquos, qui Cæsarem honoris caussa comitabantur, tres duces, quorum singuli suis opibus justum exercitum conficere possent, Saxo, Bavarus, Juliacensis: multaque alia de viribus, dignitate & amplitudine Imperii eis referebantur. Ad Cæsarem paucos post dies introductus Ebrahimus, caussam adventus sui exposuit, obtulitque munera quæ Turcis honestissima habentur: quem Imperator pace confirmata amplissimis auctum donis ad Suleimannum remisit. Evolare me ex aula, & domum redire gestientem, retinent etiamnum privata negotia. Nam mihi quidem vita aulica usque quaque cordi non est. notæ mihi ejus ærumnæ. Falso splendore multæ ejus miseriæ obtenduntur. Fuci in eo multum, candoris parum est. nulla est aula quæ vacat invidia, in qua non desideretur amicitiæ fides, ubi voluntatum mutatio & subita

subita ruina metuenda non sit. Nam principes & ipsi homines sunt. Vidi qui centum amicis stipatus regiam adierat, irato rege, vix cum uno comite domum redire. Aula vera bona non novit nisi sero, umbris, fama, specie, fallaciis, errore populari ducitur. Ut eos fortunatos dicere non dubitem, quibus illa cito & cum parvo incommodo defungi datum sit. Optabile est sibi posse vivere, & Musis; & cum paucis & non fallacibus amicis, in agelli angulo consenescere. Aut nulla est in hoc terrestri exilio, aut ea demum vera vita est. Nimium quantum sæpe pluris fiat in aula nobilis scurra quam vir bonus, ut non obsurde boni viri inter aulicos speciem oculis subjecisse videantur, qui asinum pinxerunt inter simias. De communibus aulis loquor. Nam me non fugit multas, atq; hanc præcipue, viris in omni laudis genere præstantibus tanquam rarissimis luminibus illustrari. Ut ut sit, mihi solitudo & studiorū nutrix quies, turbā & strepitu aulico potior. Sed discedere cupientem vereor ne Princeps optimus retineat, aut certe domo jam abditum retrahat. Annuit is quidem meo discessui, se ea lege ut revocatus redeam. Quod si fit (nam quis ei qui nutu quidvis imperare possit, & cui tantum debeat, comiter petenti quicquam deneget?) tum vero unum relinquetur solatium, in quo conquiescam, quod mihi sanctissimi Imperatoris, faciem vel (ut melius dicam) spirantem veræ virtutis imaginem assidue spectare & contemplari dabitur. Nam cave putes, Solem hoc Principe quicquam illuxisse melius, neque cui justius rerum arbitrium delatum sit. Suspicienda quædam res est imperii majestas: sed mereri imperium, eoque se dignum præstare, mihi majus quiddam videtur. Nihil dico de natalibus, nihil de claritate majorum.

jorum non habet opus adjumentis procul arceſſitis, propriis adminiculis nititur. ex ſe atque adeo ex ſuis virtutibus magnus eſt. Multi Imperatores fuerunt non boni, indigni qui ad tantam dignitatem producerentur. hoc uno ex omnibus ſuæ virtuti magis debitum honorem nemo cepit. Rurſus potiti ſunt rerum non pauci, ſatis illi quidem inter initia caſti & innocentes, ſed qui mox nimia licentia & corruptelis aulæ in omne vitium præcipites abierunt. Se mortales obliti, ſpiritus humanis altiores ſumpſerunt: locari cœlo & deorum contubernio inſeri voluerunt, cum eſſent indigni qui in hominum numero cenſerentur. Non omnium cervices ferunt magnæ fortunæ pondus: ſuccumbunt plerique & ſeipſos in tam alto gradu poſiti requirunt. Arduum eſt poſſe omnia quæ velis, nolle tamen niſi quæ honeſta ſunt. Nullius luminibus fortunæ altitudo minus offecit. Nemo conſtantius virtutem retinuit, neque diligentius cavit, ne purus animus fortunæ vitio contaminaretur. Hanc ſemper duxit rationem, quorum, purpuræ nitor in oculos hominum incurreret, debere multo magis morum ſanctitate animos eorum convertere. Summum ei pietatis ſtudium, Deum ſancte colit, ac veneratur, atque ita ſemper ut eo præſente & in ejus conſpectu vivit. Ad ejus præſcriptum tanquam ad amuſſim omnes actiones ſuas exigit totiuſque vitæ curſum moderatur. Quicquid ſibi contigit vel proſperi vel adverſi, ad eum refert auctorem & ut de manu ejus profectum, accipit animo pio & grato. Sic eum cœleſtem in terris vitam meditari vere dixeris. Non fallit eum quam perſonam ſuſtineat: ideo dicta ejus & facta omnia eo ſpectant, ut in commune conſulat, &

quam

quam plures profit, suas utilitates præ publicis ducat in minimis, non aliter se bono publico natum existimaturus. In quo à nonnullis ei vitio vertitur, quod Reipub. nimium deditus, privatis rationibus, familiæque & liberorum commodis parum serviat. Nullum humanæ societatis officium in eo desideres. omnes ita tractat, ac si ad ejus curam omnes pertinerent, & ingentis familiæ ipse sit pater. Quis opis indigus fidem ejus frustra imploravit? Quis ejus liberalitatem in se non est expertus? Diem perire existimat, quo non alicui benefecerit: & cum summa charitate omnes complectatur, tum vero singulari est in domesticos indulgentia: quorum nemo est qui se ab eo neglectum aut præteritum queri possit: vitam, consuetudinem, merita, etiam nomen uniuscujusque memoriter novit, etiam infimorum. Nec piget tantum principem indiligentius & præter decorum agentes, captato tempore officii commonefacere, & dictis castigare: eosdem vero ad bonam frugem se recipientes laude & præmiis afficere. Itaque sic ab eo discedunt, ut non dominum, sed parentem se Cæsarem habere prædicent. Id ei quoque penitus insitum, ut quorum erata aliquot dierum ira correxerit; postquam ignoverit, eodem prorsus loco eos habebat quo ante, deleta ex animo omnis culpæ memoria. Jus magna æquitate dicit, sed non aliis magis quam sibi. Neque enim fas putat negligi à se leges, quas aliis præscribat; aut sibi permittere, quod in aliis vindicet. Domitas habet cupiditates, & intra rationis cancellos constrictas. Vivit odii expers, non novit irasci, neque convitium facere. haud dum natus est, qui obtrectantem alteri audierit; ne iis quidem quos sibi minus æquos novit. nul-

lum

lum in quenquam dictum inclementius, nec de abſentibus unquam niſi honorificus ſermo. Tuta eſt ſub ejus præſidio probitas: malitia, vis, fraus, improbitas, pravi mores exterminantur: ſcelera & flagitia debitis pœnis afficiuntur. Romani ſuos cenſores moribus præfectos habuerunt, qui populorum in officio & vetere diſciplina retinerent. Hic nullo cenſore opus: vita principis pro cenſura eſt. Is omnibus prælucet, exemploque eſt, quid fugiant, quid ſequantur. Viros bonos & eruditos iiſque artibus excultos, quibus bona opera Reipub. navari poteſt, præcipua benevolentia complectitur. His ſe dat, poſitaque majeſtate veluti cum paribus mutua amicitiæ officia exercet, ac tanquam virtutibus æmulatur. nullo delectu an illi vetere & credita majorum, an ſua & præſenti laude elati ſint. Cum his tempus (quod tamen exiguum eſt) quod negotiis ſuper eſt, libenter ponit. hi ſunt apud eum in pretio; ut qui publice multum intereſſe judicet, ſuum virtuti locum & honorem reſtitui. Ipſe natura curioſior, atque aliquid homine dignum cognoſcendi cupidus, nunquam non habet, de quo ex doctioribus audire cupiat; de ſuo argutius aliquid & non invenuſtum cum magna audientium admiratione ſubinde interponens. Sic ſibi multarum bonarum rerum non contemnendam penum comparavit, ut de nulla re quæri poſſit cujus non aliquam cognitionem habeat. Complurium linguarum habet uſum. Primum locum tenet Hiſpanica, utpote materna: ſuccedunt. Gallica, Germanica, Latina & Italica. Latine etſi omnia ſenſa animi exprimere poteſt, non tamen ita ad unguem doctus eſt, quin aliquando in Priſcianum impingat; vitium in literatore repre-

reprehendendum, sed in Imperatore (ni fallor) tolerandum. Hæc ita esse quæ hactenus dixi, nemo negaverit: sed non deerit fortasse, qui majus rei bellicæ studium atque aliquid laureæ dignum in eo requirat. Turcæ (inquiet) multos annos in Hungaria debacchantur, vastant omnia, neque succurrimus, quemadmodum nostro nomine dignum erat. Jampridem contra itum oportuit, & conserta acie collatisque signis decretum, utros regnare vellet hera. Fortiter isti quidem, sed haud scio quam prudenter. Rem paulo altius putemus. Ego sic opinor, de ducum aut imperatorum animis, magis ex eorum consiliis quam ex fortuna aut eventu judicandum. Consiliis autem moderari debere tempora, vires propriæ, genus & potentiam hostium. Si communis hostis, si nobis satis cognitus, si nullis victoriis clarus, nostros fines infestet; non ire obviam, si nobis sint pares copiæ, atque eum conserta manu reprimere, vereor ne ignaviæ imputari possit. At si is sit hostis, qui velut ira Dei immissus (qualis olim Attila, avorum vero nostrorum memoria Demirlanes, nostra ætate Principes Ottomanni) cui nihil possit obsistere, qui quacunq; incedat, omnia prosternat; huic se temere cum exiguis & tumultuariis copiis objicere, vereor ne modo temeritatis, verum etiam dementiæ reprehentione non careat. Adest Suleimannus suis & majorum rebus gestis formidolosus, solum Hungaricum ducentis equitum millibus insultat. imminet Austriæ, minatur reliquæ Germaniæ, trahit secum quicquid est genitum à finibus Persarum. Multorum regnorum opibus instructum ducit exercitum. trium orarum, in quas orbis partitur, nulla est quæ non suum partim ad nostrum ex tium conferat. Quicquid obviam

datur,

datur, instar fulminis affligit, dissipat, delet. copias veteranas, militem exercitatissimum suoque imperio assuetum ducit, terrore nominis sui omnia complet. Nostros fines usque circumrugit, modo hac modo illac tentans irrumpere. Haud paulo leviore periculi caussa multæ gentes à valentioribus impulsæ, natali terra relicta, alias sedes petiverunt. In mediocribus periculis non commoveri parva laus est. at non terreri in ejusdem hostis adventu, in tanta circumruentium regnorum fragore, nihil Herculeæ cujusdam constantiæ videtur. perstat nihilominus in eodem vestigio invictus animi heros Ferdinandus: non deserit stationem: non loco, non gradu movetur. Optaret sibi eas vires esse, quibus posset sine insaniæ crimine ac suo tantum periculo rem in prælii casum dare: sed generosos ejus impetus prudentia temperat. Videt quanta cum fidelissimorum popularium suorum, imo totius Reipub. Christianæ pernitie futurum sit, si quid in re tanta sit offensum: cogitat male privato studio designari. quod publica calamitate luatur. Considerat quam iniquum certamen futurum sit, si xxv aut xxx millia peditum, adjuncto exiguo equitatu cum ducentis equitum millibus veterano pedite fultis, committantur. Quid ex eo sperandum sit, satis eum docent superiorum temporum exempla, acceptæ ad Nicopolim & ad Varnam clades, albentesque adhuc ossibus cæsorum Christianorum ad Mohacium campi. Insipientis belli ducis est, non suis, non hostium, ut par est, æstimatis, in prælium ruere: ex quo serum illud sequitur, tam graviter notandum, *non putaram.* Multum omnino refert, cum quo hoste nobis

bis res sit. In quo mihi parum fidei esse velim nisi gravissimis auctoribus idem visum sit. Cæsar quidem, idoneus (si quis) rei militaris magister, quantum in eo situm esset abunde docuit, qui Luculli Pompeique felicitati tribuit, quad tam ignavus hostis eis obvenisset, ex quo sine pulvere & sudore partas victorias reportassent. Qualis cum ei una de Pharnaco contigisset, quasi per ludibrium, ut de re nullius laudis neque negotii victoriæ facilitatem titulo testatus est, *Veni, vidi, vici:* non idem dicturus si hodie cum illis populis bellum haberet, olim quidem luxu remollitis & effœminatis; at nunc in rerum omnium penuria, frugalitate, fame, frigore, æstu, continuo labore & disciplinæ severitate ad omnem patientiam & audaciam exercitis. Nec sine caussa ratiocinatur T. Livius, nequaquam pari eventu bellaturum fuisse Alexandrum Macedonem, si hostem Romanum potius quam Persam aut imbellem Indum nactus esset. aliter cum bellicosis, aliter cum luxu perditis aut armorum insolentibus populis bellum geritur. Multitudo in Persis admirationem faciebat, in quibus mactandis plus laboris erat quam vincendis. Mihi quidem tres victoriæ Annibalis, ad Trebiam, ad Thrasimenum ad Cannas, omnibus rebus gestis Alexandri longe proponendæ videntur. Quid enim? has iste de egregiis bellatoribus tulit: illi cum inertibus Asiæ populis negotium fuit. Non erat in Fabio Maximo minus animi quam in T. Sempronio, quam in C. Flaminio, quam in Varrone, sed plus erat consilii. Cognovit summi judicii imperator, cum hoste in castris educato, versato semper in armis, magnorum ducum disciplina erudito, tot claro tropæis, singulari quodam seu fato seu felicitate, non esse

temere

remere rei summam in discrimen dandam, spacio & oportunitate opus esse, ut vinci posset. Eam solam tanto hosto proposito spem relinqui, si ejus impetum trahendo evaderet, produceretque in id tempus quo remedio locus esset. Interea sustinendum, coercendum, carpendum. In quo tam fuit fœlix; ut fortasse non minorem devicti Annibalis partim Fabius ferat, quam ipse Scipio belli confector. Nam quis scit an victoriæ Scipionis locus fuisset, nisi Annibalis victoriarum cursum Fabius remoratus esset. Nec vero minoris æstimari debet consilio vincere quam manu. hoc nihil cum belluis habet commune, vis habet. Quod fuit Fabii Maximi, idem fuit Cæsaris Ferdinandi consilium, ut pensitatis suis Suleimannique viribus nihil minus bono duci convenire judicaret, fortunam tentare, & justo prælio tanti hostis impetum excipere. Quod proximum fuit, ut tanquam concitati fluminis impetum aggeribus, fossis reliquisque munitionibus tardaret & reprimeret, in eo sibi omni ope enitendum putauit. Anni sunt plus minus quadraginta, cum initio regni Suleimannus capto Belgrado, afflicta Regis Ludovici cæde Hungaria, non modo ejus provinciæ, sed & ulteriorum possessionem sibi despondit: qua spe Viennam obsedit, repetito bello Ghnitzium in potestatem redegit. Viennæ denuo sed procul minatus est. Sed quid tanto armorum apparatu? quid infinitis opibus? quid innumerabilibus copiis perfectum, quam ut pæne in ea hæret Hungariæ parte, quam jam ceperat? qui maxima regna solitus erat, una expeditione conficere, parum munitas arces, aut minuta oppidula, pretium suarum expeditionum tulit, magnoq; mercatus est, quicquid de vasto Hungariæ corpore paulatim decerpsit,

cerpsit. Viennam certe vidit, post illa nunquã. Tria dicuntur Suleimanno fuisse in optatis, ut templi sui structuram (opus sane sumptuosum & luculentum) absolutam videret: ut restitutis veteribus aquæ ductibus per eos aquæ vim Constantinopolim induceret ut Viennam expugnaret. in duobus voti compos factus est, in tertio hæsit, & hæsurum spero. Viennam quidem alio nomine quam *dedecus & ignominiam suam* designare non solet. Sed redeo unde diverti, ut non dubitem Ferdinando inter præstantissimos belli duces locum asserere; qui longe inferioribus quam tanta tempestas requirebat auxiliis adjutus, tamen non se deseruit, sed præcipuo animi robore jam tot annos inusitati hostis impressionem sustinuit. Cui major laus ob conservatam melioribus temporibus bonam Hungariæ partem debetur, quam multis ob partos in summa opportunitatum affluentia de devictis regibus, aut populis celebres triumphos. Quo magis ei tempore tam necessario omnia defuerunt, eo clarius animi ejus virtus innituit. Nisi forte in uno eventu, & magnitudine felicitatis omnia ponere, nec quid hostis valeat, quid tempus, quid natura ferat, pensi quicquam habere, placet. Prodigii mehercule simile videri potest, apertum & porrectum Hungariæ regnum longa discordia distractum tamdiu potuisse defendi, neque dum totum sub hostis potentissimi jugum venisse. Cujus nihil nisi singulari Dei beneficio, nihil sine infinito principis sapientissimi labore, gravissimisque curis perfectum. Quæ non illi, dum in eo desudat, antecedente gravior in sequens difficultas? Hostis ante oculos, amici procul; longinqua & lera Caroli fratris auxilia; fessa, tametsi incendio proxima suppeditandis auxiliis Germania; provinciæ

here-

hereditariæ contribuendo exhauſtæ ; ſurdæ ad vocem poſcentis opem multorum Principum Chriſtianorum aures, quidvis potius agentium, quam illud quod ad eos maxime pertinebat. Ita modo ſuo Marte , & quibus potuit Hungarorum, Auſtriacorum, Bohemorumque copiis, modo imperii viribus, modo arceſſito Italo, aut Hiſpano milite ſuſtinuit, immenſoque ſumptu. Quindecim dierum itinere patentia in longum Hungariæ confinia continuis præſidiis tutatus eſt. neque enim unquam non opus ei ſub ſignis miſſe, ne induciarum quidem tempore. Nam & his interdum locus. Nec piget, cum Tyrannē adventus in metu eſt, nec temporum ſtatus aliud auxilium relinquit, miſſis legationibus ac muneribus eum mitigare , quo tantæ tempeſtatis calamitas à miſeræ Hungariæ cervicibus avertatur. Quæ molientem ſi quis totam dormire noctem credit, næ is egregie fallitur. pro Reipub. commodis excubat. perpetuas vigilias , magnam ſolicitudinem tanta res requirit. putas me laudare, ad hiſtoriæ fidem epiſtolam ſcribo. Ad hæc adminiſtranda pauci illi adiutores, ſed boni. In quibus veluti anteſignani, tibi fortaſſe non inauditi , Joannes à Trantzen, & Rudolphus ab Harrach, uterque fide & prudentia ſingulari. Dimitto te, ſi pauca de vitæ ejus interioris conſuetudine addidero. Surgit è lecto etiam aſperrimæ hyemis menſibus hora quinta: hinc precibus Deum veneratur , peractoque ſacro, abdit ſe in conſilium, ubi de rebus quæ ad publicam utilitatem ſpectant conſultandis, uſque ad horam prandii magna attentione vacat. Idem fit horis pomeridianis, donec cœnæ tempus ſit. cœnæ dico , non ſuæ, ſed conſiliariorum. nam ipſe perpetuo cœna abſtinet , neque amplius quam ſemel die

cibum ſubit, & quidem parce; nec potui liberalius indulget, geminata vini potione prandium clauſiſſe contentus. Nox illi caſta, thoruſque (quod ſatis conſtat) ab amiſſa conjuge Veneris expers. Nugarum atque earum oblectationum, quibus multi capiuntur, nihil procul abſiſtunt moriones, plani, ſcurræ, paraſiti, communium aularum deliciæ, ſed & peſtes tamen. fugit otium, tempus ei nullum iners. Quod ſi quod negotiis ſupereſt, quod rarum eſt, id bonorum & doctorum virorum (ut ſupra dixi) collocutionibus, quibus plurimum gaudet, traducit. qui cum maxime aſſiſtunt prandenti, deque variis rebus ſermonem conferunt. Cum hac vita tam frugi, tam ſevera, non dubita quin è populo multi ſuam commutatam nollent. Quotus enim quiſque non aliquam vitæ particulam genio ſuo ſeponat? Quis ſe cunctis oblectationibus privari æquo animo ſuſtineat? quem denique non tædeat in perpetuis curis & negotiis conſeneſcere? Quod quidem ſervitutis cuidam generi quam dominationi propius videtur. Sed aliter hic Princeps judicat, neque id in familiaribus colloquiis diſſimulat, non ſe ſua cauſſa tanto muneri à Deo præpoſitum: non ſibi, ut in voluptatibus & deliciis volutetur, Imperii gubernacula tradita: alia conditione privati juris hereditates cerni, alia regnis & imperiis ſuccedi, prohiberi neminem, quin patrimonii ſui commoditatibus utatur, fruatur. At ſuæ fidei tot gentes à Deo commendata, ut earum curam gerat, ad ſe redeat labor, ad eas ex ſuas diſpenſatione fructus, ſuo ſudore eis quietem & otium conficiat. Una eſt venatio, cui interdum operæ aliquid tribuitur, non tam delectationis cauſſa quam valetudinis. Nam cum dierum complurium continenti

nenti seſſione marcere ſibi corpus & animum ſentit, diem eligit quo ſe liberioris aëris hauſtu & campeſtri exercitatione reficiat. Ergo ſummo mane, æſtate quidem primo diluculo, hyeme aliquot horis ante exortum ſolis, quocunque cœli habitu venatum egreditur: quandoque pomeridianum tantum tempus ei rei datur. Ac memini cum aſtarem prandenti, audire cum diceret; Meo ſum functus officio, negotia omnia, totum chartophylacium exhauſi, nihil ſupereſt in cancellaria quod me retineat: quod reliquum eſt diei, impendam curæ corporis. Sic multa jam nocte domum revertit. apri vel cervi vel etiam urſi cæde lætus, ac feſſa vario labore membra (nulla aſſumpto cibo neque potu) ſomno ſternit. Eat nunc qui volet, & noſtro ſæculo Trajanos, Veros, Theodoſios, veterum miracula, deſideret. Sacramento contendere auſim, in hoc uno Imperatore plus eſſe veræ virtutis, quam fuerit in illis omnibus. Sed me tanti viri admiratio longius abripit. Non mihi conſilium, ut quæ digna ſunt ejus meritis dicam: voluminis iſta ſunt, non epiſtolæ? tum aliud ingenium, aliam facultatem requirunt. quum reliqua tibi narraſſem, ne hoc quidem te ignorare volui, ſub cujuſmodi Imperatore militarem. Finem facio, ſi prius cum voto publico concluſero, ut ſerus in cœlum redeat, cujus virtutis & ſanctimoniæ præſentia noſtri ſæculi mala levantur. De libris Græcis quod quæris, & quod ſcribis te audiſſe, me res multas rariores, & beſtias quaſdam inuſitati generis retuliſſe, nihil eſt iſtorum valde commemoratu dignum. Ichneumonem unum perquam manſuetum retuli, odio, & internecina cum crocodilo, & aſpide pugna notum. Habebam & muſtelam ex eo genere quas *Martas*

Zebellinas vocant, insigni pulchritudine, sed eam in itinere amisi. equos quidem complures generosos & forma præstantes, quos ante me nemo, & camelos fœminas sex adduxi. Nihil pæne stirpium neque herbarum retuli, nisi depictarum, quas Mathiolo servo mandaram, & alia pleraque. multi sunt anni, cum ad eum misi, tapetes, & more Babylonico acu picta lintea, enses, arcus, phaleras, multa ex corio præsertim equino non ineleganter elaborata, reculasque alias, operis & solertiæ Turcicæ habeo, vel (ut minus errem) habui, debeo dicere. Nam in tanto hoc Principum virorum & mulierum Francofordiensi conventu, dum multa multis honoris caussa ultro dono, multa petentibus denegare verecundor, exiguum est, quod mihi relictum est. Sed reliqua bene locata arbitror, unum est, cujus me tam prodigum fuisse pœnitet, nimirum Balsami, quod ejus veritatem in dubium vocarint medici, quia non ex toto notis, quas requirit Plinius, respondere visum sit: an quod vetustissimarum illarum plantarum unde promanat, vis aliquantum ætate imminuta sit, an qua alia de caussa, hoc quidem certo certius scio, è fruticibus illis qui in hortis Materænsibus Cayro propinquis coluntur, profluxisse. Antequam Constantinopoli discessi, medicum Hispanum nomine Albacarum misi in Lemnum, ut illic sexta die Augusti effodiendæ nobili illi terræ interesset, omnia certa de ejus sede & scaturigine, & extrahendi curandique ratione ad nos perscriberet: quod facturum non dubito, nisi quæ vis major obstiterit. Me quidem diu cupiditas tenuit eo trajiciendi, ut ipsemet testis oculatus essem. id quando per Turcas licitum non est, operam dedi, ut saltem idoneus testis auritus fierem. Reporto item magnam

magnam farraginem veterum numismatum, quorum præcipuis donabo dominum meum. Adhæc librorum Græcorum manuscriptorum tota plaustra, totas naves. sunt credo libri haud multo infra 240. quos mari transmisi Venetias, ut inde Viennam deportentur. Nam Cæsareæ bibliothecæ eos destinavi. sunt aliquot non contemnendi, communes multi. Converri omnes angulos, ut quicquid restabat hujusmodi mercis, tanquam novissimo specilegio cogerem. Unum reliqui Constantinopoli decrepitæ vetustatis, totum descriptum litera majuscula, Dioscoridem cum depictis plantarum figuris, in quo sunt paucula quædam, ni fallor Cratevæ, & libellus de avibus. Is est penes Judæum Hamonis, dum viveret Suleimanni medici filium, quem ego emptum cupivissem, sed me deterruit pretium. Nam centum ducatis indicabatur, summa Cæsarei, non mei marsupii. Ego instare non desinam, donec Cæsarem impulero, ut tam præclarum auctorem ex illa servitute redimat. est vetustatis injuria pessime habitus, ita extrinsecus à vermibus corrosus, ut in via repertum vix aliquis curet tollere. Sed literarum abunde est, ipsum me propediem expecta: in nostrum congressum, si quid restat, reservabitur. Tu modo viros bonos & eruditos para, quorum sermonis & convictus suavitate quicquid in animo reliquum est tædii & miseriæ, ex illo tam diuturno Turcarum contubernio, abstergam. Vale, Francofordiæ, die 16 Decembris, 1562.

AUGERII BUSBEQUII EXCLAMATIO:

SIVE

De re militari contra Turcam instituenda consilium.

CAptis à Cyro Persarum Rege, Sardibus, cum ea urbs diriperetur, multaque passim cædes fieret: memoriæ proditum est, unum de Cyri militibus in ipsius Lydorum Regis Crœsi cubiculum penetrasse; ignarumque quis esset, stricto gladio, mortem ei afferre voluisse: qua re commotum Crœsi filium, aderat, ad id tempus mutum & elinguem, soluto derepente linguæ impedimento clamorem sustulisse: eaque verba protulisse, quibus militem ab occidendo Rege deterreret. ita pietatem in patrem & periculi magnitudinem sermonis potentem fecisse eum, cui usum ejus ad id tempus natura negavisset. Atque haud scio an mihi quanquam in re dissimili, simile quiddam usu veniat: ut quem pietas dicendi rudem & imperitum, & qui publice verbum nullum unquam fecerim, diutius mutum esse non patiatur: sed in gravissimo patriæ discrimine vociferari & exclamare cogar, non ut hostem ejus jugulo ferrum intentantem deterream (neque enim id ejus immanitas patitur) sed ut eam moneam, ut sibi caveat. & simul cives meos commonefaciam, ut dum tempus est opem ferant, & saluti consulant. Nam (Dii vestram fidem!) quid hoc, malum, infelicitatis? quæ hæc miseria est? sævissimus hostis Turca innumeris pœne

pœne gentibus devictis per tot regum regnorumque stragem atque cadavera ad nos iter sibi patefecit, patriæ nostræ jugulo mucronem admovet, neque tamen commovemur, neque suppetias imus. In urbe si quod ortum est incendum, nemo est, qui non relictis rebus ad restinguendum currat, qui non pro viribus opem ferre conetur. at nos qui patriæ cives amantes haberi volumus, in tanto ejus periculo, otiosos duntaxat & inertes spectatores nos præbemus; nec ejus aspectus turpissime deformandus, non sacra, non religio mox abjuranda, non conjugum & liberorum tacitæ voces, ne se in fœdissimam servitutem abripi patiamur, deprecantium, movent. Ignavissimum quodque animal, ubi prolem periclitari sentit, nulla vi retinetur, per ferrum & flammam opitulatum ruit. contra nos viri fortes, posteritatem nostram, nefariis hostibus, ad omnem injuriam & turpitudinem, ope nostra destitutam, prodemus? nam quæ reliqua nobis spes, quod columen, quod præsidium: num in ejus hostis bonitate atque clementia spei aliquid reponemus, qui postquam ex suis latebris erupit, humani sanguinis rivus fluere nunquam destitit? an in ejus æquitate & modestatione? qui pacem, qui fœdera, nunquam pili fecit? apud quem nullæ valent communes reliquarũ gentium leges: quem nullus pudor, nulla honesti rãtio continet: qui fidem, qui jusiurandum, homini Christiano datum, violare, ubi rationibus suis conducit, non modo nullum nefas, verum etiam pium & sanctum putat. quem in nos profana stimulat religio, armat majorum æmulatio, regnique propagandi cupiditas, rapit denique sacra & inexplebilis bonorum nostrorum sitis. nam tota quidem nos erramus via. si aut patientiam nostram,

noſtram, aut injuriarum oblivionem, vel tantillum ad ſecuritatem noſtram profuturam ſperamus. quos nos modeſtiores, quo pacis atque pactorum, quoque æqui & boni obſervantiores oſtenderimus; eo magis in nos ejus hoſtis inſolentiam provocabimus. qui hæc omnia non virturi ſed bonitati noſtræ, refert accepta, ſed timiditati, ſed ignaviæ, ſed deſperationi rerum noſtrarum. in hoſte non eſt, quod ſpem ullam collocemus; in nobis ſi nulla eſt: neque ſane reſtat aliud, quam uti ſolent homines judicum ſententia morti addicti, ut placide ad ſupremum caſum nos componamus, & tanquam clauſis oculis ferrum jugulo recipiamus: niſi forte vites, aut fortunam ei defuturam putemus, quem ex ignotiſſimo, tot victoriæ tam terra, quam mari, breviſſimo temporis ſpatio partæ tantopere nobilitarunt. Quo velut igne, à parvis initiis orto, omnes jam fere totius orbis terrarum partes conflagrarunt. quem bellis fracti reformidant Orientis populi, Aſſyrii, Perſæ, atque Armenii: cujus vim atque arma, ipſi quoque Scythæ ſæpe jam ſenſerunt, & qui ſuis ex altera parte caloribus tuti eſſe poterant, Æthiopes. nam de noſtra Europa quid dicam? captum vidimus Belgradum, obſeſſam Viennam, & prædas Lintzio uſque abactas, tantos progreſſus ad noſtram perniciem, præter alias victorias, unus Suleimannus facere potuit. Noſtrorum regum eſt, pro terræ ceſpite, ab ſtirpe ultima ad ſeros uſque nepotes inter ſe bella continuare: Othomannorum ſinguli (utinam ne tam vere quam dolenter dicam) ſuis victoriis regna regnis ſemper accumularunt; ita ut quantum olim florentiſſimæ nationes imperiis ſuis complexæ ſunt, Aſſyrii, Perſæ, Macedones, Romani, ſoli ſua ditione tenere videantur. Et neſcimus adhuc, quo verſemur in peri-

periculo? quod mare, qui montes, quæ solitudines, aut qui populi in medio relicti, quorum præsidio nos ab horum injuria tutos fore speremus? amissa, prostrata omnia. hærent in cervicibus nostris, quos procul perhorrescere debebamus. patriæ sanguine atque ultimo spiritu litandum est hosti cruentissimo. nam ne id quidem solatium supereſt, quod fere solet in gravissimis mortalium cladibus, ut cum bona spe simus, hæc mala non fore diuturna. sæpe barbaræ nationes, multis provinciis, tanquam subita aliqua procella, gravem calamitatem intulerunt: sic Gotthi, Wandali, Alani, Hunni, Tartari multas regiones inundarunt, magnisque cladibus afficerunt. quæ tamen eo tolerabiliores videri potuerunt, quod certa spes perpetuas non fore relinqueretur. itaque postquam illa veluti tempestas præterierat, quæ afflicta imo pene deleta videbantur, mox recreata revirescebant, sed hic hostis ea est vigilantia, eam servat disciplinam, ea utitur in conservandis iis, quæ sibi adjunxit ratione; ita regnat, ac dominatur, ut ubi semel vestigium fixerit, inde se moveri non patiatur; nunquam se attollat seges, quam semel illam calamitas depressit: adeoque difficile dictu videtur, sit ne in acquirendo felicior, an in tuendo, quæ acquisierit firmior. Tanto igitur in periculo positi, cur non consulimus in medium, cur non molimur, non omnia tentamus? cur stupet in nobis ingeniosa illa necessitas, admirabilium effectrix operum? Feras equidem videmus, extremo casu deprehensas, quam multa pro sua libertate fortiter conentur, nihil non audeant, omnia periclitentur: si quam forte evadendi viam invenire possint denique vitam citius quam libertatem amittant. Sed hic fortasse dicit aliquis: Quid est ergo tui

consilii? nam præsentem rerum statum deplorare, de periculo atque imminentibus malis declamare, cuivis facile est: remedio est opus. id exquiritur. de eo dic, si quid habes, dicam & quidem paucis. Armis opus est: opus est armis contra vim atque arma, sine armis fieri nihil recte potest. horum præsidio salus patriæ munienda, aut nobis omnibus ad unum pereundum. nullum hoc verius oraculum. Sed Dii meliora! arma capessamus potius; quæ quidem non intimis terræ visceribus abdita latent, &, si laterent, magna quavis molitione ernenda essent, neque aliunde procul ex ultimis terris arcessenda: sed sunt parata, sunt in promptu; sunt, si velimus, in manibus, nascuntur etiamnum apud nos viri. est copiosa juventus, bello apta, pro patria, pro aris & focis sanguinem fundere parata. non equi, non ferrum; non aurum, non opes, non machinæ tormentaque, non reliqui ad bellum apparatus desunt. omnia quæcunque ad res magnas & suscipendas & conficiendas requiruntur, nobis larga manu suppeditavit divina benignitas: modo ne sumere recusemus. voluntas (inquam) nostra & manus tantum desiderantur. quas mature admoveamus, dum justæ adhuc vires supersunt; antequam debilitata ruant omnia; alioqui sero & nequicquam consilia prætermissa respectabimus, nobisque idem evenit, quod ægrotis, qui dum tempus est, & vires sunt integræ, ad medicinæ mentionem nauseant, neque possunt ulla ratione adduci, ut salutaribus in tempore potionibus utantur: sed ubi opportunitas præterit, morbusque adeo invaluit, ut debilitatis viribus medicamento non sit locus, frustra medici fidem neglectaque remedia requirunt. Quorum exemplo nobis cavere debemus, & antequam

pluri-

pluribus illatis vulneribus nos hostis plane conficiat, dum plaga nulla lethalis est, dum nondum omnis profluxit sanguis, remedium in tempore adhibere, hoc est, arma expedire, totosque nos ad defensionem comparare. Quæ meditantes atque agentes, Deo rite supplicabimus; eumque preces nostras haud aversaturum merito sperare poterimus. Quod si per simulationem pietatis, inertiæ nostræ velificari volemus, & male quæsito compendio à Deo sine opera, sine studio, sine labore nostro, impendentibus malis opem solis precibus impetrare: ne ille injustæ petitioni nostræ se haud facile æquum præbebit, ipsi inprimis nostro fungamur officio: & partes diligentiæ, constantiæ, virtutis & fortitudinis, in hunc potissimum usum ab eo nobis datas, impleamus. nisi aret, serat, ac metat agricola, frustra à Deo copiosam messem postulet. certum in istis rebus inferioribus ordinem statuit Deus, quem haud temere neglectum vult: labori, diligentiæ, assiduitati, solertiæ, virtuti multo præmia proposuit, negavit inertiæ. Vis scire literas, Musicã, Astronomiam, Mathemata: discе, labora, nervos contende: hæc otioso tibi nullum inspirabit numen: per eam vitam eosque gradus quos Deus posuit, tibi persequenda sunt. instrumenta ad ea consequenda, modò tibi ne desis, largitus est, ea adhibe, iis utere: dabit ille benedictionem, & incrementum. Vis tueri patriam, hostem profligare, potiri victoria? non hoc consequeris sedens, non iners, non otiosus: insurgendũ est; arma capienda, tractanda, adhibenda exercitatio: assuescendum est labori, soli, pulveri, siti atq; inediæ. his armatus atque instructus, divinam opem implora. atque ita bonæ spei plenus, procede in aciem, munere tuo functus es, iis instrumentis quæ tibi

bi Deus dedit rite usus es. servasti ejus ordinem, neque positas ab eo leges contempsisti. rei exitum piis precibus, vitæque integritate ejus clementiæ & bonitati commenda. Non est nostri arbitrii neque facultatis victoria; sed Dei solius beneficio contingit, cujus tamen non legitime neq; ordine petentem haud sæpe compotem fieri videmus; & si secus quandoq; fiat (quod sane fit rarissime) id tribuendum est miraculo. At nos DEUM tentare non debemus, neque temere quicquam conari. Nec male, meo quidem judicio, Cato apud Sallustium, Senatum adhortatus, ut contra Catilinam arma capiat, his verbis utitur; *Scilicet res aspera est: sed vos non timetis eam. imo vero maxime, sed inertia & mollitia animi, alius alium expectantes, cunctamini, videlicet Diis immortalibus confisi, qui hanc Rempub. sæpe in maximis periculis servavêre. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur. Vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores: irati, infestique sunt.* Nos ergo, quod est partium nostrarum, exequamur; eodemque tempore non injustis precibus divinam opem atque misericordiam imploremus, armati, in castris, in opere atque negotio. Sed occurritur mihi à bonis atque prudentibus viris; istam publicæ calamitati medendi rationem, aliquoties tentatam minus feliciter evenisse, nosque quoties ad arma & manus cum Turcis ventum sit, inferiores discessisse. Audio: neque nihil est quod dicitur, atque eo ut veniremus, hæc fere mihi erat instituta oratio. Armis (inquis) contra Turcam hactenus parum profecimus: esto, sed quibus tandem armis; hoc nos expendere, & in eo aliquantum morari est operæ-

operæ pretium. Quum Turca fines noſtros infeſtare aut cum numeroſo exercitu ad nos aſcendere nunciaretur; dedimus operam, ut nos quoque copias cogeremus. ſed quas copias, quem militem coegimus? num veteranum? num eum cujus virtutem multis jam ante documentis cognitam habebamus? quo vincere conſueveramus? non opinor, ſed potius huic diſſimilimum. Pulſata longe lateque tympana: ad eorum ſtrepitum convenere, lucelli ſpe, quibus viſum eſt. tertius fortaſſe quiſque qui loricam aut thoracem nunquam induerat, nec hoſtem vel à belli limine ſalutarat. reliqui quales? homines luxu perditi, decoctores ganeones, aleatores, obærati, exules, atque his ſimiles (paucis exceptis) fere reliqui, quos eo perduxit non patriæ charitas, non æquitas cauſſæ, non religionis ſtudium, non amor exercendæ virtutis, ſed ebrietatis, aleæ, rapinarum, ſacrilegiorum, ſtuprorum, & (ut uno verbo dicam) ſcelerum & flagitiorum omnium impunitas atque licentia. Cum hujuſmodi turba, nullo delectu collecta vel potius dum fece perditorum hominum, Deo pariter atque hominibus inviſorum, contra hoſtem, ſacrum videlicet auſpiciamur bellum. itaque non tam militum conventus quam Bacchanalia, noſtra caſtra videri poſſunt: ubi luxuria, corruptelis, libidine, impietate, crapula, tumultu, rixis atque cædibus, ſtrepunt & permiſcentur omnia hic tamen tam bellus miles, magnis impendiis, procul eſt è ſuis ſedibus excitandus magnaque cum jactura temporis, ubi etiam res ſummam celeritatem exigit, perducendus. Fortem & aſſuetum laboribus Hannibalis militem, Campaniæ luxus & delitiæ fregerunt. nobis nulla opus eſt Campa-

nia

nia; imbelles. enervati, perditi in castra venimus. Itaque si hostis desit, mora paucorum mensium, aut Caniculæ fervor, aut primorum frigorum morsus, quantumvis magnas copias nostras mactant & jugulant. & nos miramur, cum hoc tali milite, nihil nobis contra exercitatissimum hostem procedere? Si quas privatim paulio periculosiores simul rates gerimus aut per loca latrociniis infesta nobis faciendum sit iter; non temere, nisi spectatissimis comitibus, corporis nostri custodiam committimus: sed nec si gravioris quicquam negotii incidit, id nisi hominibus experientibus & peritis mandare solemus. Hic ubi tanta res, communisque omnium salus agitur, tam sumus negligentes, ut copias non modo non idoneas, sed jam pene profligatas antequam in aciem producantur, hosti tot victoriis claro objicere non vereamur. Revertor itaque eo, quod initio dixi, aut idoneorum armorum præsidio publicam incolumitatem tuendem, aut nullam relinqui quæ nos ab universo exitu vindicare possit. Quem igitur militem requiro? Nostrum inprimis; in nostris sedibus natum; nostris popularibus delectum. nam cum in rebus bellicis plurimum valeat celeritas, eaque vel maxime contra Turcam hostem expeditissimum, necessaria sit; milite opus est eo, qui non procul arcessendus, diuque expectandus sit: sed sit in promptu & tanquam ad manum, semperque nostræ potestatis. Atque hunc non temere, neque casu oblatum, sed percensitis omnibus qui arma fere possunt, magno judicio delectũ. in quo maxime cavendum, ne is elegatur, qui molliori cultui atque victui assueverit, aut quem prava educatio vitiis infecerit, aut fregerit otium; ne vecors, ne insanus, ne contumax,

tumax, ne turbulentus, ne seditiosus, sed sit adhuc à deliciis integer, aptus tolerando labori & cum bono corporis habitu, qui simplicitatem, probitatem, animique magnitudinem quandam, toto vultu atque omnibus oris lineamentis præ se ferat ac spiret. qua de caussa, arti alicui laboriosæ, quam sedentariæ assuetum; rusticum quam urbanum; in monte quam in planitie; in re tenui, quam in mediis divitiis natum malim. Hunc ita electum, militaribus præceptis armorumque scientia erudiri velim. Armatus hastam vibrare & versare, gladio item, & minore bombarda scienter uti, servare ordinem, & sub armis ad multum spatium decurrere consuescat, veram laudem, appetere, flagitium peius letho odisse, pietatem colere, & ab omni in Deum verborum contumelia sibi temperare discat. idem dicto audiens sit suo duci, ejusque animadversionem patienter admittat: in hostem ferox in commilitonem lenis & tractabilis. victus parsimonia neque crapulæ neque ebrietatis suspicioni locum relinquat. postremo suo stipendio contentus, atque ab omni præda, præterquam concessa, se abstineat. hujusmodi disciplina informari militem oportere dico, qui contra tantum hostem possit consistere. neq; tamen eum statim in aciem duci, aut de summa rerum, tyronem cum veterano, velim decernere: sed in stativis præsidiisve eum collocari, & excursionibus, levioribusque præliis, paulatim in belli consuetudinem venire. Qua ratione vulnus pati, hostis conspectum fere, & timorem (quem omnis novitas afferre solet) sensim deponere consuescat. hoc ita instituto & confirmato; non contemnendum ad spem melioris fortunæ factum affirmare audebo. Quare in eo vel potissima laboris & curæ

pars

pars ponenda, ut homines armorum & rei militaris peritissimi conquirantur ; à quibus ii, quos dico, tyrones veris & germanis disciplini militaris præceptis formentur. Hos summa virtute, continentia, & sobrietate præditos, nullis avaritiæ sordibus, contaminatos requiro ; ut non modo hanc sobolem, in communis salutis spem succrescentem, arte militari imbuant ; verum etiam vitæ & integritatis exemplo, ad omnem virtutem erudiant : utque eorum fidei, hic noster exercitus, cum eum in hostem tempus evocabit recte committi possit. quibus sane ducibus periculum non erit, ne falsum militum numerum referentibus, publicum fraudetur ærarium. ex quo communium præfectorum scelere hodie fieri videmus, ut quantumvis amplæ, Regum opes alendo paulo diutius exercitui non sufficiant : & sæpenumero ubi acie confligendum sit, magnum adeatur periculum, dum imperatores ea ducum relatione decepti, se copias numerosiores habere quam res sit ; credunt. Sed antequam longius progrediar hic locus postulare videtur, ut quorundam bonorum virorum sententiæ respondeam ? quorum cum omnis intelligentia ejus seculi atq; regionis, in qua nati sunt, finibus circumscribatur, neque longius sit evagata, hæc dici vehementer admirantur, eaque ut nova & inusitata, quæque ad effectum perduci nequeant, rejiciunt. Nostri, inquiunt, majores, eo milite, eaque qua nos utimur, rei militaris ratione contenti, præclare multa gesserunt. fateor, sed gesserunt adversus eos, qui in eadem pravitate iisdemque vitiis versabantur. fuit ex hac parte exercitus inexercitatus, collectius, externus, imbecillus, disciplinæ expers ; fuit & ex altera, itaque inter

inter pares neque vitia valde eminebant, & parvo sæpe cum discrimine discedebatur. ut si duo mutili, duo cæci, duo claudi concurrant, haud magnopere in altero membrorum integritatem requiras at si cum manco integrum, cum cæco videntem, cum claudo rectum committas. mox conditionis inæqualitas apparebit. Nobis inter nos, cum vicinis & pæne popularibus nostris, errare licuit: paria enim vitia non magnum inter utrosque discrimen constituebant. sed nunc alia res est. etenim negotium est nobis cum Turca hoste vigilanti industrio, sobrio exercitato, laboti assueto, rei militaris scientissimo, disciplinæ observantissimo. Quæris quid ista valeant? à finibus Persiæ ad Viennæ usque mœnia omnia devicit. Quid nostra arma cum hoc collata possint, utinam ignorare nobis liceat, neque quotidianæ clades tanto nobis documento sint. & dubitamus adhuc, utrum vitia nostra emendemus potius, quam defendamus? At sunt nova, sunt inusitata, quæ proponimus. Nimirum quia novus & peregrinus hostis, cujus vis & usus armorum, nihil vulgare, nihil commune, nihil remissum patitur. Fuerunt quondam sudor Anglicus, & lues Gallica, morbi peregrini & incogniti: quos cum medici longe lateque vagantes usitatis & communibus medicamentis reprimere conati essent, neque quicquam proficerent; tandem multorum pernicie edocti, novis remediis, adversus novas ægritudines, sibi pugnandũ intellexerunt. quod quidẽ adeo feliciter cadebat ut uterq; morbus qui antea invictum se præstiterat, mox cederet, & in ordinẽ redigeretur. Quod medicorũ institutũ proponere nobis ad imitandũ debemus, & cum ad reprimendum Turcarum impetum, frustra

stra his temporibus usitata adhibuerimus arma; ad aliam armorum rationem transire, & novis malis nova remedia applicare. Quanquam minime sunt ista nova, sed antiquissima potius quibus populus Romanus tanta cum laude totum, terrarum orbem ditionis suæ fecerit: tantumque abest, ut hac nostra ætate inusitata sint, ut hostis, de quo nunc maxime est sermo, nulla alia ratione, cum nostram salutem in dubium quotidie vocet, tum ditionis suæ terminos cum imperio Romano pœne jam nunc adæquarit. Quibus de rebus paullo copiosius dicam infra, ubi istis iisdem ad eam, quam sibi animis fingunt, difficultatem respondero. Etenim ita fere hujus molliſſimi seculi moribus receptum est ut res quæcunquæ quantumvis preclara, quantumvis utilis, modo in exequendo aliquid difficultatis præferat, pro ea habeatur, ac si perfici nullo modo possit. qua animi imbecillitati illi (quos dico) adducti cum inusitatis armis nihil esse præsidii satis sint experti, ab eo vero, quam probamus, belligerandi ratione, difficultate absterreantur; eo subinde relabuntur, ut imminentem capitibus nostris pestem, non aliter depelli posse credant quam pace aut induciis quacunque ratione cum hoste pactis. à qua sententia, tanquam à Jovis ara, aut statua imperatoris, avelli se non patiuntur. Itaque facienda putant omnia, quo in aliqua parte pacis cum Turcis, seu prece seu pretio, seu quacunque indignitate hæreamus. neque animadvertunt in rebus difficilibus, hanc unam esse vel difficilimam, quæ omnium minime sperari possit. Quid enim tam capitalis hostis tantum terrarum immensus, tot exhaustis laboribus ut ad nos pervaderet, ubi se jam voti compotem factum videat, in tanta materia laudis,

in

in tanta prædæ opportunitate, tanta imperii, tanta religionis propagandæ occasione, subito velut attonitus consistat, neque longius progredi curet? Quod si qua pacis spes sit; quis adeo demens sit ut bello cum hoste tam potenti contendere malit? aut adeo cæcus ut certæ paci dubios incerti Martis eventus postponendos non videat? Sed non ea res agitur. neque enim alterutrum nobis liberum relinquitur. Ad bellum omni spe pacis sublata cogimur. nullæ hic consilii, nullæ arbitrii nostri partes. vis necessitatis omnia occupavit. Ad bellum violenter rapimur: bellum nobis vel invitissimis subeundum, gerendum, exantlandum. Quid frustra obnitimur? quid circumspectemus? quid vanis pacificationibus somniandis nos decipimus? in medium nimirum flamma, otium nobis falsa cogitatione fingimus; malumque cujus (si advigilaremus) remedia aliqua esse poterant. differendo nutrimus; & parum providendo, reddimus insananabile. At præclarum est belli mala distulisse. præclarum nisi id eo valeat, ut paulo post gravius erumpant; nosque certius pereamus. ut si medicus dum blanditur ægroto necessaria remedia differat, atque ex eo morbus ita ingravescat, ut brevi mors consequatur. nam nostras quidem res haud exiguis momentis, quotidie deteriores fieri videmus, hostis vero è contra indies magis invalescit; & præterquam quod de nostro semper aliquid decerpit, quod adjungat suo, non desinit interea viam ad nos munire & complanare, omniaque comparare, quæ ad exitium nostrum maturandum pertineant; ut cum amotis omnibus, quæ moram aut impedimentum adferebant, visum ei fuerit, alienissimo nostro tempore, classicum canere: nos

alta

alta quiete sepultos, ac proinde à rebus omnibus imperatos, ipse paratissimus, intolleranda belli mole, derepente obruat. huc ejus omnia spectant consilia hoc unum assidue molitur & agit. quo demum tempore, & tamen sero, nos in eum locum deductos intelligemus, ut nulla spe auxilii reliqua inevitabili exitio, nobis pereundum sit. & hic erit morarum nostrarum & intempestivæ cessationis fructus. Quare etiam atque etiam dum tempus est, & res patitur, providendum moneo; ne falsæ spei præstigiis obcæcati, nos inertiæ & desidiæ tradamus. qua ex re quantas jam clades subierimus; cum meminisse possumus, tum ultimam reipub. ruinam appropinquantem prospicere. Ergo & indicio utendum est nobis acri, ne in re tanta hallucinantes, falsa pro veris remedia, periculosissimis malis admoveamus: & cum rationibus omnibus subductis, quæ spei summa residua sit, deprehenderimus; hanc unam omissis reliquis complecti, ad eamque omni studio incumbere debemus. In quo non labor, non difficultas, non novitas, nec quicquam eorum, quæ segnes & infirmos animos morari solent, nos merito retardaverit: ingentibus animis, pro rei magnitudine, est opus. nihil humile, nihil abjectum res tanta requirit: supra seculi nostri captum nos efferamus necesse est; & eorum heroum virtutem paulisper referamus, qui fortitudinis & constantiæ magnitudine, quosvis labores superarunt, qui nihil turpius, nihil se indignius duxerunt, quam ullius difficultatis aut impedimenti magnitudine deterreri, quo minus id quod cum Reipub. dignitate & commodo conjunctum esse statuissent, ad exitum perducerent. Quorum è numero unum silentio prætereo Lycurgum Lacedæmoniorum legisla-

legislatorem non possum; qui cum inter reliqua instituta (quibus optime constitutam & fundatam Spartanorum rempub. relinquere in animo habebat) bonorum æqualitatem in eam civitatem introducere; eaque de caussa rem possessionesque omnium ex æquo partiri vellet; ut quantum diutius detraheretur, tantum accederet tenuioribus; nullumque, nisi nisi quod virtus faceret, inter cives discrimen esset: in eo multos habuit adversarios, præsertim illos, qui facultatibus, pecunia & divitiis præstabant, etenim indigne ferebant rem à majoribus traditam, aut suo labore quæsitam, sibi eripi, & ad alienos possessores transferri. cumque ea res & injusta & absurda haberetur, fiebat ut ejus legis perferendæ magna difficultas Lycurgo objiceretur. sed illo nihilominus in sententia perseverante, & quod rectum & reipub. esse salutare in animum induxisset, perficere contendente, variæ quotidie rixæ periculosæque concertationes miscebantur; in quibus denique Lycurgo alter oculus effoditur. poterat ea res bonum virum satis admonere, quantam rem quamque arduam suscepisset, ac proinde deterere, ne persisteret in incœpto; sed potius rei infeliciter tentatæ, tanto accepto malo consilium deponeret. Quod sane longe secus accidit, tantum enim abfuit ut ille heros ob eam calamitatem desisteret, ut ei potius animum addidisse videretur, multoque ardentius in causam incumberet. Itaque non conquievit ante, quam legem quam rogarat, de bonorum æqualitate, omnium consensu perferret. Quo veluti fundamento reliquorum præclarissimorum ejus institutorum, talem rempub. constituit, ut Græcia nullam habuerit parem, nomenque ejus etiamnum hodie summa eum admira-

admiratione virtutis celebretur. fecit hoc ille, nullo imminente Turca, nullo vastitatem interitumque rerum omnium intentante. & nos, hoc rerum statu, gravius aliquid aut difficilius, quam ut subire velimus, videri nobis patimur, in quo salutis nostræ summa posita sit? Pellenda est nobis ex animo ista segnities prorsus nobis, nomine nostro prorsus indigna; & reliquis cogitationibus, vanis & fallacibus, omissis, sub unius (secundum Deum) rei militaris præsidium confugiendum. Romani cum gravior casus incideret, unde mali aliquid timeretur, ibant ad saga, servabant justitium, consulibus denunciabat Senatus, *Viderent ne quid Resp. detrimenti caperet*. Nobis multo magis idem faciendum, quibus non tantum non ê communi Reipub. detrimento, verum ab universa ejus ruina periculum impendet. eundum est, inquam, nobis ad saga; arma capienda, tractanda, meditanda. Disciplina militaris depravatissima corrigenda, revocanda vetus & integranda. hoc unum justitio veluti indicto, hoc est, clausis pœne tabernis & reliquis rebus posthabitis, ardentissimo studio nobis agendum perficiendumque: si modo rempub. si nos, si libros, si conjuges, si denique aras atque focos salvos & incolumes velimus. Quid enim, si Turcarum arma prævalueriut, nobis reliqui futurum est? certe non pudor, non honestas, non dignitas, non libertas, non religio, nulla unquam gens non vilius periclitata est. Extremum, crede mihi, malorum est, vinci à Turca. nihil erit quod illo victore (quod utinam ne tam sit in propinquo) rapi, agi, ferri, dissipari, incendi, conculcari, & profanari non videamus. Quod ut ne videamus ac ferre cogamur, ad saga potius, & ad arma eamus, & (ut Probus inquit) *militemus*.

mus, qui cum esset renunciatus Imperator, multaque damna, quæ iis temporibus Rom. Resp. acceperat. rei disciplinæque militaris corruptelæ referret accepta, cui emendandæ imprimis studendum duceret. in hujus rei argumentum hanc primam tesseram militibus suis dedit. Nec vero minus ille re præstitit, quam verbo ostenderat. si quidem exiguo tempore adeo profecit, remque militarem pœnam totam prolapsam ita restituit, ut nomen Ro. quod plerisque gentibus contemptui esse cœperat, amplitudini & majestati suæ denuo redderetur. Cujus exemplo militemus & nos, armaque, quæ vetustate & vitio temporum, obtusa & ærugine corrupta habemus, multo studio ad pristinum nitorem, bonitatemque revocemus. A quo (ut dixi) cum labor & difficultas nos avertere non debent; tum vero minime omnium sumptus reique familiaris diminutio. ubi enim sumptum ponemus rectius quam ubi vitam ipsam impendere, grave nobis videri non debet? aut qua in re bonorum nostrorum partem melius consumemus, quam ut caput & summa collocentur in tuto? Boni certe patres familias nulli sumptui, neq; impensæ parcunt? nullum claudendi, sepiendi. munieddive finem faciunt, dum res & possessiones suas in tuto constituant: quas se instabiles & caducas habere arbitrantur, quandiu eas fortuitis casibus. incursionibus latronum, aut furum insidiis expositas habent. naturæ quoque sæviente tempestate potius quam navem fragant, & de vita in dubium veniant, quamvis pretiosarum mercium jacturam facere malunt. Sed nec medici aliquot humani corporis partium jactura reliquorum membrorum & totius corporis incolumitatem redimere dubitant. Enim vero

quid

quid est quod quisquam tali hoste vicino, ullam cujusquam rei possessionem stabilem, aut diuturnam promittere sibi possit? cum singulis momentis expectanda sit dies, qua vicini improbitas cuncta eripiat, contraque omnium edicta prætorum ad se transferat. Quid seris? quid metis? quid colligis ac recondis? cum non minus tua omnia, hostis sua numeret, quam quæ Asiaticis, quæ Græcis, quæ Thracibus, quæ Bulgaris, quæ Illyricis, quæ Hungaris (ut alios populos taceam) jam diu erepta possidet? Neque enim opes, facultatesque nostræ sine justo militum (quos dico) præsidio, illius avaritiæ minus patent, quam pateat furibus, nullo custode, nullis clavibus, in publico projecta vis auri, aut pretiosa supellex. Quod si inopiam dementiæ prætexere & paupertatem ementiri juvat: videamus ne nostro interitu, nostrisq; spoliis dives factus hostis, magna cum nostra infamia, mendacii nos redarguat. sed tamen eos sumptus non requiro, quos magnopere parcimescamus. quos quidem extra belli tempus minimos esse velim: belli vero tempore mediocres: certe longe tolerabiliores, quam quibus vulgaris & tumultuarius miles conducitur. Qua ex re duo etiam consequantur commoda: unum, ne pecunia extra ditionis nostræ fines eliminetur; alterum, ne tribunorum & præfectorum nefario quæstu locus sit. quibus hodie per fædissimum peculatum, cum summo Reipub. damno locupletari, præclarum stratagema habetur. Sed hæc alterius sunt loci: neque enim in præsens, particulatim de singulis, sed summatim tantum, quid hac de re universa sentirem, significandum mihi esse statui. Ergo imitemur in Reipub. communique salute munienda pop. Rom. prudentiam; qui semper præsidio militum

tum ex suis hominibus delectorum imperium suum, Remque pub. & privatam tutatus est, neque enim ille aut irrumpentium Gallorum ferocitati par, aut bella subinde renovantium Italicorum pertinacia superior esse potuisset, aut tam fortiter adversus vim Annibalis integrum imperium conservasset, aut de Philippo, deque Antiocho triumphasset, nisi suum & proprium militem habuisset; eamque quam dico, in eo instituendo rationem secutus fuisset. Qua de re tota tempus est, ut copiosius exponam: quo magis perspicuum sit, nihil me novi introducere; utque nobis exemplum propositum sit, quod sequamur. In quo quidem omnes, qui de rebus Romanis scripserunt, consentiunt, passimque apud eos videre est, quantum curæ Romani posuerint in tyrone deligendo, instituendo, & exercendo. Sed ego ne sim prolixus multis auctoritatibus colligendis, utar compendio; uniusque antiqui moris & disciplinæ militaris gravissimi auctoris Vegetii testimonio ero contentus; qui ea quæ sequuntur diversis in locis, in libris De mil. Rom. institutis ad Cæs. Valentinianum scripta reliquit. *In omni prælio non tam multitudo, & virtus in loco, quam ars & exercitium solent præstare victoriam.* Nulla enim alia re videmus pop. Rom. sibi orbem subjecisse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, usuque militiæ. quid enim adversus Gallorum multitudinem, paucitas Rom. valuisset, quid adversus Germanorum proceritatem, brevitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed etiam viribus corporum nostris præstitisse, manifestum est. Afrorum dolis atque divitiis semper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci, nemo unquam dubitavit. Sed adversus

omnia profuit tyronem solertem eligere: Jus (ut ita dixerim) armorum docere disciplinam, quotidiano exercitio roborare; quæcunque evenire in acie atque in præliis solent, omnia in campestri meditatione pernoscere; severe in desides vindicare. *Scientia enim Rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. nemo facere metuit quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior est: rudis & indocta multitudo exposita semper ad cædem.* Si quis igitur pugna publica superare barbaros cupit, ut divinitatis nutu, dispositione Imperatoris invicti, reparentur ex tyronibus legiones, votis omnibus petat. Intra breve autem temporis spatium, juniores diligenter electi, & exercitati, quotidie non solum mane, sed etiam post meridiem omni armorum disciplina, vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum subegerunt, facile coæquabunt. Nec moveatur Cæs. tua Majestas, quod olim consuetudo est mutata, quæ viguit. Sed hujus provisionis ac fœlicitatis est perennitas tua; ut pro salute Reipub. & nova excogitet, & antiqua restituat. Omne opus difficile videtur antequam tentes. Cæterum si exercitati & prudentes viri delectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter institui. quidvis enim efficit solertia. neque longitudo ætatis aut armorum numerus artem bellicam tradit; sed continua exercitationis meditatio. *Post quanta volueris stipendia inexercitatus miles semper est Tyro*, &c. Nunquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio & calore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, ducatis ad omnem

nem laborum tolerantiam membris. cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est. *Et nescio etiam quomodo minus timet mortem, qui minus deliciarum novit in vita.*

Nunc qua ætate milites legi conveniat, exploremus. Equidem si antiqua consuetudo servanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam, nullus ignorat. *Non enim tantum celerius sed etiam perfectius imbibuntur quæ discuntur à pueris.* Deinde militaris alacritatis saltus & cursus, ante tentandus est, quam corpus ætate pigrescat. Velocitas enim est quæ percepto exercitio, strenuum efficit bellatorem. Adolescentes legendi sunt; sicut ait Salustius. Nam primum juventus simul ac belli patiens erat, in castris per laboris usum militiam discebat. melius enim est ut exercitatus juvenis caussetur ætatem nondum adveniſſe pugnandi, quam doleat præteriiſſe. Habeat etiam spatium universa discendi. *Neque enim parva aut levis ars videtur armorum*, sive equitem, sive peditem, sagittarum arte velis imbuere, sive scutatum, armaturæ numeros omnesque gestus docere, ne locum deserat, ne ordines turbet, ut missile, & destinato ictu, & magnis viribus jaciat; ut fossam ducere, sedes scienter figere norit, tractare scutum & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. Huic taliter instituto tyroni, pugnare adversum quoslibet hostes in acie, formido non erit sed voluptas. Sed qui delectum acturus est vehementer intendat, ut ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bellatoris. Namque non tantum in hominibus, sed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indiciis. &c. Sit ergo adole-

scens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed nervorum duritia collectis. Cum hæc signa in tyrone deprehenderis; proceritatem non magnopere desideres. Utilius est enim fortes milites esse quam grandes. Sequitur, ut cujus artis tyrones vel eligendi vel penitus respuendi sint indagemus. Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesque qui aliquid tractasse videntur ad gynæcea pertinens, longe arbitror pellendos à castris. fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & cervorum aprorumque venatores conveniunt societate militiæ, & hoc est in quo totius reipublicæ salus vertitur, ut tyrones non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimi deligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione consistunt. Nec leve putetur hoc officium, aut passim quibuscunque mandatum, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum in Sertorio præcipue constat esse laudatum. Juventus enim, cui defensio provinciarum, cui committenda bellorum fortuna, & genere, si copia suppetat, & moribus debet excellere. honestas enim idoneum militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit esse victorem. quid enim prodest si exerceatur ignavus? si pluribus stipendiis moretur in castris? Nunquam exercitus profecit tempore belli; cujus in probandis tyronibus claudicarit electo. Et quantum usu experimentisque cognovimus, hinc tot ubique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusque legit; dum honestiores

stiores quique civilia sectantur officia : dum possessoribus addicti tyrones, per gratiam aut dissimulationem probantur, talesque sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligi convenit juniores. Sed hujus rei usum, dissimulationem longæ securitatis abolevit. Quem invenias qui docere possit quod ipse non didicit? Primi Lacedæmonii, experimenta pugnarum de eventibus colligentes, rem militarem quæ virtute sola vel certe felicitate creditur contineri, ad disciplinæ peritiæque studia revocarunt, ac magistros armorum juventutem suam, usum varietatemque pugnandi præceperunt. O viros summa admiratione laudandos! qui eam præcipue artem edisscere voluerunt, sine qua aliæ artes esse non possunt. horum sequentes instituta Romani Martii operis præcepta & usu retinuerunt & literis prodiderunt, &c,

Quantum in præliis Lacedæmoniorum disciplina profuerit (ut omittam cæteros) Xantippi declaratur exemplo: qui Attilium Regulum Romanumque exercitum sæpe victorem cum Carthaginiensibus non virtute, sed artis fere solo auxilio prostratis exercitibus cepit, ac domuit: unoque congressu triumphans bellum omne confecit. Nec minus Hannibal petiturus Italiam, Lacedæmonium doctorem quæsivit armorum, cujus monitis tot consules, tantasque legiones, inferior numero ac viribus interemit. *Ergo qui desiderat pacem, præparet bellum: qui victoriam cupit, militem imbuat diligenter: qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu. nemo provocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem fore si puguet, &c.*

Tempore hyemis de tegulis & scandulis, quæ si deessent certe de cannis, ulva, & culmo, & porticus tegebantur ad equites; & quædam veluti basilicæ ad pedites: in quibus tempestate, vel ventis aëre turbato sub tecto armis erudiebatur exercitus. Ceteris autem hybernis diebus, si nives pluviæque cessarent, exerceri cogebantur in campo, ne intermissa consuetudine, animi militum debilitarentur & corpora. Silvam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari sive flumine, gradu pleno ambulare vel currere, etiam armatos cum sarcinis suis frequentissime convenit, ut quotidiani laboris usus in pace; difficilis non videatur in bello. Sive ergo legio fuerit sive auxilia, exerceantur assidue. *Nam quemadmodum bene exercitatus miles prælium cupit, ita formidat indoctus. postremo sciendum est in pugna usum amplius prodesse, quam vires. nam si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat à milite.*

Omitto hic brevitatis caussa multa, quæ variis in locis ad eandem rem pertinentia, ab eodem Vegetio præclare dicuntur; & quemadmodum tyrones ad gradum militarem, & cursum, & ad palum, & usum natandi exerceri velit, præterea ut potius punctim quam cæsim ferire, ut missilia destinato ictu lapidem item jacere, arcu scienter uti, pondus grave portare, decurrere, servare in acie ordinem, castra solerter munire discant. quæ qui velit, apud eum videat: mihi hoc unum quod sequitur caput epilogi cujusdam instar, adjecisse sat erit.

In delectu atque exercitatione tyronum si quis diligens velit existere, ad antiquam virtutis imitationem facile corroborare poterit exercitum. neque enim degeneravit in hominibus Martius calor: nec effœtæ sunt terræ, quæ Lacedæmo-

cedæmonios, quæ Athenienſes, quæ Marſos, &c. progenuère. Sed longa ſecuritas pacis, homines partim ad delectationem otii, partim ad civilia traduxit officia. ita cura exercitii militaris, primo negligentius agi, poſtea diſſimulari, ad poſtremum olim in oblivionem perducta cognoſcitur. nec aliquis hoc ſuperiore ætate accidiſſe miretur, cum poſt primum Punicum bellum, viginti quatuor circulis & qnod excurrit annorum pax ita Romanos illos, ubique victores, otio & armorum diſſuetudine enervaverit, ut ſecundo bello Punico Hannibali pares eſſe non poſſent, tot itaque conſulibus, tot ducibus, tot exercitibus amiſſis, tuuc demum ad victoriam pervenerunt, cum uſum exercitiumque militare condiſcere potuerint.

Semper ergo legendi & exercendi ſunt juniores. vilius enim conſtat erudire armis ſuos, quàm alienos mercede conducere.

Ex his unius Vegetii ſcriptis, quibus omnium hiſtoricorum conſenſus accedit, ſatis conſtare arbitror, quæ fuerit olim apud Romanos rei militaris diſciplina, atque inſtitutio. Neque ea ſolum Romanis fuit, ſed & Perſarum ante fuerat, & nonnulla etiam ex parte Macedonum, & omnium denique populorum: qui claram nominis ſui memoriam ad poſteros tranſmiſerunt. Qua de re videat qui velit Xenophontem: hominem rei bellicæ peritiſſimum; quæ ſcribat de Cyri majoris, in militibus legendis exercendiſque ratione, ab ea quam modo dixi Romanorum conſuetudine haud longe diverſa. Quo quidem ille ita parato exercitu brevi tempore pœne totius Orientis imperium ſibi adjunxit. Arrianus etjam, haud ignobilis ſcriptor, concionantem in Macedones Alexandrum, eoſque ut beneficiorum immemores accuſantem, his verbis indu-

cit. Philippus pater vos errantes ac vagos, rerum omnium inopes, pleroſque etiam pellibus amictos paſtores, pro quibus cum Illyricis, Tribalíis, Thracibuſque finitimis, continue pugnabatis, in tutelam ac fidem ſuam recepit; ex montibus aſperis in plana & culta deduxit; pro pellibus chlamydes ornatas ferre dedit, armis inſtruxit; rem militarem docuit; ut non magis locorum munimentis, ac ſitu, contra finitimos, quam armis & virtute veſtra tuti eſſetis, &c. Quibus ex verbis ſatis apparet, quibus primordiis jacta ſint illius celebris rei militaris Macedonicæ fundamenta; nimirum ex hominibus agreſtibus, montanis & paſtoribus. Sunt etiam iis, quæ ſupradicta ſunt, conſentanea, quæ memoriæ prodidit Diodorus Siculus. Philippus, inquit, converſus ad emendandum militarem diſciplinam, curavit ut decentibus armis milites ſui inſtructi eſſent, ut meditationibus bellicis exercerentur. Excogitavit præterea ordinem illum phalangis, quæ Macedonum peculiaris fuit; ſumpto exemplo heroum qui clypeos clypeis conjungebant in bello Trojano. De his jam factis veteranis, deque eorum fortitudine ubi Alexandrum urbem Halicarnaſſum oppugnantem deſcribit idem Diodorus, ita meminit.

Veterani Macedones, qui per totum ætatis ſpatium, ſemper in rebus arduis, & periculoſis verſati erant, & ſub Philippo merentes frequenter victoriam conſecuti, ad ſummam fortitudinem ita provecti fuerant, prudentia & rei militaris cognitione, longe omnibus præſtantes, tyronibus pugnam detrectantibus, amariſſimis verbis ignavia exprobrata; ipſi in unum coacti conſertis ſimul clypeis, hoſtes, qui jam ſe viciſſe arbitrabantur, exceperunt, Ephialteque

teque & multis aliis interfectis reliquos in urbem fugere compulerunt, &c.

Horum militum virtuti devicti Orientis & tanti imperii gloriam, Alexander acceptam retulit. Sed jam eosdem (quos supra dixi) obclamantes audire mihi videor, aliam fuisse illorum, aliam nostri temporis esse rationem: illa jamdiu obsoleviſſe. puerile ac nugatorium esse, vetustate sepulta, in lucem & usum velle revocare: debere nos nostri seculi sapientia contentos esse. Ego vero, etsi possum ostendere, quod illis temporibus utile & fructuosum fuerit, non minus utile & accommodatum fore rebus nostris, tamen non agam multis rationibus cum iis, qui rationi non facile videntur daturi locum: sed ratiocinatione omissa ducam eos in rem præsentem, & veluti digito fontem commonstrabo. Rogabo itaque ex istis, qui cum ipsi nihil, quod opus sit facto, in medium adferant, tamen ne nihil sapere videantur, alienis consiliis impense detrectant. Nam militem Turcicum in militibus numerari patiantur? Ac credo equidem, qua sunt pervicacia, non facile assensuros: sed tamen si dubitent, ego pro eis respondere non dubitabo. Eum qui tantum terroris toti terrarum orbi intulerit, quacunque ingressus sit, tantam stragem fecerit, tantum trophæorum erexerit, jure militem censeri. rogabo deinceps, hic miles quomodo in militiam legatur, quomodo instituatur. Quod si se scire negabunt, dicam quæ ipse præsens vidi, quæ meo periculo didici. Militem Turcicum nihil aliud esse, quam hominem ita natum, ita lectum, ita informatum, & exercitatum, ut paulo ante de Romanis dixi, & à nobis contendo fieri oportere. nisi quod hic aliquanto deteriore conditione est. nam quod ad militem attinet; qui ituro

in expeditionem Turcarum principi, ultro se offert ac nomen dat, quem *Alcangiam* vocant, ei apud Turcas exiguus honor est. Is miles habetur in pretio, qui perpetuo ejus principis stipendia meret, quique certo judicio ac ratione in ejus principis legiones prætorianas relatus est. Cujus deligendi hæc fere ratio est. Mittit quotannis Turcarum princeps certos homines in diversas provincias, qui de paucis è Christianis hominibus natis, tertium aut quartum quemque legant. Horum puerorum gregibus Constantinopolim perductis, qui liberaliore sunt aspectu, aut ingenii majorem indolem præ se ferunt, ipsius Principis, aut Bassarum, aut aliorum Sattaparum domesticis usibus applicantur. Reliqui perducuntur in locum, in quem magna omnis generis hominum multitudo, præsertim rusticanorum, confluxit. Hi de istis pueris, ab eo qui ei negotio præest, quos visum est, poscunt. Ille accepto nummo aureo, puerum petenti tradit, prius nomine ejus, patria, & conditione pueri, item annis signisque quibus per omnem ætatem dignosci possit, in publicas tabulas relatis. Sic illi liberum est, sive agrestis sive urbanus sit, puerum trans mare in Asiam vel quocunq; terrarum velit, ubi domicilium habeat, abducere: ubi assidue, labore atque opere eum ut mancipium exerceat. Puero cibaria præbentur, panis, & aqua, & interdum, loco obsonii, pultis aliquid, aut fructuum, aut herbarum, vestitus suppeditatur, quo se adversus cæli injuriam tueri utcumque possit. Ad hæc disciplina & religione Mahumetana instituitur. Ita deliciarum nescius, procul à propinquorum blanditiis, in virum robustum, & cuivis labori ferendo parem adolescit. Hic cum est, opus, ab illo fiduciario hero reposcitur, & ad rem militarem traducitur.

atque

atque ex hoc veluti seminario, diminutis Gianizarorum legionibus, supplementum subrogatur. Ad Gianizaros rescriptus, primo meret menstruo stipendio, paulo plus minus, unius ducati cum dimidio. Id enim militi novitio, & rudi satis esse censent. Sed tamen ne quid victus necessitati desit, cum ea decuria, in cujus contubernium adscitus est, gratis cibum capit, ea conditione, ut in culina reliquoque ministerio ei decuriæ serviat. Sed eum rursus, qui est ejus decuriæ armorum peritissimus, præceptis militaribus erudit quotidianaque exercitatione, arma scienter tractare docet. ita robur, laboris patientiam, & usum armorum adeptus tyro, nec dum tamen suis contubernalibus honore neque stipendio par, unam in sola virtute, se illis æquandi, spem habet: utpote si militiæ quæ prima se obtulerit, tale specimen sui dederit, ut dignus judicetur, qui tyrocinio exemptus, honoris gradu & stipendii magnitudine, reliquis Gianizaris par habeatur. Qua quidem spe plerique tyrones impulsi, multa præclare audent, & fortitudine cum veteranis certant; itaque ampliore honestantur stipendio quod singulis mensibus octo ducatorum in Gianizaro summum est. Quem tamen si virtus, ac merita, ad altiorem locum vocent, aut ordinibus inter suos ducendis præficiunt, aut equitibus prætorianis, quos *Spahios* vocant, adscribitur. Qui supersunt ex iis pueris, quos supra dixi, Constantinopoli variis operibus exercentur. Itaque sæpe videas c c. aut c c c. purgare aream, amoliri rudera, ferre lapides aut tigna alia onera. otium nulli permissum, nec cui victus gratis constat. Hi similiter postquam adoleverunt, aut in terrestres aut in maritimas copias transferuntur. Et qui in principis aulam servitiumque lecti sunt, fere evadunt in viros prima-

primarios, maximisque muneribus, ut cujusque aut sors aut mores tulerunt. præponuntur, ex his supremi Gianizarorum duces, classium præfecti. Bellerbeghi atque ipsi denique Bassæ Visirii, deliguntur. his etiam in matrimonium ipsis Principis filiæ collocantur. Quibus me satis planum feciſſe arbitror, qui ſit ortus, delectus, diſciplina, atque educatio, iſtius toto terrarum orbe tantopere formidati militis Turcici. Neque tamen negaverim, patere item alios ad ordinem militarem aditus; ſed hæc ratio atque via, inter illos uſitatiſſima eſt. nam quandoque etiam militem legunt ex iis pueris, aut adoleſcentibus, quos excurſionibus, aut bello nobis indicto captos, intra clauſtra domoſq;, quas *ſeraglia* vocant, multos annos incluſos habuerunt. In quib. poſteaquam omnem memoriam, ſenſumque patriæ & rerum noſtrarum, ac præſertim religionis depoſuiſſe, atque in ludis, cum Arabicarum literarum, tum armorum Turcicorum, ſub præceptoribus Eunuchis, ſatis magnos progreſſus feciſſe videntur, eos demum ſeptis illis emiſſos, cœlo reſtituunt, & ad ea rei militaris munera traducunt, ad quæ maxime videntur idonei. Baſſarum quoque atque aliorum purpuratorum ſervi, bello vel alia ratione quæſiti, in numerum militum ſæpe reponuntur. Nec tamen ex his, quos dixi, quiſquam ſine certo diſcrimine, judicioque recipitur. ſed explorata prius uniuſcujuſque corporis atque animi firmitate, ut tueri eum locum poſſit cui ſit aſcriptus. In quo ſane ſæpenumero ſum admiratus vim diſciplinæ atque inſtitutionis Turcicæ, cum viderem, homines apud nos contemptos, & abjectos paucis annis tantum profeciſſe apud iſtos, non modo ut gregarii militis nomen egregie ſuſtinerent, verum etiam, omnium Turcarum

rum judicio digni haberentur, quorum disciplina alii militiæ rudimentis imbuerentur. Fiebat enim nonnunquam, ut cum animi causſa de feneſtra in publicum proſpicerem, aſſidentes Turcæ quoſdam mihi commonſtrarent, quos propter armorum uſum, tyronibus inſtituendis præfectos dicerent. Rogabam qua gente aut qua natione eſſent oriundi. nam qui inter eos armorum opinione tantopere excellent, neſcio quos Parthos, Bactrianos aut Maſſagetas cogitatione mihi fingebam. Sed audiebam, hunc eſſe Hungarum, illum Croatam, tertium Germanum. mirabar equidem. verumtamen hanc tantam præſtantiam, ex uſu armorum, quæ apud nos tractaſſent, quod nobili loco nati, quod liberaliter inſtituti, quod militaſſent, proficiſci ſuſpicabar. Pergebam quærere, num ſcirent, quem illi apud nos locum tenuiſſent, quodve genus vitæ ſecuti fuiſſent. illi cum aliquantiſper cogitaſſent, in memoriam venire ſibi aiebant: hunc ſolitum dicere ſe neſcio coqui fuiſſe puerum, alterum ſe vitæ monaſticæ initiatum, illum vero cauponi promendo vino locaſſe operas. eoſque belli, vel induciarum tempore, interceptos, atque in reliqua præda, Conſtantinopolim perductos, in iſtius vel illius Baſſæ familiam perveniſſe. Hic ego etiam magis admirans, & quinam, inquam, fieri potuit, ut iſti evaderent in tantos bellatores? commemorabant dominos quibus illi obtigiſſet, domi habuiſſe viros inſignes, magiſtros armorum, magno judicio ſcientiaque rei bellicæ præditos, quibus (cum eos tum ex corporis tum ex animi ſignis, dignos judicaſſent quibus operam impenderent) in diſciplinam traditi eſſent ſub quib. brevi tempore tantum profeciſſent, ut omnes æquales ſuperarent,

rent, & non obſcuram futuræ virtutis ſpem de ſe darent. ſecuta deinde fuiſſe bella, in quibus navata ſtrenue opera eximiæ fortitudinis ab omnibus laudem, ac teſtimonium reportaſſent. hinc ad tantam auctoritatem perveniſſe. Quum hæc audirem, afficiebar non mediocri dolore, noſtros mores ab hac Turcarum conſuetudine tantum differre, hanc illis rationem invidebam. habent hoc omnino Turcæ, ut hominem nacti egregium, tanquam adepti rem pretioſam, vehementer gaudeant, neque in eo excolendo quicquam laboris aut ſtudii prætermittant: præſertim ſi ad rem militarem idoneum eſſe cognoverint. Noſtra longe diverſa eſt ratio. nam nos quidem ſi quem bonum canem, accipitrem, aut equum ſumus nacti, valde lætamur, neque ulli rei parcimus, dum illum ad ſummam in ſuo genere perfectionem perducamus. In homine vero ſi quem præclara indole nanciſci contigerit, non perinde elaboramus; neque eius inſtitutionem, ad nos magnopere pertinere exiſtimamus. ac nos quidem ex equo, cane, atque accipitre belle aſſuefactis, varias oblectationes, multiplicemque uſum capimus: ſed Turcæ ex homine bonis moribus informato tanto majorem, quanto reliquis animantibus, natura hominis præſtantior eſt atque excellentior. Jam vero ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror, non novum neque inauditum eſſe, quod de milite certo cum judicio deligendo inſtituendoque contendo; ſed cum ab ipſis Romanis, tum à cæteris gentibus, quæ imperia tenuerunt, aut armorum laude floruerunt, uſurpatum; neque rurſus adeo obſoletum, aut à noſtræ ætatis moribus tam remotum, ut ad uſum noſtrum revocari non poſſit: quandoquidem experiamur quotidie, quid exculta tali diſciplina

Tur-

Turcarum arma valeant, modo ne nos pigeat rei adeo necessariæ ab illis partem mutuari; quando illos tam multa, quæ ex usu suo essent, de nobis sumere non piguerit. quod si fecerimus; faxim profecto, ut brevi cognoscamus non minus ad salutem, nobis bonam disciplinam valere, quam hactenus ad nostram perniciem valuisse senserimus, Quæ quidem una restat, in hac periculosissima tempestate veluti anchora sacra, qua fluitantem Reipubl. nostræ navem retinere & servare possimus. Unaquæque res qua ratione paratur, eadem stabilitur & conservatur: ut regna atque imperia virtute militari, beneque instituti exercitus viribus quæruntur, eadem etiam ratione confervantur. si tollas arma, removeas militem, disciplinam negligas: mox aut per se regnum concidet, aut in prædam cedet finitimis: Ad regni majestatem conservandam, non tam diadema, aut sceptrum prodest, quam ferrum. frustra illo caput ornes, hoc dexteram, nisi gladio accinctum sit latus: nisi ferro muniatur, debile ac mancum fuerit omne imperium. neque ulla unquam diuturna potestas erit, quam arma non tutentur. Sed arma dico, non falso nitore, specieque fallentia, sed vera, sed solida, sed omni vitio expurgata. Quicquid corruptum est, atque à sua perfectione degeneravit; aut minimum adfert utilitatis, aut non modo nihil prodest, verum etiam nocet. quamdiu arma Romana, militari disciplina viguerunt; extremæ tum quoque orbis terrarum oræ, eorum legionibus patuerunt: sed postquam disciplina corrumpi, virtusque militum, neglectis veteribus institutis, remolliri cœpit, non modo maxima imperii pars amissa, sed ne ipsius quidem urbis Romæ mœnia suo præsidio

Quiri-

Quirites à cæde, direptioneque incolumes præstiterunt. Itaque tunc illa gentium omnium caput ac princeps civitas cunctis nationibus prædæ aut ludibrio fuit, non secus sua spolia atque exuvias repetentibus, quàm ab illo graculo Æsopico ceteræ aves suas plumas. Nobis vero eo minus tergiversandi occasio datur, quo mortiferum vulnus nobis propinquius imminet; quo magis viscera nostra, hostium telis nuda patent: nec ulla nobis præter hanc unam, ad spem salutis, via proponitur, quam superatis & perruptis quibuscunque impedimentis, si quicquam nobis rerum nostrarum charum est, sine dubitatione persequi debemus. Est ubi Reipub. moderatori, propter rei novitatem, propter præsentis seculi mores, propter civium captum & ingenium, aliasque item manifestas difficultates, ab eo quod erat rectissimum, nonnihil deflectere liceat. at in hujusmodi angustiis deprehensis, ubi patriæ excidium ante oculos positum sit, constanti animo eo præsidio quod solum ostenditur, salus ejus fulcienda est iis populi, quibus adhuc longæ sunt spes, quod ab hoc hoste procul disjuncti sunt, licet quibusvis, vel linteis (si velint) armis, corpus tegere, adversus tela quæ nondum adigi eo possunt. Nobis qui intra hostilis teli jactum versamur, vel qui cũ hoste potius iã ad manus & gladios venimus, nõ nisi probatissimis & firmissimis armis, salutis nostræ tutela committenda. sed nõ deerunt, quibus hic nostrarum viriũ apparatus, tenuior neq; satis idoneus videbitur, qui tantis Turcarum opibus atque potentiæ opponatur, quibus respondeo à me id agi, ut solida perennis exercitus fundamenta jaciantur: quibus semel constitutis, in reliquo ædificio construendo non multum fore negotii polliceor. his enim iniiis

tiis positis, quicquid accesserit auxiliorum. mox justi exercitus corpus efficiet. Accessura autem impensius auxilia, ubi jam nos nobis de non contemnendo præsidio prospexisse paratisque in hostem copiis excubare, longe lateque fama dissipaverit, clarius est, quam ut multis demonstrate sit opus. etenim natura pœne ipsa nos iis conciliat, quos armis atque animis ad quemcumque fortunæ impetum excipiendum paratos videmus. contra vero ab eorum benevolentia nos revocat, quos inermes imbellesque cuicumque obnoxios injuriæ animadvertimus. Itaque præclare Xenophon, ut reliqua omnia, eos qui semper in promptu & expedita habeant arma, hoc consequi dixit, ut amicos habeant multos, inimicos nullos: Si quidem ad eorum amicitiam, qui possint prodesse omnes libenter accedere, tanquam ad arcem, & certum dubiis temporibus perfugium: quemadmodum ex altera parte inimicum habere nemo velit, quem ita semper armis instructum norit, ut cum velit nocere possit. Qua ratione fit, ut dum cessamus ipsi, neque quicquam conamur, dum hastas abjicere, ac de nostra salute desperare videmur, & ex alienæ tantum opis spe pendemus; non modo vicinitatis, sed etiam sanguinis necessitudine nobiscum juncti, nos contemnant & deserant; ad armatum vero & sibi præfidentem hostem, etiam illi sese aggregent, quos si nihil aliud, certe diversissima religionis ratio retraxisse debebat. Tanta vis est expeditorum armorum. Quod itaque felix & faustum sit in Dei omnipotentis nomine, eamus ad saga, capessamus arma, quemadmodum decet, contra tantum hostem. ipsi primi armipotentis Minervæ sacris initiemur, ejusque

ſtudiis nos totos devoveamus. primi manum adhibeamus ſtivæ, & noſtro pro viribus fungamur officio. Deum mox conantibvs aderit, neque deerunt auxilia, ubi nos nobis non deeſſe cognitum fuerit. Ne quieſcamus donec ut minimum (quod exempli cauſa dictum velim) præter ordinaria præſidia ad XII. millia peditum (nam de equitatu dicemus aliàs) ex noſtris popularibus delecta, probe armata, exercita q3, habeamus. hic animus & hoc inſtitutum noſtrum divulgatum non tantum neceſſariorum noſtrorum, verum etiam alienorum inſperata auxilia, cum res poſcet, nobis conciliabit & adjunget. Quod ſi quandoque nos omnia deſtituant, his tamen copiis, & æſtatis tempore munitionibus incluſi, hoſtium impetum reprimere, & hieme ita in eorum fines incurrere poterimus, ut laceſſiviſſe illos pœniteat; atque inducias quas vix nunc à ſe redimi patiuntur, cum petant ultro, tum multo, quàm ſert eorum conſuetudo, ſervent diligentius. Nunc quicquid increpuerit, trepidare cogimur, & ſi præſidia noſtra laborent, aut nec opinata aliqua vis ſubitam opem requirat, nihil habemus, quo noſtris ſubſidio ire, vel hoſtium impreſſionem morari ſaltem & retardare queamus. Sed hæc (dicendum eſt enim tanta de re ſæpius) ſtudium quoddam eximium & ſingulare deſiderant; neque vero alibi non modo cogitationum, ſed nec delectationum noſtrarum majorem partem rectius collocaverimus, neque ulla ex re laudem juſtius quæſiverimus, quam ſi noſtras copias indies virtute & diſciplina magis magiſque proficere & coaleſcere videamus. Placeant ſibi alii auratis tectis, alii exquiſitis hortorum amœnitatibus delectentur: ornamenta domus alii, ſigna, tabulas & plurimum lautæ ſupellectilis oſtentent: Nobis

hæc

hæc pacis decora, hæc belli præsidia faciant animos, his nos amicis, qui ad nos diverterint, venditemus; his gloriemur. quid enim præclari hospitis oculis possit esse gratius, quam videre tantum selectæ iuventutis numerum, armis fulgentem, robore & velocitate præstantem, sclopeto, hasta, gladio, & quocumque teli genere pulcherrime decertantem, ad omnes præfectorum nutus quacumque se circum agentem versantemque: denique summa vultus atque animi alacritate hostem, & prœlium deposcentem; Hujusmodi juventutem, imperii spem ac fundamentum, videlicet Gianizaros, non immerito Turcarum Princeps, *filios suos* vocat. Memorant Philosopæmenem, quem Græcorum Imperatorum ultimum dixerunt, cum videret antiquam Græcorum rei bellicæ laudem per ignaviam, & disciplinæ militaris neglectum senescentem, brevique interm orituram; atque ei rei, ut patriæ amans civis subventum cuperet; haud parvum nobiliss. juventutis comitatum sibi asciviſſe, quam belli artibus institueret. Quumque aliquando cum hoc juvenum globo militari vestitu decenter ornato in quoddam Græciæ theatrum, multitudine hominum refertum, introiisset; magnum illi ab universo illo populo plausum datum, summisque exceptum laudibus. Cujus quidem plausus is sensus fuit, quod ille populus intelligebat, quid ei civi deberetur, qui patriæ gloriam quantum in se esset, ab interitu revocaret, & juventutem ad militare decus, virtutemque capessendam, excitaret. Nos quoque quis dubitet quin Diis hominibusque approbantibus, summo totius populi Christiani applausu, communis salutis causam simus susceputi, labentemque rei militaris laudem, in

pristinam

pristinam dignitatem vindicaturi. Sed non ero longior, & finem faciam, si prius eo paucis me retulero, unde hac defluxit oratio: si monuero & inclamavero, si obtestatus fuero, ut in tanto periculo, quanto post orbem terram conditum, nulla unquam gens versata est, ab eo, cui indormivisse videmur veterno, aliquando excitemur, Reique pub. ad exitium ruenti succurramus: has sedes, hoc nomen, hæc decora, tanta cum laude à majoribus nostris parta & nobis tradita, conservata velimus. Conservandi autem unicam esse rationem, si non adversus vim, ad vim & arma convertamus; arma vero, non fortuita neque tumultuaria, nec procul quæsita, sed nostra, sed expedita, sed magno judicio magnaque ratione delecta, instituta & exculsa. Exemplo eorum qui loco parum munito formidolosa premuntur obsidione, qui cum jam jamque in hostis potestatem venturos se videant, omniaque extremæ crudelitatis exempla ab insolenti victore timeant, ad eum repellendum, nihil non perpetiuntur & faciunt: neque quicquam grave sibi ducunt, neque ulli rei parcunt, modo summæ rerum & publicæ saluti consulant. Quod si secus statuerimus, nobisque & reipub. per ignaviam aut mentis errorem, defuerimus; restabit aliud nihil, quam ut migremus in alias terras, quod multæ sæpe fecerunt gentes, vicinorum injuria coactæ, avitisque possessionibus hosti pro victoriæ cumulo relictis, ejus immanitatem fuga declinemus, aut certe moriamur, aut turpissime serviamus. Nos vero migremus citius (si adeo in nobis omnis obsolevit virtus) bonaque nostra, agros, tecta, lares hostis ante possideat, quam sanguinem nostrum hauriat, quam liberorum, & conjugum pudori fœdissime illudat, & (ut

uno

uno verbo dicam) potius quam eam rerum omnium indignitatem videamus, quam tot Asiæ, Africæ, atque Europæ populi, ab Orientis regionibus ad nostros usque fines, majore terrarum, quam temporum intervallo, subierunt. Cum iisdem nos quibus illi vestigiis, ad exitium præcipitemus, sitque idem rerum nostrarum, qui fuit illorum, antequam perirent, status, idem in causa pari nos exitus manet. sed cur migremus? imo militemus, & quæ nobis salutis subsidia largissima manu Deus benigne suppeditat, alacres & grati suscipiamus. Nos ad arma in quibus post Deum spes una salutis supereſt, ingentibus animis atque ita convertamus, ut nostro nomine & magnitudine periculi, & exitio quod nobis impendet, dignum est.

RELA-

RELATIO SIVE SERMO Legati Pacifici, Ebraimi Strotſchenii, nati Poloni, à Solymanno Turcarum Imperatore, ex Conſtantinopoli ad Chriſtianorum Cæſarem Ferdinandum ejus nominis primum deſtinati, apud Francofurtum Mœni coram Statibus Imperii ibidem præſentibus lingua Sclavonica recitatus Anno MDLXII. die 27 Novembris.

POtentiſſime atque Sereniſſime, Chriſtianorum Electe Cæſar Ferdinande. Invictiſſimus, tet maximus ac potentiſſimus Turcarum Imperator, princeps meus clementiſſimus, ad Tuam Majeſt. me terra marique profectum, cum certis ac ſpecialibus mandatis inſtructum, fide dignum Legatum miſit ac direxit; tum ut ſalutem & felicem adminiſtrationem, longamque & firmam corporis ſanitatem Tuæ Majeſt. ſuo nomine dicerem tum vero ut ſimul ipſius Majeſt. propenſum animum, ſtudium, benevolentiam ac verum amorem erga Tuam Majeſt. conceptum modis omnibus teſtarer, declaratè, denunciaremque. Quæ ipſius Majeſtas firmiter ſperat ac plane confidit, hanc initam gratiam & amicitiam etiam per prioris legationis occaſionem auctam & roboratam eſſe; idque eo magis quod ipſius Majeſtas ante hæc quoque ſatis evidentia & indubitata confirmatæ ac duraturæ amicitiæ amoriſque argumenta erga Tuam Majeſt. dederit: id quod utrinque Deus fortunare dignetur. *Hæc præfatus paululum ſilens reſpiravit.* Quo vero (*mox inquit*) Tua Majeſtas prædicti amoris conciliationis ac gratiæ mutuæ indicia manifeſtius in principe meo potentiſſimo deprehendere, cognoſcere ac intelligere queat, ipſius Majeſtas à modo omnes Chriſtia-

Christianos captivos libertate donatos, ad Tuam Majest. & quocunque vellent, redire permisit, quos tamen aliàs ipsius Majest. è captivitate illa non auro argentoque, non quantiscunque muneribus, neque alicujus vel principis etiam intercessione seu precibus redimi ac dimitti passa fuisset. Fecit itaque id sua Majestas nullam aliam ob causam, quam ut firmam ac minime fictam suam amicitiam, amoremque erga Tuam Majest. redderet omnibus perspicuam, planeque confirmaret: fretus omnino ea spe, tuam Majestatem vicissim omnes Turcas, quos hinc inde captivos habet ac detinet, libere & in sua religione permanentes dimissuram & postliminio præstituram esse. Id ut fiat, sua Majestas per me unice atque amanter petit. optat quoque Tuæ Majestati perpetuam valetudinem, quietam senectam, prosperitatem ac pacificam regnorum tuorum gubernationem: cupitque ex animo; ut felix illa ac pacifica administratio usque ad posteros Tuæ Majest. fausta successione conservetur. Promittit etiam se omnibus modis operam daturum & effecturum esse, ne hoc amicitiæ cmm Tua Majest. contractæ fœdus, & induciarum confirmatarum jus, à quoquam suorum subditorum vel in minimo lædatur, rumpatur aut debilitetur. Rogat insuper ac petit ut ad has literas, quas suo nomine, Tuæ Majest. ego præsentavi, Tua Majest. non gravetur figillatim respondere. Quod si à Tua Majest. præstitum fuerit, experietur modis omnibus Tuam Majest. amicabile atque pulcherrimum mutui amoris certamen cum principe meo Turcarum Imporatore potentissimo & æquitatis observantissimo iniisse; in quo ipse se nunquam à Tua Majest. vinci ac superari quovis modo patietur, sed potius summo

conatu

conatu enitetur, ut hæc inter utrumque jam senio confectum inita amicitia ac concordia in diem magis magisque crescat, noviſque indiciis & argumentis provocetur semper atque ſtabiliatur.

Hæc cum ille diſſeruiſſet, tum Cæſaream Majeſt. interrogat, quinam in iſto principum procerumque præſenti conſeſſu ſit Maximilianus, ſuæ Majeſt. dilectus filius, & imperii legitimus hæres. Mox ergo Cæſar digito monſtravit illum eſſe, qui à ſiniſtris ſibi aſſideret. Tū legatus vultu ad Regem converſo, ſe coram ipſo Parthico ſeu Turcico more inclinavit, dextram ad pectus admovens, cœpit Regiæ ſuæ Majeſt. multam vitæ longævæ felicitatem, fauſtam in adminiſtrando Romanum Imperium ſucceſſionem, rerum & actionum ſuarum proſperitatem, omnemque ſalutem imprecari: addiditque, *ſe minime dubitare, quin ipſe Rex, cum de tam præſtanti ac laudato genitore ſit natus, non quidem ipſo patre inferior aut inæqualis, ſed potius vel juxta nominis ſui proprii paronomaſiam, qua Maximilianus ſive Major vocatur, longe major, præclarior ac præſtantior futurus ſit.*

Ad extremum igitur Legatus rurſus ad Cæſarem converſus, ea quæ ſecum attulerat munera, nempe duos precioſiſſimos ex nativo chryſtallo & gemmis longè nobiliſſimis elaboratos crateras ſeu pocula, & caballum Turcicum generoſiſſimum, aureis plane phaleris, gemmis, cateniſque ex puriſſimo auro ornatum, tum quatuor camelos ex tota urbe Conſtantinopoli exquiſitiſſimos Cæſareæ ſuæ Majeſt. præſentare, ac ſummis laudibus efferre cœpit: faſſus interim & excuſans, quod & equus ille, & cameli jam ob longinquam terra marique

que profectionem, quam inde à quatuor mensium spatio fecissent, macie & defatigatione confecti & attenuati esse conspicerentur.

EXEMPLAR SIVE COPIA Literarum Creditoriarum eidem Legato in causa induciarum octennalium ad Romanum Imperium à Turcarum Imperatore datarum.

EGO Dominus omnium Dominantium, Regnator Orientis & occidentis, qui potens sum facere & non facere quæcunque libet, Dominus totius Græciæ, Persiæ, & Arabiæ, Dominator omnium eorum quæcunq; Regi & Domino subjici possunt, magnus Heros horum temporum, & fortis gigas latissimi hujus orbis universi, maris albi atrique, & sanctæ civitatis Mechæ splendore Dei relucentis, & civitatis Modinæ, sanctæque & castæ urbis Jerusalem Dominus; Rex nobilissimi regni Ægypti, Dominus terræ Joniæ civitatumque Athenarum, Senanum, sacri templi Dei Zabilō & Bassio, Rethsam & Magodin: fedes ac solium magni Regis Nashin Rettā, & Dominus insulæ Algieræ, & princeps Regnorum Tartariæ, Mesopotamiæ, & Medorū, Georgianorum, & universæ Græciæ, Moreæ & Anatoliæ, Asiæ, Armeniæ, Walachiæ, Moldato, & totius Hungariæ, aliorumq; quamplurium Regnorum ac Dominiorum, quorum ego sum Imperator; ter magnus ille Cæsar Soldanus Solimannus, filius magni Imperatoris Soldani Selim, qui à Deo habeo potestatem ad regendum in freno omnes populos, & potentiam ad aperiendum omnium civitatum ac fortalitiorum portas & claustra, in manu mea potenti traditi sunt omnes fines terræ, nullis exceptis; ego Dominus Orientis à terra Tscin usque ad fines Afri-

cæ, quem Deus fortem in acie gladii bellatorem constituit: inter cujus potentissima Regna pro minimo reputatur castrum inexpugnabile Cæsareæ, & pro vilissimo reputatur inter hereditarias meas ditiones Imperium seu Dominium Alexandri Magni: mecum est fortitudo totius mundi & virtus firmamenti. Quandoquidem Rex Ferdinande; qui es potens totius Christianitatis Dominus, & vas electum potentis fidei Christianæ, creatus & electus Imperator Romanorum populorum, & Bohemiæ, Vandalorum, Crabatiæ & multarum aliarum ditionum Rex & Domiuator, &c. superiori tempore ad aulam meam confugientium, & thronus gratiæ omnium principum horum temporum eam petentium, misisti & ablegasti quendam selectũ consiliarium & Legatum tuum *Augerium* à *Busbeck*, una cum literis confœderationis, ad renovandi nobiscum pacem & contrahendam amicitiam ac notitiam faciendam: quæ literæ datæ erant Anno à propheta Jesu (super quem & super nostrum prophetam Mahomet sit splendor & pax Dei) Millesimo quingentesimo, sexagesimo secundo, die autem primo mensis Junii, petens à nobis ut concessis tibi per octennium induciis tuas civitates, castra, regiones, & populos posthac nullis armis infestemus, sed in pace secura ac tranquillitate vivere sinamus, &c. Ad quam tuam petitionem respondemus, posthac per integrum octennium inter nos & ab utraque parte futuram & continuandam esse novam, veram & firmam concordiam, & amicitiam. Cujus concordiæ, pacis, ac confœderationis hæ conditiones sunto; primo ut Tua dilectio quotannis ad aulam nostram pro arra induciarum 30000. Hungaricos Ducatos mittere reneatur, una cum illo residuo, quod nobis per proxime

præte-

præterlapsum biennium à te debetur. Pro eo promittimus nos posthac cum Regis Joannis filio, quantum ad ejus hæreditarias nationes attinet, sive hæ in citeriori Hungariæ, sive in ulteriore parte Theissæ sitæ sint (quæ tamen omnes de jure belli ad nos spectant) durantibus his induciis octennalibus, nullas vel inimicitiæ vel amicitiæ partes suscipere velle. Idem quoque Regis Joannis filius sub hoc octennalis pacis tempore in modo prædicto obedientiam nobis præstare tenebitur, ita ut posthac nullas inimicitias nec bella contra vos exercere; nec subditos vestros, vel ferro, vel igne infestare; nec civitates, castra, aut villas occupare; nec pecora, armenta, bona, pecunias aut decimas violenter auferre, vel exigere à colonis & subditis vestris ei liceat. Nos quoque similiter nullum jus habebimus, nec occasionem quæremus populos vestros profligandi, igne devastandi, aut captivos abducendi, sed potius in hoc octo annorum spacio vobiscum pacem & concordiam sanctè servabimus. Hisce quoque conditionibus pacis subjecti erunt, cum omnibus bonis ac dominiis suis Balaschi Michael, & Nicola Bathori, ac horum similes plerique, eruntque vobis ac filio Regis Joannis subditi. Porro si forte quidam è vestris ac filii Regis Joannis subditis populis jam antea tempore belli alius alium bonis, fundis, ac dominiis suis expulerit, unde lites ac nova dissidia à modo oriri queant, volumus & statuimus illa negocia, causas, ac jura differri debere; donec hoc definitum induciarum tempus sit revolutum. Præterea si forte in posterum ob jurisdictionem nova dissidia inter utrumque nostrum oriantur, ita ut nullo modo conciliari ac componi posse videantur, volumus ut vestri interim vestri, nostri autem no-

stri maneant: secluſa omni contentione & inimicitia. Villæ quoque nonnullæ ad Danubium & Tattam hinc inde ſitæ eo jure, quo ante, frui permittantur: ita ut milites qui ſunt adhuc in præſidio Caſtelli Tattæ, nullum jus habeant villas iſtas juxta Danubium ſitas infeſtandi aut vexandi. Præterea ſi ab hoc pacis ſpacio quidam ex veſtris nobilibus aut dominis quoſdam noſtros nobiles ex fuga, vel qualicunque modo captivos penes ſe habuerint, eos dimittere & libere ſine damno & præda exactionis ad ſuos remittere debent: quo inita inter nos concordia & pax firmius ſervetur & ſecurius vivatur. Hæc omnia & ſingula volumus & ſancte promittimus à nobis ſine omni fraude ac dolo abhinc uſque ad octennii prædicti finem ſervari ac teneri debere: ad hoc enim has induciarum ac confœderationis literas ex aula Magnificentiæ noſtræ publicari fecimus, ac inſuper non ſolum curavimus, ut earum literarum forma cum edicto noſtro univerſis ac ſingulis noſtri Cæſareatus ſummis exercituum terra marique ducibus, præfectis, capitaneis, centurionibus ac omnibus ſtipendiariis militibus ac ſatrapis promulgaretur, ſed etiam ut firmiter ac ſancte ſervaretur, ſevere mandavimus. Volumus quoque hæc pacis & induciarum conditio comprehendat & concernat duos noſtros ſummos præfectos ſive Waiuodas, Walachiæ & Moltaviæ, ita ut nulli veſtrorum Hungarorum, Crabatorum, Sclavonionum aut alii quarumcunque regionum, marium, inſularumque veſtrarum populi à noſtris ullo pacto moleſtentur aut graventur. Quod ſi forte quidam ex veſtra parte è caſtellis ſuis impetum in noſtros fecerint, & bona illorum vi rapuerint, hi ad reſtituendum noſtris ſua bona omnino tenebun-

buntur. Quod si quidem à nobis transfugerint & secum aut aurum aut bona dominorum; quibus servierunt, abstulerint, vel si idem à vestris ad nos profugientibus commissum erit; tunc ab utraque parte, illa bona postliminii jure repeti ac restitui, transfugæ autem in exemplum aliorum puniri ac plecti debent, transfugarum enim bona, de jure ad dominos ipsorum referuntur. Præterea licitum erit vestris centurionibus, ac capitaneis, ut castella, urbes & villas in finibus Hungariæ communiant & ædificent, & illuc commeatum, victualia, arma & id genus importent: Sed ne ultra fines suos aliquid horum exerceant. Durantibus quoque his induciis nullus vestrorum subditorum, vel in Hungaria, vel aliis quibuscunque ditionibus vestris captivari aut abduci debet, quod tamen si casu forte contingeret, tum illa mancipia secure & sine mora ad suos redire sinentur. Præterea quicumque ex parte Christianorum in nostris regionibus & in magnifica nostra aula aliquid negocii expediendum habuerint, quales sunt Legati, ministri, officiarii, & id genus; his omnibus non solum concedimus & permittimus, ut ambulent, accedant, & recedant à nostris ditionibus & aula, sed etiam eos reverentia ac benevolentia à nostris prosequendos & linguæ nostræ interpretatione juvandos esse volumus & jussimus. Quod si propter confinia agrorum, aut terminos, vel ob id genus causas alias dissidia & inimicitiæ inter subditos utriusque partis natæ fuerint, istæ lites à discretis ac æquis viris ab utraque parte adhibitis judicari ac discerni, actores vero taliuni dissidiorum tanquam suspecti ac fœdifragi puniri debent.

Inhibemus quoque certamina hostilia, seu duella, quæ in finibus ab utriusque aliquando

committi solent. Cupimus autem ut passim in vestris regionibus hæc pacis ac concordiæ forma eiusque singuli articuli publice legantur, affigantur, & ut cum obedientia & reverentia serventur ac teneantur, eis mandari curetur. Id quod nos vicissim fideliter ac serio facturos jam ante promisimus: & Legatus vester, quem superioribus mensibus ad nos ablegastis, hoc ipsum à nobis vestro nomine petiit & rogavit, simulque nos precibus interpositis commovit, ut eam pacem ac confœderationem per juramentum Cæsareum & per has creditorias literas (tanquam ipsi præsentes vobis loqueremur) ratam ac firmam fore contestaremur. Quapropter ei has pacis literas ad vos dedimus, ut & vestri subditi, domini ac milites ista omnia servare teneantur. Quandiu ergo nihil eorum à vobis, quod fœderi huic sit contrarium, suscipietur; tam diu vicissim à me omnes hi pacis articuli acceptabuntur ac assecurabuntur. In quorum omnium testimonium & robur juro ego hoc jusiurandum per verum & vivum Creatorem cœli & terræ, per vera signa magni & venerandi nostri Prophetæ, per Cæsaream meam potentiam, perque veram meam fidem; quod prædictis articulis, conditionibus ac promissis initi inter nos octennalis fœderis ac pacis, nil contrarium, nil alienum, nec inconveniens agi, tentari aut præsumi debeat, ab ullis nostrarum partium Capitaneis, Ducibus Archistrategis, præfectis Weivodis, &c. mandantes insuper omnibus nostri potentissimi Imperii juratis præfectis Walachiæ & Moltaviæ, ipsique Regi Stephano, ac cæteris qui in finibus vestris regna nostra gubernant, ut & ipsi omnes ac singuli non minus, quam nos, has pacis conditiones erga vestros populos, urbes, castella, villas, & alia

alia ad vos pertinentia, sancte, juste ac fideliter servent, acceptent & revereantur; nec ullis vestris subditis, etiam in minino damnum, exitium, ignominiam, aut injuriam inferant. Breviter huic præpotenti ac magnæ amicitiæ atque amori conciliato, quantum nostras partes concernit, summum honorem, reverentiam & autoritatem tribuemus, ita ut nec quod in minimis haberi possit, in nobis desideretur. Cæterum Christianos quosdam captivos, quos per Legatum vestrum dimitti petiistis, sine omni exactione auri vel argenti libere ad vos redire permisimus: ex qua tamen captivitate non quidem redimi unquam potuissent, nisi in gratiam amicitiæ ac concordiæ nostræ eam libertatem illis donassemus; maxime tamen propterea, ut & Vos vicissim Turcas nostros, quos captivos detinetis, dimittatis: id quod omnino Vos facturos speramus. Datæ ac scriptæ sunt hæ confœderationis ac pacis literæ in Cæsareo nostro palatio & solio potentissimæ urbis Constantinopolitanæ, anno magni & venerandi nostri Prophetæ DCCCC LXIX. die vero primo Septembris.

Porro notandum, quod Legatus Turcarum in comitatu secum habuerit viginti tres personas, quarum pars major fuerunt præfecti & nobiles è Buda Ungariæ, equos vero XXIX. & Camelos VI.

NOMINA ET COGNOMINA tum Turcici Legati, tum eorum qui Constantinopoli & Buda ipsum deducentes, una cum eo Francofortum ingressi sunt.

Ebrahimus Strotius, ortu Polonus, Solymanni Turcici Cæsaris Legatus, XXIII ministros adduxit, habens secum XXIX equos & camelos V I.

Wascha Budensis Aulæ præfectus, ministros VII. equos X.

Rassius Mustaffa Quinqueecclesiensis, ministros III. equos IV.

Istraphius Zauschus, ministros II.

Perchaimus Zauschus, ministros II.

Bermanus Byli Vuascha Budonensis, ministros II.

Durachius Bulius Vuascha Budonensis, ministros II.

Dellius Constraffius Budonensis ministros II. equos III.

Hossenius Bulius Vuascha Budonensis ministros II. equos III.

Durateson Budonensis, ministr. I. eq. II.

Dalli Achmallius, ministr. I. equos III.

Odoverdas, ministr. I. equos II.

Kadalius, equos II,

Ballius Sachemilus equos II.

Mustaffius, ministr. I.

Hussamius.

AUGE-

AUGERI GISLENI

BUSBEQUII,

CÆSARIS APUD REGEM GALLORUM LEGATI.

EPISTOLÆ

AD RUDOLPHUM II.

IMPERATOREM,

E Bibliotheca Io. Papt. Houwaert I. C. Patricii Bruxellensis.

Anno CIↃ. IↃ. LXXXII & sequentibus Parisiis scriptæ.

Perillustri Domino.

D. FERDINANDO DE BOISCHOT, EQUITI ORDINIS S. JACOBI, BARONI DE SAVENTHEN, DOMINO DE STERREBEKE, NOSSEGEM, ERPS, QUAREBBE, &c. A REGIIS STATUS, SANCTIORIBUSQUE CONSILIIS BRABANTIÆ CANCELLARIO, ET PROPRÆFECTO CURIÆ. FEVDALIS.

VIri verè magni, & tantùm non Herois posthume ac desideratæ hactenus Epistolæ tuo sub auspicio in lucem prodeunt, magnum Belgii nostri lumen, patriæque splendor. & meritò. sive enim me respicias, tuus sum, in familia tua vixi, ternis Legationibus adhæsi, & quia à te promotus ornatusque, nihil omnino est quod non debeam. sive Auctorem consideres, Belga sunt, Austriacæq; domus Principum, & summus Legatus, & sedulus minister, obsequium fide, fidem obsequio implens. A Maximiliano Cæsare in Hispaniam missus, filios Matthiam, Maximilianum, Albertum & Vencestaum duxit, & avunculo commendavit, quod Legatione sane maius censeri potest. Thracii Tyranni aulam bis adiit, eloquio flexit, benè de Repub. Christiana meritus est. Non minor aut infelicior postea, munus suum Cæsaris nomine in Gallis exsecutus est. Regem namque, ne vel Belgium invaderet, vel Alenzonio succurreret, deterruit, & à Majestate Imperii periculum, discrimen, dedecus avertit. Ne plura dicam, Epistolæ hæ loquuntur, & summum quodammodo Legationis

gationis hujus continent, omnium oculis, sed tua imprimis prudentia dignæ. qui quod leges simili expreſsisti munere, & secundum nobis dare Busbequium potuisti, nisi jam amplius putem Boisschotium esse. Legationes tuæ, quemadmodum Busbequii, quaternæ sunt, & pari felicitate confectæ. Prima in Angliam, & famæ tibi viam aperuit. Secunda in Galliam, & nomen apud elegantissimam gentem dedit. Tertia demùm & extra ordinem in Galliam, quo tempore quid prudentia, quid facundia valeret, suo etiam bono Christianissimus Rex expertus est. Quarta rursus in Angliam, & quod antea aliis virtutibus, hic gratia & auctoritate perfecisti. Tanquam omnia posses. Belgici Mercurii titulum publico inter reliquas laudes elogio adeptus es. Foris sic quidem exercitata divina mens tua, & ad gloriam evecta, domi magis relplenduit. Agis ea quæ Regi ac Reipub. utilia sunt, & qui feliciter Legationes obiisti, aliorum nunc etiam Legationes ordinas. Hoc sanè est à Consilii Secretis, & Status esse, hoc est Cancellos patriæ cum bono Iustitiæ gubernare. Longùm guberna, & me tuum ama, qui nomen tuum Busbequii Legationibus, Busbequii Legationes tuo nomine in his Epistolis venerari volui. Bruxellæ XII. Kal. Mart. CIↃ. IↃC. XXX.

Perillustri Nomini, Virtuti,
Dignitati tuæ devotus cliens

Jo. Bapt. Howaert.

AUCE-

AUGERI GISLENI BUSBEQUII

EPISTOLA I.

ITer, quod mihi secundò Christianissimæ Reginæ, Cæsareæ Majestatis Vestræ sororis, negociorum caussâ instituendum fuit Blæsium, fecit, ut esset longius literarum mearum intervallum; quòd sperarem me rebus confectis, aut certè infectis, de die in diem dimissum iri. Quod cùm non fieret, neque tamen negocia illa deserere possem, quòd magna Reginæ res ageretur, tandem rationem ineundam duxi, ut hinc literas darem; sicuti facio. Quo tempore sum ad Regem admissus, ut agerem de quibus dixi negociis, eodem tempore reddidi C. M. V. literas, pauca præfatus; nimirum C. M. V. bonis auctoribus certiorem esse factam, convenisse illum cum fratre in expeditione Belgica, cui rei M. V. fidem non adhibere. Quòd si tamen ita esset, neque M. V. neque Imperii Electores, quorum tantopere interesset, id posse tolerare; quemadmodum amplius cogniturus esset ex ipsis C. M. V. literis. Ad quæ Rex respondit, sibi cum fratre in rebus Belgicis nihil esse commune: cui rei argumento esse, quòd, si se frater adjutorem habuisset, longè nuper in Belgio majorem ruinam daturus fuerit,

rit. Eum non multùm uti ſuis conſiliis, atque etiam in præſens majorum ſtrepitum edere, quàm ſtragem; imò ſi quod ſit incommodum, in ſe ſuoſque ſubditos redundare, qui jam per multos menſes, intactis Belgii colonis, à fratris militibus vexentur & diripiantur. Viſurum ſe, quid C. M. V. ſcribat, daturumque reſponſum. Ne pluribus aut aſperiùs agerem, retinuit me, quòd Reginæ interſit, ne me his temerè inviſum aut odioſum reddam. Id reſponſum C. M. V. cum his litteris accipiet. XXV. Martii, CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA II.

DUbium eſſe deſiit, Auriacum vivere & valere. Sed vixit uxor, lateris dolore abſumpta. Pæne Auriaco exitio fuit venæ maxillaris ruptio, ex qua tantum fluxit ſanguinis, ut pro conclamato haberetur, neque ſiſtendi via reperiretur. quod ille per triginta ſex horas continuavit, ſuffectis tamen ſubinde aliis, qui manu cubitum illi fulcirent, alioquin labori futurum imparem. Regina Angliæ bonam pecuniæ ſummam ſuppeditaſſe dicitur Alenzonio, nimirum trecenta coronatorum millia. Ad Belgas quoque, ſi ſe ſub ditionem ejus ſubmiſerint, latum ferunt, ut quintam partem omnium bonorum ſuorum in belli imminentis ſumptus contribuant. Quod ſi perfertur, ea erit haud contemnenda ſumma, alendo aliquandiu bello ſuppeditatura. Audenarda obſidetur à Principe Parmenſi, ejuſque muri admotis tormentis quatiuntur; ſed qui ſunt intus propugnatores monuiſſe dicuntur Alenzonium, ne quid eorum cauſſâ ante duos menſes metuendum putet. Interea Aloſtum interceptum manet

manet in potestate Alenzonii, quod quidem multas & magnas commoditates adferebat Parmensi. In eo cæsi sunt aliquot boni milites, qui fortiter pugnando mortem oppetere maluerunt, quàm turpiter se dedere. Non absunt procul Cameraco equites Germani mille, ut fertur, & quingenti, ab Alenzonio mercede conducti; quos sequentur alii. iis se benè multi Galli conjungunt, præter eos, qui jam frequentes sunt in Belgio. Videtur id Alenzonio propositum, ut vastandis ferro flammáque Hannoniorum aut Artheſiorum finibus, Parmensem ab Audenardæ obsidione revocet. Audio eundem Alenzonium misisse in Italiam, qui conducerent equites instar Epirotarum. xxx. May. cIↃ. IↃ. Lxxxii

EPISTOLA III.

FErvet bellum. Parmensis facto expugnationis Audenardæ periculo, cùm nihil egisset, totam noctem insequentem tormentis intonuit, neque mœnia percutere destitit, quò deterreret oppidanos à reperanda murorum strage. Ab eo tempore nihil est allatum, sed difficilem fore expugnationem conjiciunt, præsertim ingruentibus Alenzonii auxiliis, quæ jam urbi Atrebatum ita appropinquant, ut vix duo milliaria absint. Quæ si nihil aliud agant, quàm ut maturas fruges exurant, sanè damnum erit & ei civitati, tum reliquis, quæ eundem casum subibunt, non ferendum. xxvi. Aprilis cIↃ. IↃ. Lxxx ii.

EPISTOLA IV.

ALlatum est, Audenardenses ter frustrà oppugnatos, tollerabilibus conditionibus se dedisse Parmensi. Contra ajunt Bouchinium;

Bouchinium, munitissimum oppidulum Hannoniæ, Cameraco propinquum, proditione ejus, cujus custodiæ. Parmensis commiserat, venisse in potestatem Alenzonii. Alenzonius magnum se Catholicorum propugnatorem præfert, quibus templa multis locis restituenda curat. Ex quo nonnulli non fore diuturnũ in iis regionibus ejus Imperium arbitrantur; quod dissimiliu n non sit fida societas. Connivere quidem Catholicorum adversarios præsentis ruinæ metu sed ubi periculum præterierit, in promptu fore mutationes. Optimam postremò partem, exuviarum laturum Auriacum, Hollandiæ & Zelandiæ quietam possessionem. XII. Iunij CIↃIↃ. LXXXII.

EPISTOLA V.

REx profectus est Lugdunum; qua de causa, incertum. Desiderium eius, relinquendæ ex se virilis sexus prolis, religioque (qua propter Divorum aras frequentat, apud quos vota valere vetere famâ receptum est) credibile fecit eo profectum, ut alicujus Divi, miraculis clari, in eo itinere delubrum viseret, votáque nuncuparet, si sibi proles mascula nasceretur. Qua in peregrinatione amplius duos menses abèrit. Interim summa Regni permissa est matri, cui per hanc occasionem magna Alenzonio gratificandi auxiliúsque, quibus valet, juvandi potestas erit XV. Iulii, CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA VI.

TAndem dubitari desitum est de clade ad Terzeras accepta, postquam literis ex Hispaniis allatis eadem affirmata sunt, nisi quod nonnulla

nonnulla paulò secius referuntur. inter cætera Strossium, & eum quem Don Antonii Connestabilem vocant, in potestatem hostium venisse, sed ita vulneribus gravatos, ut paulò pòst expirarint. Galli interpretantur veneno in vulnera injecto mortis quæsitam celeritatem. Nobiles ad quadraginta pro piratis, quod nullum à Rege mandatum ostendere possent quo eis hæc expeditio imperaretur, capite truncatos; gregarios milites ad trecentos eadem de caussa suspendio necatos, Atque hanc victoriam, alterius tardiore navigatione solius classis Lisbonâ profectæ fuisse memorant. Cujus tantæ felicitatis caussam adferunt magnitudinem navium, & vim bombardarum. Quibus quidem rebus isti ad magnam vindictæ cupiditatem exarserunt, adeò exacerbatis animis, ut diu homini Hispano in Gallia obversari tutum futurum non putem, ipsique, conduplicata ad bellum voluntate, in Belgium ruant; ulturi hunc casum, an eundem subituri, Deus novit. Magnum certà ex omni parte militum numerum in Belgium influere constat, maximumque jam habiturum Alenzonium exercitum. Cujus ductores sunt Princeps Delphinus, Rochefocaldus, Lavalius Dandeloti filius. Dux vetus, & multorum bellorum usu peritus requiritur, quem tamen suo tempore non putant defuturum, utpotè Bironem, quem ab Alenzonio postulatum, nec à Rege concessum, aliàs scripsi. Eum arbitrantur, ubi tempus postulabit, hinc clam per Regis absentiam, ita imperante Reginâ seniore, ad Alenzonium transvolaturum. quinimò idem facturas regias aliquot equitum turmas, quæ in extremis contra Belgium finibus stativa habent, ut nuper factum est, cùm Alenzonius deductus fuit Cameracum. Ante Gandavi portas, procursantibus

bus utrumque levis armaturæ militibus, tumultuaria aliquot prælia inita, cùm adesset, cum toto exercitu Parmensis, & Alenzonius spectaret ex mœnibus. Inde cæsis ex utraque parte aliquot, pari ferè certaminis eventu discessum. Alenzonius cum suis Antverpiam se retulit. Qui sunt Liræ in præsidio, ad Divi Bernardi Monasterium munimentum quoddam instituerunt, magno incommodo futurum Antverpiensibus, si perficiatur. Id ne fiat, credibile est omnibus viribus repugnaturum Alenzonium. E Scotia quoque res turbatæ nunciantur, cæsum Regni Gubernatorem, Obenignium obsideri, Regulum ipsum in custodiam datum, atque hæc omnia nomine Statuum fieri. His deinde admiscentur fabulæ, ei Regulo filiarum alterius nuptias pollicitum Hispaniarum Regem, modò Reginæ Angliæ moveret bellum. Quare offensum Sabaudum avertisse animum ab amicitia ejus Regis, totumque ad Gallos transtulisse, eaq; de caussa ducturum uxorem, Regis Navarræ sororem. Videbit C. M. V. ex adjuncto libello, nescio cujus conspirationis in Alenzonium & Auriacum indicia; extra quem libellum nihil habeo quod dicam, nisi Salcedum illum, cujus in libello fit mentio, captivum hîc teneri. Quo eventu, conjecturâ consequi non possum, nisi quòd in Regis adventum eum reservari suspicor. Rex Lugduno se recepit ad uxorem, ad balneas Borbonienses. XV. Augusti, CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA VII.

ET itineri & incœptis copiarum Alenzonii occurrit Parmensis, castris ad urbem Atrebatensem positis. Illæ deflectunt Caletum, ut quò itinere terrestri prohibentur, mari perveniant, & navibus trajiciant ad Alenzonium, qui

qui quidem exercitum, quem jam habuit in Belgio, in varia præsidia partitus est. Itaque alios collocavit Bruxellæ, alios Mechliniæ, alios Vilvordiæ, quosdam etiam in Geldria & in Frisia. Orator Hispanus unum miserat de suis cum litteris ad Parmensem, sed is mox à prima posta incidit in nescio quos equites, qui literas quidem ei ademerunt, ipsum verò, quòd Belga esset, incolumen dimiserunt, cum hac comminatione, non fuisse sic discessurum, sed suorum consanguineorum manibus ad Terzeras mactatorum morte pœnas daturum, si fuisset Hispanus. XII. Septembris CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA VIII.

NOn fefellit eos conjectura, qui Marschallum Bironium maturo tempore in castra Alenzonii concessurum suspicati sunt. Belgio Galliæ, quam Picardiam vocant, Rex eum præfecit; ut videret, ne quid in ea parte detrimenti caperetur, & quod facto opus esset provideret. Cujus imperio jussi sunt ejus oræ Præfecti dicto audientes esse. Magna cum expectatione profectus est, habetur enim, si quis hodie in Gallia, belli in primis sciens, ut qui multos annos militiam per omnes gradus ordinesque exercuit. Pars una Alenzonii exercitus ad eum in Brabantiam trajecit; altera, & quidem multo major, est apud Bironium. His accedit equitatus omnis Regni, quem vicinis locis per speciem præsidii commorari solitum scripsi. Nihilominus equitum amplius postulavit; nam peditatu se quidem in feriorem nihilo Parmensi putat, equitatu verò minimè parem judicat. Itaque septem aut octo turmæ equitum eò destinantur. Interea Peronam & sanctum Quintinum, præsidiis impositis, adversus omnem hostilem impetum firmavit.

mavit. Nam Parmensis non obscurè denunciare solet, si quam in partem suorum finium Galli faciant eruptionem, se continuò ad Sanctum Quintinum oppugnandum ducturum. sic ei rei provisum. Parmensi una fames videtur metuenda, præcipuè exclusò mari, prohibito Galliæ commeatu. Multa sunt, quæ Regem arguant fraternis consiliis indies fieri æquiorem. Nuper hic nec opinatò datum quibusdam negocium, ut libros ratiocinarios, Italorum præsertim, inspicerent, si quæ pecuniæ ad Parmensem transmissæ deprehenderentur. Jussi deinde ex Gallia duo migrare, Capellius quidam Mediolanensis, & Calvy Genuensis, magnis indiriis uterque suspectus navatæ Regi Catholico in transportandis in Belgium pecuniis operæ. Apud quendam deprehensa sunt depositæ ab Hispano decem & octo aureorum Italicorum millia. ea fisco vindicata, quod hic alterius, nisi Regiæ, aut certè Hispanicæ notæ monetam habere edicto prohibitum sit, sed eam necesse sit ad Goilibistam Regium deferre, ut cum gravi jactura permutetur. quo ex auro Rex novos nummos sui signi conflat. Ita non modò cautum, ne hinc ullum adversariis Alenzonii famis subsidium pateat, omni commeatus exportatione gravissimè interdictâ; verum etiam id agi videtur, ne commercio deinceps locus sit, itineribus omni ex parte iis qui adhuc Regis Catholici imperio parent interceptis, & sic infestis, ut nemo hac transire possit, quin spolietur aut intercipiatur. Cujus rei nulla querela est, quod latrocinio imputetur. Postis quidem, quos vocant, liber & apertus hactenus fuit in Hispaniam transitus; sed nunc rabellario illuc festinanti negata equorum copia, nisi datis prædibus caveat, se nullos nisi mercatorum litte-

ras ferre. quâ difficultate injectâ ille hîc retinetur. Cladis ad Terzeras acceptæ adeò non pœnitet, ut instituendæ novæ classis, & quidem multò majoris quam fuit superior, cui Princeps aliquis præsit, consilium captum sit. Itaque selectæ naves, quas nunc ornare incipiunt, ut proximo vere ad expeditionem paratæ sint, sed dies multa mutat. Delphini Principis pater Monpenserius ætatis exactæ discessit è vivis. ea de causa filium posthac vocabo Monpenserium; nam is nihilominus cœptum iter in Belgium prosequitur. Salcedus ille, de quo aliàs in literis meis attigit, graves dedit pœnas, haud scio cujus criminis, nisi quod enorme fuisse oportet, cui tanta supplicii acerbitas conveniret. Quod unum in tota Romana historia reperitur, quo Suffetium Hostilius affecit. An in caput Alenzonii conjuraverit, an in Regis, an in utriusque, mihi non constat. Damnatus fuit, ut à quatuor equis discerperetur. Cum primùm equi trahere cœpissent, dixit etiam esse quædam, quæ vellet indicata. cùm ea per tabellionem essent excepta, laxari sibi dextræ manus vincula postulavit. quo facto adscripsit quædam, aut certè subscripsit. Manu vinculis denuò adstrictâ, cùm equi bis in diversum acti traxissent, & non distraxissent, Regem, qui unà cum matre & uxore de fenestra despectabat, inclamavit, ut in se uteretur clementiâ. Tum ei fracta gula, caputque à cervicibus ablatum, & evulsum cor; reliquum corpus distraxerunt equi. Caput missum Antverpiam, cum hoc mandato, ut in eminentissimo urbis loco figeretur. Hic fuit finis hominis, audaciæ & improbitatis prodigiosæ. Adulterinos nummos cuderat, quibus cùm prædium emisset, fraude detectâ venditor, Majestatis accusato Salcedo, villam suam recuperat. ille, ne oleo fervente, ut

mos

mos est, extingueretur, fugâ sibi providit, ignem tamen in eam villam noctu conjiciendum curavit; parumque abfuit, quin dominus unà cum domo combureretur. Quo nomine cùm Rex, qui aliquoties accessit ad locum ubi custodiebatur, eum increparet, quod hominem, cui prius nummis improbis imposuisset, tali morte affectum voluisset; nimirum, inquit Salcedus, ille me elixatum voluerat, ego illum assandum curaveram. Ingenium hominis; cui ne in tanto quidem casu jocis abstinendum videbatur. Vereor ne hujus indicio Comitis Egmondani frater periculosà suspicione implicatus hæreat. 1. Octob. CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA IX.

BIronius constitit ad Somam fluvium, super cujus ripas habet castra. Sunt qui putant aliquamdiu ibi mansurum, speculantem quæ futura sint Parmensis consilia, qualis exitus; cujus quidem exercitus cum fame, tùm peste vehementer indies extenuari dicitur. Cursor ille Belga, quem hic retineri dixi, postquam per homines idoneos cavit, aliorum nullas, quàm mercatorum, literas se ferre, in Hispaniam dimissus est. Orator Hispanus motus, quòd Salcedi caput Antverpiam missum erat, ut tanquam jussu Regis in loco altissimo spectandum proponeretur, apud Regem testatus est, nullum ei Antverpiæ imperium esse. Rex ad rem inexpectatam non habuit quod responderet, nisi se fratri misisse, ut eo faceret, quod videretur, ut hic dicunt, *Qu'il en fist des petits pastez.* Abire dicunt Schombergium in Germaniam; an ut militem conducat nescio. His diebus venit nuncius è Gallia Narbonensi. aliquot nobiles Italos ex Hispania redeuntes

tes ab Hugonottis in mari exceptos retulit, ductosque in oppidum Ayguesmortes, inter quos suspicantur unum esse de fratribus Marchionis Piscarienſis; sed tamen certum non scitur, quòd noluerint nomina sua profiteri. Quicumque erunt, si sunt alicujus loci, non facilè extricabunt, antequam Noveus in libertatem restituatur. Rex denuò peregrinatur, susceptus in Divam Virginem lætitiæ præsidem itinere (*noſtre Dame de Lieſſe* vocant) in finibus Campaniæ, quà Picardiæ jungitur, ut lætitiæ, si vera est conjectura, ex nata sibi prole, fiat compos. Ajunt Regem dedisse negotium Britonibus, ut quinquaginta triremes ædificent. sunt & alia indicia futuræ classis. XXV. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXXII.

EPISTOLA. X.

AJunt à Rege decreta esse Alenzonio in sumptum singulis mensibus quinquaginta milia aureorum, cui tamen præter id subinde aliquid muneris extraordinarii missitetur. Nemo est jam amplius qui dubitet quin Monpenserius & Bironius ad Alenſonium transierint, facto supra Brugas per oram maris itinere. hos sibi laturum putant Alenzonium, hunc rei bellicæ Præfectum, illum Gubernatorem & rerum civilium Præsidem; ipsum verò trajecturum in Angliam, unde communicatis cum Regina consiliis huc se recepturus sit, ut conveniat fratrem. Nunc eùm maximè magno omnium assensu rationes repetere ab iis dicitur, qui bona Ecclesiastica tractarunt, quos suspectant multa domum', & in rem suam avertisse. Bironius non magnas, sed selectas copia secum duxit, Regio equitatu confinium Gallicorum custodiæ relicto, remissisq; omnibus, quorum aut res, aut

animi

animi diuturnioris belli moræ non videbantur suffecturi, aut quorum licentia populis illis tolerabilis futura non erat. Intra mille equites, & peditum octo milia duxisse existimatur. Qui tamen hoc leve malum putat, meo judicio non leviter fallitur. Magnas paulatim radices agit, quibus extirpandis multum futurum sit negotij; cum & haud scio an pariter longiùs & propinquiùs ex æquo metuendum. Sunt qui affirment copias Parmensis morbo & fame afflictari, præsertim Italicas recentes, talibus hibernis solibus nondum assuetas. Recepit Parmensis, antequam se in Brabantiam converteret, oppidum Cambresium. Is nunc arctâ obsidione dicitur premere Diesthemium, Principis Auriaci ditionis oppidum; quo sine dubio potietur, nisi subitò subventum sit. Quo facto gradu Bruxellam putant tentaturum. Adsunt hîc frequentes Helvetiorum Legati omnium fere pagorum, ut fœdus cum hoc Rege renovent, mutuoque jurejurando firment. Agitur ea res magnâ celebritate & lætitiâ, atque illi solennibus epulis magnificisque conviviis quotidie accipiuntur, modò Regis, modò civitatis Lutetiæ, modo Guisianorum, reliquorumque aulæ Principum. Quibus transactis, donatisque singulis magnis torquibus aureis, dimittentur. Fama est Regem & Lotharingiæ Ducem eodem tempore huc venturos. Recentes redierunt ab insulis Terzeris Galli quidam, qui nunciant salva ibi omnia, nec ullius rei inopiam esse, præterquam vestimentorum, quæ jam magno studio illuc mittuntur; nam cùm bona pars cùm militum, tum navium Gallicarum, profligato Setossio, eo se recepit, interim fama novæ expeditionis nõ intermittit. Hic Rex dimissis in omnes regni sui provincias primariis & illustribus viris, per speciem corrigendorum

gendorum si quæ secus administrata sunt, audiendarumque : omnium querimoniarum, id agit, ut magno tributo eas denuò oneret : sed non videtur satis facile experiri. Quid tamen futurum sit affirmare non ausim ; neque enim, quod sæpè Rex voluit, ad sequutus est. xv. Decemb. cIↃ. IↃ. Lxxxii.

EPISTOLA XI.

HAud scio an operæ pretium sit referre, quod nuper accidit Antverpiæ. Erat in cubiculo Alenzonii Sanctus Lucas. Is cùm gratiâ Regis excidisset, sectam deinde Alenzonii sequutum esse scripsi, ni fallor, alias. Eo præsente alius, nescio quis, nobilis aliquid dixit. quod ille dictum nollet, & in suam contumeliam acciperet. Itaque illi statim os manu percussit, coràm & inspectante Alenzonio. Id Princeps Auriacus, qui aderat, tulit indignè, neque adeò iram tenuit, quin Alenzonio diceret, tam indignum facinus non debere esse impunitum, neque fuisse laturum Imperatorem Carolum, cùm viveret, sed severissimè in auctorem vindicaturum, cujuscunque tandem dignitatis aut fastigii fuisset. Inviolata & sacrosancta esse debere cubicula Principum, in quibus nulli sit injuriæ locus. Ad ea hisce ferè verbis S. Lucas ; Ain vero, Carolum mihi narras? qui si viveret, & bona, & caput habere desiisses. quo dicto se proripuit, omnesque vecordis audaciæ admiratione defixos reliquit. xviii. Decem. cIↃ. IↃ. Lxxxii.

EPISTOLA XII.

DImissi hinc ad Helvetiis Legati, singuli quingentorum aureorum torque prius donati. Viginti sex fuerunt, quibus is

ſs honor habitus. Separatim tamen legationis principes aliis muneribus cumulati, argenti ſupellectilis, aliarumque rerum. Oratio, quam Rex in eorum diſceſſu habuit, cum his literis conjuncta eſt. Leges, quibus id fœdus renovatum eſt, habere non potui, tametſi in eo adlaboraverim. Iſti videntur nolle vulgari. Sic jam Regi de peditatu proviſum eſt, equitatum ſibi abundè eſſe in Regno ſuo arbitratur. Reſtat pecunia, quæ cuditur eâ, quâ nuper ſcripſi ratione; quâ etſi hactenus parùm profectum eſt, provinciis omnibus aures ad hujuſmodi poſtulata parum præbentibus, tamen ſic adhuc inſudatur, ut quid futurum ſit affirmare non audeam. Don Antonius cum aliquot navibus huc ſe retulit. An quòd ad Terzeras ſibi parum tutus videretur; an quòd ſuam præſentiam adhortationemque non parum momenti ad novam expeditionem habituram putaret, mihi incompertum. Venit certè, & jam ſæpius ad ſecretum Reginæ colloquium admiſſus eſt. Hoſpitium ei datum proximum ædibus, quas nova Regina conſtruxit, quò ſæpe ſecedere ſolet. Is Don Antonius diebus proximis Dieppam profectus eſt, ut præſens maritimum apparatum urgeat, alioquin deſiderio ſuo remiſſiorem. Dici non poteſt, quàm ſint omnium iſtorum adverſus Hiſpanos exulcerati animi, quantaque belli cupiditate teneantur. Liber ſub prælo eſſe dicitur, quo jus, quo ſibi Regina ſenior Luſitaniæ Regnum vindicat, prolixè exponitur. Auriacus cum febre periculosâ laboraret, ex qua convaluiſſe dicitur, pro ejus ſalute non modo per Belgium, verum hic quoque Eccleſiæ quæ ſe repurgatæ Religionis nomine venditant, preces publicè habuêre. Parmenſis Dieſtam, atque alia pleraque non nobiliſſima loca in ditionem recepit: ex

quo ita Bruxellæ imminet, ut non sit extra periculum, nisi fortasse Bironii hostis non contemnendi cum copiis adventus aliquid mutet. Quem quidem in Campaniam iturum ajunt, ut loca quædam Parmensis consiliis valdè necessaria expugnet. Alenzonius ab Antverpiensibus obtinuit, ut trecentis nobilibus Gallis hospitia in ea urbe designarentur. Diem objisse Ducem Albanum ex Hispania allatum dicunt. Præsidium, quod est Cambrisii equitatu validū, magnam adfert Gallis qui sunt Cameraci molestiam, omnem eam regionem suo discursu infestans. Multos Dunquerkæ cives præsidium Gallicum interfecit, cùm illi adversus ejus insolentiam arma cepissent. Turbæ Colonienses hic sunt in omnium sermone. Post hunc qualemcumque fumum magnum incendium expectandum. Venit huc Dux Lotharingiæ cum duobus filiis, incertum qua de causa. Vulgò ferunt, ut filiam Duci Sabaudiæ despondeat, filio verò maximo natu uxorem petat Regis Navarræ sororem. Cæsaream Majestat. Vestram Deus Opt. Max. in hunc annum & alios quamplurimos suâ ope auctam & conservatam velit. Cui ego me, negotiumque librorum Græcorum, quod jam tot annis pendet, humillimè commendo. XVI. Jan. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XIII.

PErquam fœdæ sunt hîc tempestates, solis jam per multos menses Austris aëris imperium obtinentibus, & per continentes pluvias & procellas desævientibus, ad hæc intempestivo & pestifero tempore obnoxiam morbis æstatem portendentibus. Flumina ripas supergressa longè latèque campos inundant. Sic madent agri, atque ita continuâ luvie diluuntur, ut corrumpantur

pantur fata, cultoribùsque exigua spes bonæ messis relinquatur. ex quo non modò futura, gravior annona timetur, verùm jam sentitur, aucto pro dimidia parte frumenti pretio. Huc accedunt crebra pænè ob oculos naufragia inter trajectum in Angliam vel in Zelandiam. Certè totum littus Aquitanicum tabulis, malis, antennis, gubernaculis, aliisque navium spoliis, quæ maris furor expurgavit, refertum memorant, ut non temerè qui sidera speculantur, etiamsi nihil aliud sit, hunc magnæ conjunctionis annum mortalibus formidolosum prædixerint. XIX. Januarii, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XIV.

NUncii proximè ex Anglia, deinde ex Brabantia huc allati, mirum in modum Reginam & totam civitatem perturbarunt. Ii significabant magis quã declarabant, orto inter Gallos & cives Antverpienses dissidio, ad internecionem Gallos cæsos. Curas ingeminabat Alenzonius; à quo cùm nullæ essent literæ, de ejus incolumitate dubitabatur. Sic aliquot dies abjerunt. demùm alii super alios nuncii venerunt qui rem quemadmodum gesta erat, retulerunt; non ita tamen planè quin multa desiderentur; neque omnes uno modo. Dicam quæ intellexi, & quæ mihi ad rei fidem propiùs accedere videntur. Quæ nondum novi, supplebo postea, & quæ perperam mihi narrata sunt, corrigam. Videor mihi meminisse ad C. M. V. scribere, Alenzonio esse in animo facto per Angliam itinere, huc venire, ut Regem viseret, &, ut est credibile, de rebus & toto statu Belgii cum eo communicaret; interea verò qui suas vices obirent, relicturum Monpensierium & Bironium. Cùm is ergò cum Bironi ageret, ut eam conditionem sus-

ciperet, cœpit tergiversari & recusare Bironius; quod diceret sibi negocium futurum cum gente inquieta & turbulenta; neque tamen habere quo se reciperet, si quid durius incidisset. non posse prohiberi tam frequentem Gallicam nobilitatem, quin aliquando petulantius aliquid aut contumeliosius in cives. admitteret. ex quo cives statim ad arma concursuri essent, atque omnibus perniciem intentaturi. Adversus hoc commodissimum fore, si quem locum Galli in sua potestate haberent, quò se reciperent, ubi tuti essent ab omni concitatione atque impetu populi. Ad eam rem sibi oportunissimam videri arcem, quæ minimo negotio refecta, & valido firmata præsidio receptaculum præbitura esset. Esse jam in urbe magnam Gallorum frequentiam, cùm nobilium, tum aliorum, à quibus nullo negotio occupari posset. nec fore difficile potiri unius portæ civitatis, perque eam, tam propinquo exercitu suo, quantumvis copiarum in urbem introducere. Habere Alenzonium, ne tumultui interfit, magnam urbe egrediendi causam, ut exercitum inspiciat quem ipse adduxerit, nec in reliquis ullam fore difficultatem, si modò Alenzonio, & nobilitati quæ præsens sit, hæc sententia placeat. Major nobilitatis pars licentiæ assueta in eam sententiam, quæ ipsi patrocinaretur, facilè discessit; integriorem traxit verecundia, ne tanto negocio metu se subtrahere videretur. Subscripsit postremò omnium votis Alenzonius. Postridie iturus in castra porta egreditur. Sed multi ex ejus custodia, notæ audaciæ homines, ad eam rem delecti, in ponte qui trans fossam in agros ducit, consistunt, neque Alenzonium sequuntur. Cives qui erant in ejus pontis & portæ custodia, Gallos monent, ut pontem libe-

liberent, vel Dominum sequantur, vel in urbem redeant. illi obaudiunt, & nihilominus in ponte remanent. sed durius deinceps à civibus appellati, ipsi quoque non minùs ferociter respondent. sic à verbis ad manus ventum. Galli, qui pixidarii erant omnes, & ad cogitatum facinus veniebant, facilè civium alios vulnerant, alios occidunt, alios propellunt, atque ita ponte & porta potiuntur. His adjungunt se alii, cùm pedites, tum equites, qui ex Alenzonii comitatu vicinis locis ex composito substiterant, unàque omnes facto agmine in urbem irrumpunt. Ad quem tumultum excitati cives, qui in mœnibus stationem habebant, occurrunt ab utraque parte portæ, in viam se dimittunt, & cum Gallis, qui ad portæ custodiam remanserant, pugnam ineunt. cujus is fuit exitus, ut facti superiores, portam, quod unum adnitebantur, clauderent. Ajunt Alenzonium mox recurrisse, & petiisse ut in urbem intromitteretur, sed ei non alia quàm bombardarum voce responsum. Interea Galli per urbem discurrunt, & quamvis ex omni parte convenientes contra se civium copias vident, tamen non se deserunt, neque de victoria desperant, sumpta ab usu armorum contra rudes & imbelles cives fiducia. Alii ad arcem gradum inferunt; alii de arce parùm solliciti domos civium invadunt, ut eas diripiant; qui paulò pòst omnes, exceptis paucis, impressioni civium impares, temerarii incœpti morte pœnas luerunt. Ferunt Reginam seniorem, cùm hæc audiret, in lachrymas, & in has voces prorupisse; Utinam, Alenzoni, ante multos annos extinctus esses, quàm tuà causa tantum nobilitatis interiret, tantumque Regno Galliæ turbarum & molestiæ crearetur. Quin

etiam ipsum Regni Statum in dubium vocas, qui cùm sis Regni hæres, eò te dimiseris, unde nisi magnam molitione & periculo te recipere non possis. Ajunt Guisium Reginæ operam suam in reducendo obtuliſſe, ut sibi dentur tria millia Gallorum equitum, se Alenzonium undecunque repetiturum, & domum reducturum. Itaque ad eum fit nobilitatis concursus, omniàque armorum apparatu perstrepunt; sed eò rem venturam non credo. Hoc Bironii consilio, si modò ipsius consilium fuit, valdè adfirmabitur eorum opinio, qui ipsum strenuum quidem & benè belli peritum Ducem, cæteroquin hominem parùm prudentem judicare soliti sunt. Alenzonius Antverpiâ excluſus ad cœnobium D. Bernardi cum exercitu pernoctavit. Illic missi sunt ei ab Antverpiensibus ejus Officiales, sive ministri domestici, ad quos nihil illæ turbæ pertinere videbantur, & qui se domi continuerant. Nihil verò priùs fuit Alenzonio, quàm ut Scaldim transmitteret, ne si tempus interpositum esset, major trajiciendi difficultas oboriretur. Itaque totâ eâ nocte in ea laborarunt Helvetii, ut illi pontem manibus struerent. Quo opere perfecto, ille trajecit ex Brabantia in Flandriam, venitque Teneramundam, ubi etiamnum esse existimatur. Jam verò venit in quæstionem, quid ei faciendum sit, an huc revertendum cum exercitu, curâ rerum Belgicarum penitùs abjectâ, an in gratiam cum Antverpiensibus redeundum; quod quemadmodum fieri possit, fide de medio sublatâ, non perspicio. Sed egregii sunt, ubi animum intenderunt Galli. Hæc sunt, quæ de multis selecta ad Cæsaream M. V. perscribi haud alienum duxi. Dies & certiora, & plura adferet. In hac Tragœdia etiam M. V. & Archiduci Ernesto

Ernesto suæ partes, suus locus fuit attributus, maximè cùm adhuc ignoraretur totius rei gestæ ratio. Homines enim quidam de numero Aulicorum, qui se multùm intelligere putabant, ita ratiocinabantur; Majestati Vestræ desponsam Regis Hispaniæ maiorem natu filiam, Archiduci verò Ernesto minorem, cum Provinciis omnibus Belgicis pro dote. Itaque multum ad eos pertinuisse deleri Gallos, qui erant Antverpiæ, atque ipsum Alenzonium inde expelli. Ideò clàm cum civibus egisse, promissa impunitate & veniâ præteritorum omnium, si Gallos trucidassent. Quin & Auriaci benevolentiam sibi conciliasse, ut in hac re se præberet adjutorem. Hinc natum illud malum; alioquin nunquam tantum facinus Antverpienses per se ausuros fuisse. Præsagio quodam mentis videtur prævidisse tumultum hunc Auriacus, qui cum ab Alenzonio in castra traheretur, obfirmato animo recusavit, affectam valetudinem & cœli gravitatem excusans. Ejus præsentia Gallis aliquot saluti fuit: inter reliquos Fervacquio Satrapæ apud Alenzonium præcipuæ auctoritatis. Sed hic alio genere nunc periclitatur. Ad eum authorem originem sententiæ de occupanda arce referunt, ideóque cognitâ causâ capitali supplicio in eum animadverti volunt. De reconciliatione inter Alenzonium & Antverpienses conventurum putant, Rege auctoritatem suam interponente, ab eòque missis, qui huic negocio interfint, viris aliquot primariis, inter quos Bellieurius & Pibracquius designantur. Pibracquium verò etiam Cancellarium Alenzonio destinant. Jam ultrò à Gallis Antverpienses ab humanitate & prudentia commendantur, quòd postquam populi furor recidisset, in nullo cessarint officio, cùm erga captivos, tum erga

eos qui se domi continuerant. v. Februatii, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XV.

NOn judicaram posse fieri, cùm dedi postremas literas ad Cæsaream Majestatem Vestram, quin mox de rebus Antverpiensibus & plura & certiora audirentur. Sed ea me spes frustrà habuit. Nam dies interea complures abjerunt, cùm nullus illinc venit, qui rem gestam ad fidem commemorare posset, aut certè vellet. Qui venerunt (qui pauci fuerunt) omnes ab Alenzonio ad Regem missi venerunt, qui res mandatas referrent, & veluti dictata redderent, multòque fumo causam Alenzonii speciosiorem reddere conarentur. Tabellarius aut Mercator Antverpia nullus; neque enim Gallis Antverpiam, neque Antverpiensibus huc transire per confiniorum Gubernatores liberum fuit. Postremò tamen laxatæ custodiæ, & merces liberatæ quæ utrinque retinebantur, restitutùmque vetus commercii jus. Sed ne sic ferè quisquam ancipitis itineris aleæ se committit. Unus tamen tabellarius venit facto per Angliam itinere, qui nihil præter vetera & jamdiu vulgata retulit, nisi quod cæsorum & captivorum numerum ampliorem fuisse ait, quàm initio nunciatum sit. Reliqua haud plurimùm differunt ab iis, quæ superioribus litteris meis comprehendi. Qui favent Alenzonio, utque ejus existimationem maximè salvam volunt, dicunt illum, clementem alioquin & mitem Principem, cùm diutiùs æmulum Principem Auriacum ferre non posset, neque fastuosam ejus civitatis libertatem, moribus Gallicis insuetam, urbe in suam potestatem redacta, eis rebus providere. id verò cogitasse non magno negocio, &

fine

sine multa cæde consequi, Orto enim tumultu & magnè multitudine Gallorum in urbem receptâ, paucis civibus primo concursu trucidatis, reliquos perterritos de defensione nihil cogitaturos, sed abjectis armis ab illo in urbem regresso quasvis leges, modò vivere liceret, acceptauros. sic ei facilè fore civitatem in suas conditiones adstringere. Sed fugit eum ratio: neque enim tam imbelles animos civium, neque tam enervatos eorum lacertos offendit, quàm Gallis dictitare mos est. Alii totum hoc facinus aliter accipiunt. Sed hæc de mente Alenzonii. De re ipsa puto supervacuum scribere plura; nam non dubito, quin Majestati Vestræ jam comperta sint omnia quod in eam partem non ita fuerunt clausa itinera. Si quid tamen desideraretur, tria mitto scripta. unum ipsorum Antverpiensium, editum lingua vernacula, alterum, quod ad Bodinum refertur auctorem, qui ante paucos annos in lucem dedit, de Repub. ea est epistola Gallicè scripta. tertium est incerti authoris, Gallici tamen, in quo non videntur satis sincera. Ad Alenzonium missi à Rege primùm Mirabellius Lausacqui frater deinde Bellieurius. quid futurum sit adhuc incertum. Sunt qui conventurum inter Alenzonium & Status putent; sunt qui pernegent. mihi fidem suspensam tenere certum est, donec certius aliquid adferat tempus. Interim redierunt eorum plerique, quos ad cogendam pecuniam Rex circumm̃iserat. Referunt nihil posse sine seditionis periculo obtineri, respondere omnes, si quid Regem premeret, scire se quid sui officii; sed illum nulla alia de causa pecuniam quærere, quàm ut more suo juvenes aliquot intempestivâ liberalitate locupleret. id vero sibi minimè videri convenire. Ac sanè mihi narrabat vir quidam fide dignus, ex

iis qui Regis ærarium tractant, Regem ex quo rediit ex Polonia, sexagesies centena millia Coronatorum, sive, ut dicimus, sex milliones largitionibus, aliisque inutilibus sumptibus prodegisse. Hac ergò spe Regem excluſum, putant à Reginis viduis multa ablaturum, ne juvenibus illis interioribus amicis suis desit cujus damni proportione suam partem feret Cæsareæ Majestatis Vestræ soror, jamdiu præter pactorum fidem in reliquarum ordinem coacta. Est in Gallia Reginæ frater Vaudemontii filius, Gubernator Britanniæ, Ducem Mercurii vocant. Is cùm abesset, nunciatum fuit eum peste absumptum. Duo à Rege illicò petierunt eam præfecturam, Nivernensis, & Dux Espernonius. is est ex intimis Regis amicis ferè præcipuus. Nivernensis tulit repulsam. hic Britanniæ à Rege Præfectus dictus est, modò ea præfectura vacaret, Quam rem, tametsi fuit irrita, renunciato incolumi Mercurii Duce, tam indignè tulit Nivernensis, ut statim suis profectionem & discessum ex aula ediceret, biduòque post, exprobratâ priùs Regi officiorum suorum oblivione, domum te reciperet. Hoc factum Regis multorum sermone, sed Optimatum maximè, carpitur. xx. Martii, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XVI.

NUllus etiamnùm venit Antverpiam ab Alenzonio. Plerique, atque ipse Mirabellius, qui omnes exigua in spe pacificationem esse referunt. immensa postulare Status! Dunquerkam reposcere, & Cameracum. nec ferre posthac in comitatu aut famulatu Alenzonii quemquam, qui sit alibi natus quàm in illis regionibus. Rex copias, tàm equitum, quàm peditum, Regni confiniis admovet, ut si quà re sit opus,

opus, sint in promptu. Nescio tamen an sic Alenzonio expeditissimum futurum sit iter, cùm vel in luto hærere possit, quod est his temporibus in illis locis altissimum. Antverpienses interim à suis captivis pecuniam exigere, & pro vita quam eis indulserunt pretium repetere dicuntur. Utcunque sit, ita videtur Alenzonius apud eos fregisse tesseram, ut non facilè deinceps eum recepturi sint. Vana spe relinquitur pacificator Bellieurius, cujus orationis gravitate & prudentiâ rentur mulceri posse iras, & concordiæ viam inveniri. Sed ut Alenzonium, fortunæ indulgentiâ inflatum, animi impotentia ex alto fastigio præcipitem dedit, sic ab Antverpiensibus, ab insolito successu tumidis, fortunâq; immodicè abutentibus, gravior aliquis casus metuendus videtur. XII. Aprilis, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XVII.

ETiamnum hodie incertum est, quò sit evasurum Antverpiense negotium, aliis de eo aliter judicantibus. Ac tametsi exulceratissimorum animorum utrimque extant vel apertissima indicia, sunt tamen qui de compositione desperandum non putent. non quòd ulla deinceps satis fida pax, aut animorum conjunctio sperari possit, tanto vulnere fide læsâ, distrahenteque Belgas ab Alenzonio tam fœdi incœpti memoria, Alenzonium contrà tam graviter vindicatâ perfidiâ ad ultionem acuente; sed quòd utrisque expediat reconciliationem qualemcunque intervenire, & manere pristinam societatem, vel in speciem saltem. Quid enim habent Belgæ aliud, quò respiciant tanto circumstante bello, quàm Gallica auxilia? aut quid est ab Alenzonii existimatione alienius, quàm sic è Brabantia profugisse, ut quarum Provinciarum ex-

in-

insperato possessionem adeptus fuerat, eandem sua stultitia amisisse videatur, atque ita per omnes gentes, quæ nunc in hujus rei exitum conjectos habent oculos, tam fœdo titulo deformatum nomen ejus circumferri? Multis famæ offensionibus dies ipsa subvenit, occasione suppeditata male admissum corrigendi. Quod si nihilominùs Belgio cedendum fuerit postmodùm, & tempus interpositum, & quælibet discessus causſæ, quæ multæ vel nasci vel fingi possunt, recessus turpitudinem non parum elevabunt. Ergò arbitranturisti, in hæc maximè conveniri posse, ut præteritorum omnium inducatur amnestia, sive oblivio; quod ipsum tamen dicto aliquanto faciliùs est, quàm facto. Bruxella assignetur Alenzonio, ubi suum domicilium habeat. Eodem in loco sit Consilium Statuum è Belgis conflatum. Huc accedant aliquot vicina oppida, ad majorem ejusdem Alenzonii securitatem. Præsidio sint Bruxellæ M. D. Helvetii cum quingentis Gallis. Auriacus Alenzonii Locum tenens, sive Vicarius Imperii constituatur. Captivi qui sunt Antverpiæ dimittantur, sic tamen, ut pretium sit hospitibus, qui eos furori plebis subtraxerunt. De reliquo maneant leges in fœdere, haud ita multò antè percusso, dictæ. Unus hîc hæret Fervacquius, quem obstinatè populus Antverpiensis ad supplicium deposcit, ut in cujus caput, tanquàm primi & præcipui auctoris, nefarium consilium recidat. Nam Bironius, literis ad Reginam seniorem scriptis, omnem hujus stratagematis suspicionem à se amolitur. Ait se venisse serò, re jam deliberata captóque consilio, nullas alias fuisse partes suas, quàm ut Alenzonio morem gereret, ejusque voluntati obsequeretur. Atque illa quidem quæ suprà scripsi de pacificatione ita desseruntur:

tur à nonnullis; sed incertum est quid dies ferat. Satis constat, cum nuper in Curiam Antverpiensem venisset Auriacus, reconciliationem suasurus, multitudinem in forum convenisse, magno clamore vociferantem; Quisquis author futurus esset, Gallos in urbem denuò recipiendi, eum se de fenestris præcipitem daturos. quo tumultu perterritum Auriacum, ea nocte in Curia quievisse. Huc accedit vel potissimùm argumentum incertæ pacificationis, quod ferè Antverpiensium nemo, tanto jam intervallo, tametsi iter pateat, huc trajecerit; cunctis reformidantibus salutem suam Gallis credere, si fortasse societas non integretur, neque de conditionibus conveniat. Hæc hactenus. Habeo idoneos authores, qui enixè contendere Regem à Lotharingo affirment, ut filiam, in summam spem natam, jam nubilem, despondeat Espernonio. At Lotharingum, à tam iniqua conditione abhorrentem, quocunque se vertere, atque omnia experiri, ne in tam indignas nuptias consentiat; eò verò confugere, ut, si filio suo Principi Lotharingo sororis Regis Navarræ Rex nuptias conficiat, libenter ei vicissim sit gratificaturus. Ea est in spe magna summæ hæreditatis puella, si frater sine liberis discesserit, ut est probabile. Nam is quidem uxorem sterilem hactenus expertus est, quæ ea est ætate, ut eum vivendo superare possit. In has verò nuptias non consensurum Navarræum credibile faciunt veteres inimicitiæ per manus traditæ Borboniorum cum Guisianis & domo Lotharinga; in quas successisse Navarræum non minùs quàm in Regnum, Ducem Lotharingiæ non fugit. Is ergò hoc se propugnaculo tuetur, in quo an satis futurum sit firmitatis dies declarabit. Jam de Espernonio etiam dicen-

cendum est aliquid. Is Regis beneficio factus est Dux, Erat ante quinque annos, antequam Regi in intimis esse cœpisset, sine re, sine nomine, *la Vallette* vocabatur. Bonorum ejus reditus non excedebantur ut multum cccc. coronatorum annuorum summam. Patrem habuit bello egregium, avum tabellionem, sive notarium. Nunc ipse Dux est, & quidem benè locuples, quando ei Regiæ opes semper patent. Sed nihil sunt ea quæ possidet, præ iis quæ expectantur, primarium aliquod Regni officium ac dignitas, & præcipua Præfectura, qualis Britannica esse potest, ut proxime scripsi. Quòd si ad hæc uxor sequatur, Regi tam propinqua, qualem in Gallia nemo sperare audeat, ne Optimatum quidem aliquis princeps, næ ille communis felicitatis modum longè superaverit, sine natalibus tamen, sine meritis. At spe & exspectatione magnus fieri potest Regis judicio, sed reliquorum non item. Invidia hæc sit, an ejus culpa, non possum dicere: sed ferè odio est omnibus propter ingenii fastum & superbiam; atque eum potissimùm Principes aversantur. Hujus veluti collega est, sed priore loco, Dux modò, paulò ante Comes Joysius, Reginæ sorori matrimonio vinctus; quem tamen antiquæ familiæ claritas, morésque amabiles, & ingenii indoles sublevat. Hic nuper factus Galliæ Admiralius, nunc verò totius Normanniæ Gubernator, despoliatis & ejectis tribus primariæ nobilitatis viris, inter quos ea Præfectura divisa fuit. Ergò hi duo juvenes sunt, quorum amicitiâ se Rex beatum, & ipsius Alexandri Magni fortunam superare putet. Hoc est quòd tota fremit & ingemiscit Gallia. Quod ne videant, qui hactenus primum à Rege dignitatis locum tenere soliti sunt, ex aula profugunt. cæteri animum Regis satis admi-

rari

rari non possunt. Hoc est cur semper indigeat, semper pauper sit Rex, & nulli benè merito gratia referatur, neque honos habeatur, dum istis cumulantur opes, & de nihilo duæ vel potissimæ futuræ Galliæ columnæ excitantur. Quo nomine inter primos offenditur Alenzonius, qui sibi in tantis, ut putat, rebus occupato malignè subveniri, potioremque ipsorum quam sui rationem apud Regem esse, graviter & indignè fert. Hæc ideò pluribus exposui, ut cùm usu venturum existimarem ut horum sæpius facienda esset mentio, haberet C.M.V. informatam quandam eorum notionem, nec incognitos animo requireret. Don Antonius Rhotomagi & Dieppæ adhuc obversatur, intentus in apparatum suæ classis, vel potius si sic licet, classiculæ suæ. neque enim ea classis quæ jactabatur, instruitur, sed ea in qua vix erunt quingenti milites, supplementum iis copiis quas ad Terzeras habet. ad hæc multa comportabuntur, quæ illorum locorum usus atque necessitas exigit. 11. May, cIↃ. IↃ. Lxxxiii.

EPISTOLA. XVIII.

REcentes quidam ab Alenzonio in bona spe reconciliationis negocium esse nunciant. Ad cujus rei fidem conditiones, quæ sunt cum his literis conjunctæ, proferunt. Bruxellam recusat Alenzonius; Dunquerkam mavult domicilii sedem. Ubi eò venerit, putant trajecturum in Galliam, ut Reges aures multis & molestis querelis oneret, quod ei juvenum quorundam amplificatio magis curæ sit, quàm ratio gravissimorum negotiorum. Auriacus quondam Admirallii Colignæi filiam, Tilignii viduam, ad se Antverpiam evocavit, ut eam ducat uxorem; ipse filiam suam, Comitis Bürani neptem, Lavallio,

Lavallio, Dandelotii Colignæi præfati fratris filio, elocar, quem urbi Antverpiensi præfuturum dicunt. Rex novum sodalitium instituit eorum, qui Flagellantes, seu Pœnitentes vocantur. Qua de re multus est per totam civitatem sermo, eóque magis, quòd cùm proximè concionator quidam celeberrimus multis dicteriis, tametsi benè Catholicus, pro suggestu sodalitium istud incesseret, eum Rex urbe migrare jusserit. Sed & quòd risu dignum est, servi nobilitatis à pedibus, quorum hîc maximus numerus est, cùm illius sodalitii in ipsa regia quædam per jocum & lasciviam æmularentur, Regis jussu abrepti ferè ad octoginta in coquinam, atque ibidem flagris ad satietatem cæsi, haud fictum simulacrum flagellatorum & pœnitentium retulerunt. XX. May, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XIX.

CRescit rumor, de quo attigi nuper, novarum turbarum, neque, quòd pessimum est, satis constat an conscio & participe Alenzonio. Itaque mater jamdiu ad eum profecta fuisset Calesium, nisi eum morbus, quem Gallicum vulgò ferunt, Dunquerkæ teneret, cum Medicis & Chirurgis rationem habentem; quo simul se extricaverit, Calesium trajecturum arbitrantur; de quibus dies certiora. Nam alii in Normanniam iturum, alii navigaturum in Britanniam contendunt. Si bellum erit, perquàm incommode eveniet Regi, cùm à pecunia, tum à reliquis rebus satis imparato. Rediit Antverpiâ Bellieurius, qui inde pacata omnia nunciat, rebus utrimque redditis & compositis, quæ mutuæ benevolentiæ impedimento esse poterant. Sic etiam dimissi captivi, inter quos Fervacquius, quem ad se reversum Alenzonius sex millium

corona-

coronatorum annuorum Abbatiâ donavit; egregiam operam, & præclare ejus consilia ita compensans. Quòd cùm Reginæ seniori referretur, teneri non potuit, quin stolidum & dementem Alenzonium subinde exclamaret. Bironii literæ in supellectili Alenzonii Antverpiæ inventæ sunt, quas pridie illius diei Gallis nefasti & feralis scripserat, in quibus Alenzonium à tam perverso consilio deterrere conabatur. quæ res magnam Bironio civium Antverpiensium charitatem conciliavit, ut nihil nunc apud eos illo sit gratiosius, in quem ferè anteà facinoris ejus major invidiæ pars derivabatur. Pibracquius nuper ad Alenzonium profectus, ab eo Antverpiam ad illos Status ablegatus est; quem quidem in ea causa plus incommodaturum puto, quàm multa armatorum millia. Endhovia Brabantiæ oppidulum conditionibus rediit in potestatem Regis, fruſtrâ propugnante Bonivetto. Bironius contrà minuta aliquot castella recepit. Parmensem ajunt se comparare ad obsidionem Alosti, paullatim Bruxellæ imminentem. 1. Junii CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XX.

REx tanto cum ardore suam Religionē complectitur, ut multis sermonem & admirationem præbeat, & sint qui postremò Regnum cum Monachatu muraturum credant. Certè Regina senior pertæsa neglectum multarum rerum, quæ sunt numeris Regii, graviter Emundum Jesuitam quendam, quem Rex auctorem potissimùm sequitur, increpuisse dicitur, quòd sibi filium ex Rege penè Monachum reddidisset magno cum Regni totius detrimento. Res interim strenuè turbantur in Aquitaniâ & in Provincia Narbonensi; qua de causa Ferrerum

rerum (quo diu apud Venetos Oratore usus est) notæ prudentiæ senem ad Regem Navarræ ablegavit. Regina senior magno impetu ferebatur Calesium, ut conveniret Alenzonium, nisi ipse per literas prohibuisset; admonens hunc congressum futurum Statibus Belgicis suspectum, ac proinde rebus suis incommodum. Hanc ille quidem causam obtendit; sed plerique eas literas ex sententia auctorum tragœdiæ Antverpiensis scriptas opinantur, Reginæ convitium & reprehensionem, & fortè etiam mutationem aliquam metuentium. Fuit hîc nuper cum Regina seniore Don Antonius, Dieppâ & Rhotomago propter pestem profugus. inde transivit ad pagum propinquum, Ruel vocant, ubi vivit in amœnis ædibus, quarum usum Alenzonii beneficio consecutus est. Constat illius familia sexaginta admodum hominibus, in cujus victum singulis diebus quarta bovis pars, duæ pecudes, unus vitulus, & centum quinquaginta panes insumuntur.

Nemo ambigit, quin jam Auriacus non dissimulanter Hollandiam pro Comite possideat, Flissingam Zelandiæ urbem ære suo sibi emit. itaque claustra atque aditum à mari provinciarum istarum inferiorum tenet. Sic in tanta reliquorum ruina & strage uni Auriaco res benè gesta est. Rex iter parat Meserias, inde ad castellum quod vocant Foullenbraye, deflexurus, ut potione aquæ Spadensis valetudini subveniat; commendata interim Reginæ seniori & suo Consilio Regni administratione. Totâ fere æstate abfuturus existimatur; metuo ut diu sit superstes. Parmensis cùm multùm fluctuatus esset, suspensis omnibus quam postremùm in partem impetum daret, demùm Cameracum dicitur obsedisse, longinquum incœptum, neque satis certi

certi exitus; quòd si tamen ei procedat, magnum ad summam rerum momentum futurum sit. Idem Parmensis oppidum Diest recepisse dicitur; sed & Bruxellæ videntur ad eum inclinare. Pestis hîc denuò timeri cœpit; quæ quidem & Lutetiæ, & in aliis multis Galliæ locis non levia indicia sui dedit. xxv. Junii. ¸cIↃ. ¸IↃ. Lxxxiii.

EPISTOLA XXI.

FUit ad Regem Regina senior, à quo conventu recurrit Bononiam urbem maritimam in congressum Alenzonii, accito sibi comite Mareschallo Rhetio. Ipse Alenzonius militem denuò scribit, quem, ut opinor, Cameraco subsidium mittat. Non leve damum Status & Bironius acceperant ad urbem Bergas, plurimis de suis militibus desideratis. Vulneratus Bironius, vix Bergarum mœnibus salutem suam tutatus est. Namurcensis Gubernator Regem invisit nomine Principis Parmensis. Venit & à Casimiro, qui transitum per Galliam peteret, nuncius quidam, quem de rebus Colonienſibus ad Reginam Angliæ missurus esset. Pontifex per Nuncium magnopere contendit apud Regem, ut decreta Concilii Tridentini recipiat, & per Regnum promulganda curet. Sed parum videtur profecturus. non tam Rege privilegium & libertatem Ecclesiæ Gallicanæ defendente, quàm suspectantibus multis id agi, ut in Galliam Inquisitio introducatur; cujus rei invidia manifestum novarum turbarum periculum ostendit. Quâ de caussa Regem, alioquin à Pontificiis postulatis haud aversum, negant eis daturum locum, ut cui sit in animo, quoad ejus fieri possit, novos motus & bellum intestinum declinare. Ejusdem votum erat præficere Metis Ducem Espernonium; sed.

sed eum moratur Præfectus arcis, qui se negat possessionem ejus cuiquam cessurum, nisi prius diutinæ militiæ, & Navaræ Regi per multos annos fideliter operæ præmia sibi solvantur. Rex etiam eò impensius mihi videtur in iis locis hærere, quod fortè vicinitate Coloniæ, & turbarum illarum occasione ad res quasdam sibi oportunas abuti cogitet. Inde deductâ ad balneas Borbonenses uxore, Lugdunum excursurus est, neq; huc ante æstatis exitum, reversurus. Reditus Ducis Joysii est in exspectatione, qui cum splendido comitatu transcendit in Italiam, voti solvendi causâ, quod in morbo uxoris conceperat, si eo liberaretur, Divæ Virginis Lauretanæ se delubrum aditurum. In eo itinere in Urbem quoque accessit, ut Pontificem veneraretur, & fortasse arcaniora quædam Regis mandata ei ederet. Non est Auriaco apud Antverpienses ea fides atque charitas, quæ solebat, ut cui id modò curæ esse videatur, ut illud Regnum suum Hollandicum stabiliat, non satis habitâ reliquarum Provinciarum incolumitatis ratione. Bruxellis quoque turbarum aliud fuisse nunciant. qua de re per hominem certum comperta exspecto. Interea Deum oro, ut C. M. V. integra sanitate impertiat, cui ego me humillimè commendo. 3. Julii, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXII.

REginæ seniori per Picardiam Bononiam properanti occurrit ad Feram Alenzonius; tempestivè quidem ille Dunquerka elapsus. nam mox ab ejus discessu Parmensis miles oppidum obsidione cinxit, tam appositè, ut qui ab Alenzonio relicti erant, diu sustinere non possent, deditionémque, non tamen inhonestis con-

conditionibus, facere cogerentur. Sic ille ubi pedem ponat in Belgio, non habet, præterquam Cameraci. quod tamen ipsum valde laborat, dispositisque circumcirca præsidiis & stationibus rerum necessariarum inopia premitur. Sed Alenzonius cum auxiliis imminet, coacta militum manu, vinoque & frumento per Picardiam ad Divi Quintini fanum contracto, quo civitatis illius fami subveniat. Incertum quò res casura sit. Qui expectabantur Antverpia Legati ad confirmationem reconciliatæ gratiæ, non venerunt; itaque perquàm iratus illis Statibus in Galliam remigravit Alenzonius. Antverpiæ dicitur esse Bironius, unam pecuniæ vocem identidem ingeminans. sed audit nemo; neque enim quicquam ab illis civibus sine seditionis periculo videtur posse extorqueri, adeò tædet toties malè impensæ pecuniæ. Contrà pugnat, quòd potest, Auriacus; sed eius gratia post tragœdiam illam Antverpiensem valde refrixit, suspectúsque evasit plerisque, ut rei privatæ suæ quàm publicæ studiosior. Sunt qui eum in Zelandiam trajecisse dicant, ne quod ibi gravius damnum acciperetur, atque ut rebus provideat necessariis. Dunquerkæ casum sequuta sunt ejus tractus oppida, Neoportus, Sanctus Winocus, atque alia nonnulla, ut ne de Brugis & Ipris desperetur. Sic res Belgicæ haud pessimè se habent. Ac nescio si quis commodè eas insinuat, an pacis conditiones à plerisque admittantur. Exspectabam è Brabantia, per quem de rebus illis omnibus edocerer; sed vereor, ne capta Dunquerqa, non jam ita libero ad navigandum, ut antè, mari, ejus tardiorem reditum faciat. Erat hic quidam ob dexteritatem in regiis mandatis & literis perferendis notissimus, neque enim erat quis-

quisquam cui Rex magis fideret, aut cui rectiùs committi putaret. Hunc miserat ad Ducem Ioysium trans Alpes, cum literis suâ manu scripris benè prolixis, duorum quippe foliorum. Sed cùm esset non multùm progressus, incidit in quatuor equites, qui iter ejus observabant, qui multis vulneribus confosso literas Regis abstulerunt, ex quo non pauca secretiora adversariis patefacta arbitrantur. Rex quidem, an eâ an aliâ de causâ, mihi incertum, statim huc revolavit, neque euntem ad balneas Borbonenses uxorem, ut proposuerat, comitatus est. Sed tamen paucis diebus ad illas balneas ad illam revertitur, inde Lugdunum petiturus. Quid verò ibi acturus sit, conjiciunt multi, sciunt pauci. sic tamen mihi persuaderi patior, eum ex propinquo tentaturum, num Monmorancium Languedoccæ Præfectura dejicere, atque in ejus possessionem Ducem Ioysium, aut quem alium de suis interioribus illis amicis, imponere possit. nam Duci quidem Ioysio totius Normanniæ Præfecturâ, Alenzonio ipsi negatâ, pulcherrime provisum est. sed dies fortassis non longissima de his rebus certiora aperiet. Hic omnium sermone increbuit, eas naves quas Dom Antonius ad Terzeras denuò misit sub duce Maltensi Equite, quem Monsieur de Chartes vocant, Ioysii Ducis, sive Admiralii consanguineo, eò incolumes pervenisse. Servivit C. M. V. pro nobili puero quidam, quem vocant S. Hilaire. Eum nunc audio militare in Hungaria. Decessit ei natu maximus frater, cui ipse, ni fallor, proximus hæres est. Sed plures sunt fratres, periculùmque est, ne, si absente eo hæreditas dividatur, ille debitam sibi partem non ferat, neque sine detrimento ejus fiat. Quâ de causâ domũ revocandum putarunt, qui sunt, ei amici, mecùmque egerunt,

egerunt, ut ad C.M.V. scriberem, eique supplicarem, ut eum cum bona venia dimitteret, sicuti facio. Erit C.M.V. clementiâ dignum, libenter ei commeatum dare, quò negotiis domesticis consulere & providere possit. Pestis hic denuò multis in locis grassatur, ad miraculum usque tenentibus cœlum ventis, vel Australibus, vel Occidentalibus. De libris illis Græcis, ut C.M.V. elementer velit esse memor, humillimè etiam atque etiam supplico. Fuit hic quidam ex illustri familia, quem vocabant le Baron de Viteaus, qui pervenerat in ora hominum, magnumque nomen sibi quæsiverat; nobilium aliquot inimicorum non minore audacia quàm successu, patrata cæde. Sed unius illorum filius, vindicandæ paternæ necis cupidus, & quòd patefactis insidiis, quas nuper Baroni struxerat, necessitatem sibi impositâ videret pereundi, nisi prævenisset, statuit simpliciter agere. Ergo die Dominico superiore Baronem ad certamen evocat in campum Lutetiæ vicinum, ubi cum singulis modò pueris, & quodam nobili, communi utriusque amico, quo arbitro, & veluti campi magistro uterentur, soli ense & pugione conjuncti, sine ullis præterea armis rem gererent, inimicitiasque alterutrius morte finirent. Non repudiavit conditionem Baro, hostemque initio congressus trajecto brachio prostravit, sed jacentem ferire noluit, jussitque surgere; quod officium magno ei constitit. Nihil enim vulnere deterritus adversarius, sed potiùs pudore casus accensus, tantâ arte, tantoque impetu ferrum in Baronem direxit, ut ei medium cor transverberaret; quo ille ictu moribundus in terram corruit. jacenti plagas complures hostis inflixit, sic ejus stultitiam castigans, quòd inimico armato pepercisset, Adquem effectum ut perveniret, jam aliquot annos

annos uni arti gladiatoriæ studuerat, tametsi annum vigesimum primum vix excederet. Talem exitum sortitus est ille Baro, qui diu in Galliâ tanquam Mars alter est habitus, quem ipse etiam Rex aliquando expaviſſe dicitur. Sic & Montenellus, sic & Busius factis dignum exitum invenerunt.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis.

Victor ex duobus vulneribus non sine periculo decumbit; altero, ut dixi, in brachio; altero in femore. Qui si ex hoc casu evaserit, tamen manet eum adhuc certamen, cum quodam cæsi Baronis propinquo, peritissimo mortis ejus vindice. Hoc totum, tametsi non valdè ad rem pertineret, tamen nihil obfuturum putavi si adscripsissem. Lutetia, x. Augusti CIↃ. Ic. LXXXIII.

EPISTOLA XXIII.

NVnquam fuit tam novi ferax Africa quin eam hodie Gallia superet. Nondum hic requieverant aures à sermonibus, quos excitaverat cædes illius Baronis, de quo nuper, cùm subitò aliud natum est, quod non minùs admirationis & sermonis præberet. Rex soror suam, Reginam Navarræ palàm multis audientibus graviter increpuit, quòd vitam degeret turpem, & flagitiis contaminatam. Commemorat memoriter mœchorum introductiones, quibus illa consueviſſet. Etiam puerum sine mariti opera natum, objectavit. eaque omnia suis tamporibus, & reliquis rebus ita notata, ut ipse inter fuisse videretur, & Reginam ea magis confiteri puderet, quam confutare posset. Finis orationis fuit, ut eam statim Lutetiâ migrare juberet, urbemque suâ contagione liberare. Sic illa, collectis raptim sarcinis, die sequenti, non modò sine ullo prosequentium officio.

officio. sed sine justo etiam famulitio, Lutetiā excessit. Vendosmiū mariti ditionis oppidū petere existimatur. Nobiles duæ fœminæ, ejus familiæ capita, ex itinere retractę & in custodiā datę sunt. neq; eo contentus Rex, ad Regē Navarræ literas scripsit, per quas de his rebus omnibus eum doceret. quibus si fidem is habuerit, uxoremq; non accipiat, ajunt Regi in animo esse illam in arcem inaccessam condere ubi nec vitæ licentia, nec pravis consiliis cuiquam obsit. Enimuero metus est, si ad maritum redeat, eique se purgaverit, ne plurimùm concordiæ & publicæ tranquillitati noceat. Nam neque voluntas, neque malitia ei deest, & abundat ingenio. Ab illo Regis cum sorore congressu Chanuallonius quidam in Germaniam profugit. Fuerat hìc aliquamdiu valdè acceptus Alenzonio; sed cùm esset compertus scripsisse quedam Autverpia in hanc aulam, quæ scripta nollet Alenzonius, gratiā ejus exciderat, jussusque fuerat ejus comitatu ab sistere. Ita ille huc reversus receptum habuit ad prefatam Reginam. quam rem adeò ægrè tulisse Alenzonium ferunt, ut ab eo omnem amorem abjiceret. Chanuallonius iuvenis est dubiæ nobilitatis, suavitate morum, ætatis flore, & formæ venustate præstans, habitus inter primos ejus Reginæ procos. Etiam Reginam seniorem filiæ ob hujusmodi intemperantiam infestissimā factā dicunt. Vt ut sit, illa ut scripsi, Lutetiā migravit, identidem usurpans, nihil se & Reginā Scotiæ vivere miserius, sibi quidem exigua portione veneni succurri posse, si sit qui suggerat; sedse nec amicū habere, nec inimicum. Hæc tabula nunc Galliam pervagatur, quę haud scio an C. M. V. auribus satis digna sit, & operæpretium fuit eam peculiaribus literis persequi. Quodut impensius facerē, me nuncii oportu-

nitas, & necessariæ ad Reginam scribendi causſæ adduxerunt; nam sanè præterea vix erat quod scriberem, Regina senior ad Alenzonium Feram reversa est, Rex ipse Lugdunum profectus, majori, ut videri vult, ex parte, ut suo Duci Joysio ex Italia redeunti occurrat. Fama est Alenzonium ducturum uxorem neptem ex sorore, filiam Ducis Lotharingiæ; sororem Regis Navarræ destinati Ducis Sabaudiæ. Sed hæc apud me plus adhuc habent admirationis, quam fidei. Cursus victoriæ Parmensis in Flandria constitit ad Ostendam, quæ præsidio ab Auriaco misso deditionem facere recusavit. Iptæ amissæ. Dixmudæ valdè laborare dicuntur; nam Brugenses, evocato quod erat Meninis præsidio, urbem suam, parum alioquin tutam, firmarunt. Meninæ præsidio vacuæ direptioni & prædæ relictæ sunt. XXVII. Augusti. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXIV.

REdiit tandem is, quem è Belgio expectari dixi, nec quicquam refert præterquam illorum populorum miram insaniam, discordes cives, dissidentes inter se civitates, nulloque consilli exitu, quo ferat libido, ruentes. Commune tamen omnium Gallici nominis odium esse, gentem à facinore Antverpiensi penè detestabilem haberi; cui odio mutua benevolentia respondere Gallos. Ergo & Bironium & suos omnes remigrasse in Galliam; cumque non supperterent naves singulorum equis transportandis, multos circumjecto stramine equos suos cremasse, multos confodiisse, aut succisis poplitibus inutiles reliquisse. Viatores quoque Belgas passim à Gallis excipi & spoliari; hæc fieri in gratiam beneficiorum apud eos acceptorum distitrantibus. Ex quo satis apparet, quam

quam non sit tuta dissimilium societas, quamvis sub multa amicitiæ simulatione & fuco lateat, quamque item facilè recrudescant inveterata nationum odia. Cameraci dicunt esse pro Præfecto, nomine istius Regis, Regalliardum, equitatus regii in finibus Picardiæ ducem; nam ejus urbis possessionem cessisse Regi Alenzonium, ad quem Bironius nunc suum iter habet. Cujus quidem Alenzonii, ut videtur, consilium est, ut quàm valido præsidio Cameraci imposito, vicina aliqua loca recipiat; Hannonienſium & Artheſianorum civitates crebris expeditionibus vexet; atque ita Brabantis, cæteriſque, quos ſibi infenſos novit, oſtendat, quantum in ſe præſidii fuiſſet, quantumque eis prodeſſe potuiſſet, ſi ſe amico uti perſeveraſſent. Hanc enim, aut aliam viam nullam eſſe alienatos eorum animos recuperandi. cujus rei eò majorem facultatem habet, quod Rex eum ſummum vicarium, ſive Locumtenentem deſignaſſe dicatur; ita tamen circumciſa poteſtate, ut neque pecunias imperare poſſit, neque pro ſuo arbitratu abuti Regis ærario. Sed tamen tantum eſt, ut dixi, Belgarum in Gallos odium, ut propter eorum ſtudiorum adfectum ipſemet Auriacus peſſime audiat, neque ejus ea ſit auctoritas quæ ſolebat, ne apud Hollandos quidem & Zelandos, à quibus parum abfuiſſe exiſtimatum ſit quin Comes & Dominus declararetur. Nunc vero non modo liberas, verum etiam acerbas & contumelioſas eorum voces ſæpè auribus haurire cogitur. Nec deſunt, qui inſimulare audent in illa Antverpienſi tragœdia conſenſiſſe eum Alenzonio, ejuſque conſiliorum fuiſſe participem. Itáque penè ad modum privati hominis otioſus Fliſſingæ deſidet; niſi quod neſcio cujus domus ſuæ negotiis vacat, ſic exſpectans dum

istius invidiæ tempestas prætereat; quemadmodum fere mobile vulgus est, nec secundæ, nec adversæ voluntatis, retinens. Non adfirmo quod dicturus sum, quamquam ferè sunt rumores quos ii dissipant quibus sunt adversi, quique veros esse nollent. Tota Gallia percrebuit; denuò ad Terzeras male pugnatum, amissam classem, Gallos omnes concisos, Lusitanos remo & triremibus reservatos, Navarchum teneri captivum. Quæ si vera sunt, ut non sunt veri dissimilia, magno Gallis hospitia Lusitanica constant. Inter cætera mandata, quæ Duci Joysio in Italiam proficiscenti Rex dederat, illud vel præcipuum fuit, ut impetraret à Pontifice facultatem vendendi bona Ecclesiastica ad aliquot centena millia coronatorum. in quo nihil potuisse efficere Joysium renunciant. Ita hic Regem sua exspectatio frustrata est, ut & nuper cùm viros primarios per Galliam circummisit qui pecuniam conficerent, quorum similiter inanis labor fuit. Cùm Rex huc redierit, de ratione erundæ pecuniæ, argentique inventione primos conventus futuros puto. Plebi quidem hîc penè ad restim res rediit, tot & tantis exactionibus tributisque malè excipitur. xv. Septembris, cIↃ. IↃ. Lxxxiii.

Hic nuncius Apostolicus, Armenienſis Episcopus senex, humanitate, & vitæ integritate insignis, in febre diem suum obiit. xx. Septembri, cIↃ. IↃ. Lxxxiii.

EPISTOLA XXV.

PAuca sunt quæ scribam; nimirum esse Cameraci Alenzonium, rerum multarum penuriâ laborantem, sed potissimùm, quod ad rem attinet, pecuniâ. Hannoniæ oppidulum est satis munitum Quesnoyum, quod ejus Duces furtim inter-

intercipere conati, cum multa cæde & fuorum jacturâ repulsi fuerunt. Aldegundius, & Junius quidam, superioris Comitis Palatini, dum vixit, Secretarius, Cameracum veniſſe dicuntur, tanquam à Statibus Legati, ut cum Alenzonio de concordiâ & reconciliatione agant. Sed agant, & reconcilient ut volent, non videntur id ſecunda voluntate populi facturi, apud quem nihil eſt nomine Gallico invidioſius. Ipræ obſidio caſtellis aliquot excitatis continuatur; quamquam à Brugenſi præſidio neſcio quid damni illatum obſidentibus memoratur. Quo tempore Alenzonium quoque adfuturum exiſtimant. Regis reditum arbitror remoraturam peſtem, quæ pluſquam mediocriter ſævit Lutetiæ. Nova quædam religio populos iſtos inceſſit. Conſurgunt urbis alicujus atque incolæ agri promiſcuæ ætatis atque ordinis, catervatimque in modum ſupplicationes habentium duorum aut trium dierum itinere peregrinantur ad templa religionis opinione clara, ferè veſtibus albis linteis amicti, crucèſque ligneas gerentes in manibus. Hujus rei initium quidam ad prodigia referunt, quorum novitate territi hac cæremoniâ Deum placandum, maláque quæ portenderentur averruncanda, duxerint. Alii fieri putant in gratiam Regis, ut illi Deus prolem impertiatur. VI. Oct. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXVI.

SCribitur mihi à C. M. V. Cameræ Conſiliariis libros quos ejus Bibliothecæ, ſuperſtite etiamnum Divæ memoriæ imperatore Maximiliano ante annos, ni fallor, ſeptem addixeram, & conſecraveram, mille florenis æſtimatos. Quam ſummam, ſi eâ C. M. V. viſum eſt munus remunerari, ſanè ampliſſimam

duco, &C.M.V.eo nomine humillime magnam habeo gratiam. Sed si ea, ut pretium æstimatæ mercis pro tot & talibus libris C. M. V. Bibliothecæ propter canitiem perpetuo ornamento & auctoritati futuris, rependitur & imputatur, facere non possum quin eam justo pretio longè inferiorem ponam. quòd pro dignitate librorum, & eâ quâ semper eos colui observantia, reticendum non putavi. nam mihi certum est, quamcunque C.M.V. boni consulere. IX. Octobris, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXVII.

TAndem Rex huc reversus est. Urbem Lutetiam inire propter pestem non placuit. Commodissimum visum est, divertere ad fanum Divi Germani Layorum. Primùm ut eò ventum est, rei primariæ cura fuit convocare, quos aliàs scripsi conquirendæ pecuniæ circa Galliæ populos & civitates missos. Hi sunt omnes viri primarii. Quid egerint illi, quidque responsi tulerint, Regi renunciabunt. Quippe unam vocem fuisse populorum omnium, tantum esse oneris, ut potiùs demendum sit aliquid ex vetere, quàm novi imponendi locus. alioquin ferri ultra non posse. Hinc caussa nascetur Regi eorum sententias explorandi, qua potissimùm ratione pecunia, qua quoquo modo inventa, opus sit, erui possit. Incertum est quò inclinent, nisi quòd non desunt, qui putent hoc munus ordini Ecclesiastico delatum iri. Rex videtur per Ducem Joysium agi voluisse apud Pontificem, ut denuò bonorum Ecclesiasticorum ad aliquot centena coronatorum millia venditionem fieri permitterat, sed quacunque de caussa nihil esse effectum. Jam isti cujusmodicunque conventus D. Germani ad exitum perducti essent, nisi Cameraco ad castellum Theodorici, quod vocant,

sex

sex abhinc milliaribus venisset Alenzonius, capto circuitu ad Andes suos festinans, ut ibi hybernet, ad quem est profecta mater, ut, si fieri possit, in aulam ipsum perducat, ut eis, quos dixi, conventibus intersit. Sed incertum est etiam quid ille faciat. Nam ille quidem ratus est suo more, tanquam sibi in maximis rebus versanti parum subventum sit; Rexque potiorem alienissimorum hominum, quàm ejus rationem duxerit. Cæterùm Cameraci neque securitati, neque annonæ satis provisum est. Castelli Cambresii expugnationem tentavit Bironius; sed nimis feliciter supervenit Parmensis, ut parùm abfuerit quin major clades acciperetur, & Bironius trepidè se reciperet, tormenta tamen bellica in tutum reducta. Belgici rebelles Status Middelburgi convenerant, ut de rebus communibus, quod esset ex usu, statuerent. Auriaci factio instabat, ut rediretur in gratiam cum Alenzonio; sed frequenter ab aliis reclamatum est, satis se recenti casu monitos quàm nihil Gallis credendum sit affirmantibus. Fuerunt qui Regem Daniæ optarent, nonnulli Casimirum nominarunt, suffragante Regina Angliæ, sed discessum est nulla re confecta. XXIX. Octob. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXVIII.

Alenzonius se recepit Laodunum. Eò Regina mater ad eum profecta est. Quid fuerit in caussa, non satis scio; nisi ut fortasse propiùs adesset Cameraco, ubi magnoperè tumultuatum esse constat, & aut captam urbem conjuratione quorundam civium & vicinorum Præfectorum, aut certè propè fuisse ut caperetur, arce tamen Gallis salva. II. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXIX.

REdiit ab Alenzonio Regina senior, itineris labore fruſtrâ ſuſçepto. neque enim is in aulam ſe trahi paſſus eſt. Sed nequeRex ejus abſentiam valdè iniquo fert animo. Regina Navarræ pervenit ad virum, à quo ſatis comiter fuit accepta; vivit tamen ab eo ſejuncta, donec de flagitii, cujus inſimulatur, veritate conſtiterit. Ea de cauſſa miſſus ad Navarrum Bellievrius, ut palinodiam Regis nomine canat, & rem inter eos componat. Regem accuſatum, quòd per iracundiam ſuomet ſanguini notam impoſuiſſet, pœnituiſſe ferunt. purgare nunc ſe, quòd quorundam verbis fidem temerè habuiſſet. Sed poſtulat Navarrus, ut ſi deliquit uxor, merito ſupplicio afficiatur; ſin falſo ſit delata, & criminis expers ſit, auctores calumniæ pœnam ferant. Satis conſtat Regem exacerbatum cæde ejus tabellarii, quem ad Ducem Joyſium miſſum aliàs ſcripſi (quam non ſine conſcientia Sororis perpetratam ſuſpicabatur) eò irarum proceſſiſſe. Qui ejus mulieris ingenium norunt, valdè ſe falli dicunt, niſi illa talem ignominiam aliquando inſigniter ultura ſit. De tumultu Cameracenſi quòd adjeci poſtremis literis meis, indè natum fuit, quòd in ea urbe viſus fuerat Dominus de Goigny, vicini loci Regis Præfectus, quem nonniſi de civium voluntate in ea urbe verſari interpretabantur. Inſcienter quidem illi, quòd poſteà res indicavit; nam ideo Cameracum venerat, ut conveniret Alenzonium, ad quem etiam huc acceſſit, ac neſcio an etiamnum apud eum ſit. Cauſſa adventus ejus fuit, ſpes injecta recipiendi per pactionem Cameraci, Alenzonio ingenti pecuniæ ſummâ Regis Catholici nomine promiſſa. Poſſe verò

verò eam actionem non abire inanem, credibile facit multùm apud Alenzonium naufraga, & à rebus omnibus nuda nobilitas, cui perquàm commoda esset hujusmodi transactio, quod ex eâ cuiusque esuriei & inopiæ paratum esset remedium. Sed hoc negotium tam in aula Regis, quam per totam Galliam magna laborat infamia, ut quo nulla re melius Gallica levitas exprimi possit. Et scripsisse de ea re, & monuisse fratrem Rex dicitur. Species quidem negotio quæritur ex mutua utriusque partis captivorum liberatione. Nihilominùs novam patari à Statibus Brabantiæ legationem, brevique adventurâ quidam putant, quæ de reconciliatione cum Alenzonio agat. Quo illi adduci videntur rebus gestis Parmensis, qui pleraque omnia quæ sunt præter Gandavum & Antverpiam occupavit. Sed illi aggeres maritimos passim aperuerunt, ut & ipsi maris inundatione tutiores essent, & eam partem Parmensi redderent inutilem. Secundo loco decursuri existimantur ad hoc novæ legationis consilium, ut quibus propositum sit extrema quæque potius subire & pati, quàm redire sub vetus, imperium. Auriacum certè à Zelandis & Hollandis in Ducem brevi creatum iri nunciatur. Pigagliardus Cameraco excessit. arci & præsidio præest Balagnius, ita animatus, ut eius possessione, vix etiam ipso jubente Alenzonio, cuiquam cessurus videatur. Alenzonius mutato consilio non creditur abiturus longiùs neque in Andes, ut dicebatur, hyematum concessurus, sed mansurus ubi nunc est ad castellum Theodorici, Chasteau Thiery vulgò vocant. Ita rediit è Belgio malè acceptus, ut locus ubi maxime latere possit ei sit optatissimus. Rex interim suos habet conventus, quorū vix finis erit ante duos menses; non

enim de pecunia cudenda tantùm agitur, verum omnia sub incudem revocantur. Quicumque toto regno pravè, aut cum insigni populi detrimento administrantur, ea mutare in meliùs, pro novæ vitæ sanctimonia quam profitetur, propositum habet. In quibus tamen probabile est eo plerumque rem recasuram, ut prima sit ejus utilitatis ratio. Exempli caussa, Reges Galliæ usurpant sibi jus conferendorum beneficiorum Ecclesiasticorum; itaque pueros, milites, & mulieres videre est Episcopos & Abbates. Disputatum inprimis fuit, an melius esset rem in antiquum statum restitui, ut electioni res permitteretur. Sed decretum fuit, quandoquidem non esset, quæ fuit antiquitus electionis integritas, sed tota esse depravata, non videri caussam, cur Rex tanto jure quæsito spoliaretur. sed præstare rem relinqui ut esset, cum eo ut Rex in conferendo bonorum & idoneorum virorum rationem haberet. Ita fortasse fiet de plerisque aliis, ut postquam populi utilitas, & onerum, quibus premitur, allevatio multis & magnificis verbis jactata fuerit, posttemo tamen Regis vincat utilitas. qui quidem legem vestiariam, quam nuper tulit, arcte observandam curat. Nam cùm ea Lutetiæ, ut ferè fit in ejusmodi legibus, post aliquot dies negligeretur, ipse suum, ut vocant, aulæ Prævostum eo misit, qui compingeret in carcerem, quotquot deprehendisset contra legem venire, ducti multi; quà viri, quà mulieres. quæ res ingentem in eo populo tumultum excitavit, ut minimùm abesset à seditione. Quid enim ita se per Prævostum tanquam latrones aut prædones arripi? habere se suos Judices & Prætores, per quos castigari, si quid secus admissum esset, solerent. nisi absisteret, se ei funestum illud officium factu-

105.

ros, & proxime minis effectus aberat. De quo factus certior Rex per Urbis Prætores, qui eum adierunt, primùm grauiter eos increpuit, quòd per negligentiam leges salutares obliterari paterentur. ea re se coactum alia ratione obviam ire. Deinde Lutetiam festinavit, rectáque ad carcerem profectus, ea de caussa captos omnes dimisit, soluta de suo carceris custodi pro singulis quæ solet mercede. Ab eo tempore legi vis addita. Cardinalis Biragius diem obiit octogenario, ni fallor, major. Eum aula, suo usa ingenio, quem vivum non amaverat, defunctum magnifico funere extulit. Nomen habebat Galliæ Cancellarii, sed officium administrabat alter. Vir fuit æquitatis amans, ideóque Christianissimæ Reginæ C. M. V. sororis fautor & amicus cui successit moribus, voluntate, & instituto dissimillimus. Urbem Geldriæ Zutphen ab Hispano interceptam accipere molitur Auriacus. Comitem Geldrensem, suspectum communicatorum cum Parmensi consiliorum, unà cum liberis captivum in Zelandiam abduci fama est. Gandavi quoque detecta per Embisium, qui aliquamdiu in ditione Palatini exulavit, Optimatum aliquot contra præsentem urbis statum conspiratio, in magnum omnes conjecit periculum; inter quos & Rhivius, qui fuit Constantinopoli Orator. Champagneo certè, qui potissimus auctor & architectus ejus conspirationis fuit, certum videtur exitium allatura. IV. Decembris, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

EPISTOLA XXX.

AMeis postremis literis nihil accidit memoratu, quod sciam, valdè dignum, nisi quod deprehensi sunt quidam apud Alenzonium cum telis, veluti locati & parati ad ali-

aliquod facinus. Quæ res magnam injecit Alenzonio suspicionem, existimanti aliquid contra se initum consilii, & sibi submissos alicunde percussores. Tandem post sedulam inquisitionem compertum est, non ei factas insidias, sed Feruacquio, idque machinatione cujusdam ab accepta injuria ei ex professo hostis. Reginâ senior ad Alenzonium denuò profecta est, cùm aliis de causis, tum ut suspicionem, si qua in eo hæsit, deleat. Ad eundem Alenzonium designati dicuntur ab omnibus ferè Statibus Belgii rebellibus Oratores, præter quam à Flandris, quibus receptio Alenzonii probari adhuc non potuit. Præfatis Oratoribus venturis octodecim torques aurei apud Alenzonium conflantur. Hollandi autem jam jurasse, aut brevi juraturi in verba Auriaci existimantur; ita tamen, ut supremi Imperii honos Alenzonio relinquatur. Auriaco prius omnia deficient, quàm continuandorum motuum, & novorum consiliorum facultas. Summus ejus administer & consiliarius Aldegundus factus est, Antverpiæ Burgimagister. Multis etiamnùm annis nullum mihi videor videre otium, nullam pacem in Belgio. Multùm quidem profecit Parmensis, sed non minùs fortassis negotii restat quàm confectum sit. E Vasconibus Aquitanisque parum tranquillæ res nunciantur, locis utrimque interceptis, quæ per arma repetuntur. Ego C. M. V. hunc annum & alios quam plurimos prosperos cedere opto & precor, cui me humillimè commendo. IX. Januarii. CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXI.

REX urget institutum sanctioris, & in melius conversæ vitæ. Putabatur acturus Lutetiæ dies istos geniales, qui sub quadragesimam

simam astitari solent, ut consueverat. Solebat enim dicere, nisi per eos dies Lutetiæ esset, se sibi visum iri etiamnum esse in Polonia, propter affluentē ejus urbis omne genus voluptatum & deliciarum copiam, præsertim certarum mulierum quibus assueverat. Sed nunc migrare Divo Germano non placet, ubi vita, solitudini proprior. Interim conventus moribus corrigendis, Statuique Regni emendando institutus, continuatur; in quo multa salutaria quotidie sanciuntur, quale illud est; Nihil est huic Regno gravius multitudine officiorum, quibus Rex illud onerat, dum sibi pecuniam conflat. Illa nunc bona ex parte rescinduntur, abolentúrque. Habebat, verbi gratia, Rex ad centum quinquaginta ministros cubicularios. exauthorati expunctíque nunc omnes, præter sedecim, aut, ut quidam, viginti quatuor. Sic factum iri putant de cæteris, cum magno compendio & allevamento populi, cujus id totum humeris incumbebat. quod tamen non fiet sine privatorum querela, qui hujusmodi officia præsenti pecuniâ suâ redemerunt. Quibus tamen ratio inibitur ut satisfiat, non tamen fieri poterit sine incommodo & insigni jactura. Interea non abest suspicio belli intestini renascentis. & sunt qui contendant jam à Navarræo missum in Germaniam ad conducendum equitem. Regi certè miles conscribitur. Reginam Navarræ putant aut rediisse in gratiam cum marito, aut certè brevi redituram, maximè operâ & interventu cujusdam Pernastii Lotharingi, præcipui novæ Religionis propugnatoris. Sunt etiam apud Alenzonium Oratores Belgici, ampliora mandata à suis civitatibus exspectantes. Alenzonius urget, ut à fratre Regni vicarius constituatur, eadem cum potestate quam

is

is habuit sub Rege & fratre Carolo, quæ sanè fuit amplissima, sed recusat Rex. Itaque parùm inter eos conventurum videtur. qua ex dissensione discordiæ, si bellum erit, etiam graviores timentur. Quotidie huc transfugiunt ex Anglia conjurationis illius in caput Reginæ factæ participes. Comitis cujusdam Nortfolkii eadem de caussa in carcerem illic dati exitium extra controversiam habetur; sed non item Comitis Arundelii, in quem Reginæ clementia propensior videtur. Sed nec Regina Scotiæ omnium, ut arguitur, conscia, magno periculo vacat. Oratorem quidem Regis Catholici, cui hæc conspiratio magna ex parte refertur accepta, migrare Angliâ jussum dicunt. Sunt qui eum Oratorem hàc iter in Hispaniam habiturum putent. XII. Februarii, CIↃ. IↃ. LXXXIV.

Reginæ senioris febris diuturnior aliquantò, quàm sperabatur, Regem à fano D. Germani huc revocavit. XV. ejusdem.

EPISTOLA. XXXII.

MAtrem ægrotantem invisit Alenzonius, fuitque apud eam aliquot diebus antequàm se Regi proderet. Postremò ejus, ut opinor, monitis ad Regem accessit salutatum, tanta cum reverentia & submissione, ut diu genupenè terram contingeret. A Rege sublevatus, sermonis initium fecit, ut Regem veniam oraret eorum, quæ contra eum secus admisisset. Respondit Rex, nulla opus esse veniâ; scire quidem opinionibus se de quibusdam dissentire, in quibus uter rectiùs sentiat se ad arbitrium matris referre paratum, staturumque eo quod illa judicasset. Ajunt datum Alenzonio consilium, ut si Regem in partes trahere, & motibus Belgicis permiscere vellet, daret operam ut sibi

Joysium

Joyſium & Eſpernonium, alios Regis oculos, conciliaret; eorum ſtudio atque opera quovis impelli Regem poſſe, quod conſilium videtur amplexurus. Ajunt Oratores Brabantiæ & Flandriæ (nam & hi venerunt) facere poteſtatem Alenzonio imponendorum quibuſcunque in urbibus præſidiorum, duabus exceptis Antverpia & Gandavo. Iidem Oratores venerunt Lutetiam Regi ſuam cauſſam probaturi. Alenzonius paucos dies cum Rege moratus ſe recepit ad caſtellum Theodorici unde venerat, reverſurus huc ante ſolemne Paſchatis. Exeuntem tota aula magno ſtrepitu ſequuta eſt, ſed præcipuè Joyſius & Eſpernonius, dimiſſique ſunt ab eo cum multis magnæ benevolentiæ notis. Rex videtur ſuæ tutelæ Cameracum facturus, eòque neſcio quas copias, nomine tamen Alenzonii, tranſmiſſurus. In ore omnium eſt bellum contra Damvillam, quem nunc Ducem Montmorancium vocant. Is eſt Gubernator Provinciæ, quam Languedoccam dicunt. Præfecturæ hujuſmodi nullis terminis definiri, ſed vitæ æquales eſſe ſolent. Succeſſor non datur niſi rebellibus, aut Majeſtatis convictis. Regi fixum eſt ei Provinciæ præficere Joyſii patrem; ſed Montmorancius non videtur ejus poſſeſſione cuiquam ceſſurus, niſi ex ea pedibus trahatur. Dedit Rex operam, ut à Parlamentorum ſuorum Conſiliariis cauſſa cognoſceretur, Montmorancióſque contumax & rebellis judicaretur. Ajunt poſt Paſcha ſumptum iri hoc bellum. Legatum Regis fore Alenzonium, quò teſtatius ſit ejus erga Regem obſequium. Res ea in magna exſpectatione eſt. Magnæ ſunt in illo tractu Montmorancii vires; multiplex ſocietas & confœderatio; multi ejus ruinâ ad ſuum exitium viam muniri ſuſpicabuntur. Nuper parum

abfuit,

abfuit, quin Rex in concilio quiddam admitteret regiæ clementiæ non satis consentaneum. Erat in eo concilio eques Maltensis, Priorem Campaniæ vocant, vir ingenio turbido, & non satis circumspecto; cumque Rex nescio qua de re, gravissima tamen, sedulò dissereret, eique Prior iste refragaretur, eò dilapsus est, ut his verbis uteretur, Si verum, Rex, velles dicere, meministi &c. Quibus verbis, ut in suam contumeliam prolatis, Rex vehementer excanduit, Et quid, inquit, egone tibi mentiri videor? citò procumbe in genua, & veniam precare. Quod cùm esset ab illo factum, Rex quidem illi veniam dedit, sed cum hac conditione, ut statim abiret è conspectu suo. Quod cùm ille cunctantius faceret, aut aliquid obloqueretur, sic ira Regi referbuit, ut educto gladio eum transfixurus fuerit, ni retentus ab iis qui aderant. Episcopus quidem Parisiensis adhuc vulneratam gerit manum, dum eam nudam in gladii aciem injicit. Sic ferè Rex in concilio facinus pœnitentiam profitente indignum commisisset. Deprecantibus multis Rex ei ignovit, ita tamen, ut absistat aulâ, neque unquam sedet in suum conspectum. Quod quidem non est supplicii parum homini in aula educato, & qui nullam alibi quàm in aula felicitatem novit. Don Bernardinus ille de Mendoza, conscius, ut fertur, & particeps tragœdiæ Anglicanæ, venit Lutetiam, ubi nescio cujus rei à Rege Catholico responsum exspectat. Sunt qui ambire legationem istam arbitrentur. xx. May, cIↃ. IↃ,Lxxxiv.

EPISTOLA XXXIII.

ALenzonius reversus ad Castellum Theodorici in gravem morbum incidit, quo cum

cum magno vitæ periculo ægrotavit. Hinc fabula vulgo orta, propinatum venenum. ei tamen nunc melius factum dicitur. Sunt qui propter copiosum sanguinis vomitum, pulmonis vitium esse suspicentur. Mater ad eum invisendum profecta etiam nunc abest XXIX. May, CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXIV.

CUm Flandri se nihil apud Alenzonium proficere viderent, neque spem relinqui in Gallicis auxiliis, domum reversi aliter sibi consulere, & de reconciliatione cum Parmensi agere cœperunt. Comiter accepti ab eo illorum Legati, & eum muneribus dimissi; eademque ratione habiti à Gandavensibus, quos eò vitissim Parmensis misit. Sic ejus negotii exitus in exspectatione est. Antverpiensibus alia mens est, omnia potiùs perferendi, quàm redeundi sub antiquum jugum. Itaque sortem cum Hollandis & Zelandis communicare, eundemque quem ille rerum suarum exitum exspectare constituerunt, cum quibus se fœdere & societate junxerunt. Quod eorum consilium reliquias laboris portendit; si quidem illi populi, si qui hodie, valent opibus, undique muniti sunt, & habent in sua manu claustra maris. Nam reliqua quidem Brabantiæ oppida unà cum Flandris, permittentibus etiam Antverpiensibus, quò eo onere liberentur, ad veterem Regis Catholici obedientiam reversura existimantur, exceptis unis Bergis, quas in suam tutelam acceperunt Hollandi. Alenzonio verò alia nunc quàm rerum Belgicarum cura, quæ propriè ad ipsum pertinet. Si quidem rumor est constans eum phtysi, quæ jam ad hecticen in-

inclinat, laborare. Quòd si est verum, ut omnes adfirmant, longum ei vitæ tempus superesse non potest. Sic quamvis iniqui Valesiis proximi erunt istius Regni hæredes Borbonii, Cardinalis inprimis, deinde Navarræus. Reginam quidem seniorem ex animi ægritudine valetudine adversa adflictari quidam dicunt; nam hinc aliquantò longiùs ruri agit. Bellum quod erat in ore omnium adversus Damvillam Rex videtur deposuisse; nam testificatus est vulgato edicto sibi nihil tam cordi esse, quàm pacem. moveret se nemo, sed communi quieti omnes consulerent. Quod Regis edictum qui sunt adversæ factionis in contrarium rapiunt, tanquam certissimum belli signum. ita eum solitum ajunt præstigia sibi effingere, quoties adversus eos bellum pararetur. Rectè illi, an secùs, tempus aperiet. x. Aprilis, cIↃ. IↃ. Lxxxiv.

EPISTOLA. XXXV.

ALenzonii salus pro deplorata habetur. Quinimò fama percrebuerat his diebus, illũ inter mortales esse desiisse; nec dies modò nominabatur xxv. hujus mensis, verùm etiam hora, utpotè x. noctis, quâ migrasse ex hac vita dicebatur. Jacuerat per aliquot horas sine ullo motu, ut extinctus judicaretur. posteà rediit ad se, & etiamnum vivit, si vivere est singulis momentis sine spe vitæ mortem exspectare. Invisit eum Regius Archiatrus, qui reversus Reginam seniorem bonâ spe implevit. Cæterùm seorsim dixit amicis, non arbitrari se tota hac luna illum superfuturum. Erit quod volet Deus; qui M. V. servet incolumen, cui ego me humillimè commendo. xxxix. April. cIↃ. IↃ. Lxxxiv.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXVI.

NOn dubia habetur Gandavi, Brugarum, & Oſtendæ cum Parmenſi compoſitio. Ac jam quidem in ſummo templo Gandavi more Romano ſacra celebrari ajunt; idem fieri Brugis in tribus templis. Una ejus oræ Sluſa non diſcedit à fœdere, quod ei intercedit cum Fliſſingenſibus. Brevi hujus compoſitionis leges in lucem exituras putant. III. May, CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XXXVII.

ALenzonius etiamnum latet affixus cubiculo, vel potiùs lecto, nec ulli ſe præbet videndum, præterquã uni aut alteri, qui ei benè volunt. benè quoque ſperare jubent. Sed qui ſunt ſine ſtudio, deſperatam ejus ſalutem putant; nec deſunt qui jam mortuum arbitrentur, ſed diſſimulari. Quorſum evadat exſpectatio, totam Galliam ſuſpenſam tenet, nec immeritò; nulla enim hodie res eſt, quæ magis interſit ad iſtius Regni ſtatum. Rex jam aliquamdiu ab uxore alieniorem ſe præbet. Cauſſam ejus rei putant æmulationem inter fratrem Reginæ, quem Ducem Mercurii vocant, & Ducem Joviſium, qui ſororem ejus habet in matrimonio. Hunc Rex cum ampliſſima poteſtate conſtituit Admirallium maris, Britanniæque præfecit Ducem Mercurii. Is in ſuæ Præfecturæ partibus ſui juris debere eſſe putat collationem officiorum & munerum; contrà Joviſius. de quo Rex certior factus graviter increpuit Ducem Mercurii, ab eòque tempore viſus eſt adverſus uxorem iniquior, ut cujus fiducia & conſcientia crederet pervicaciorem elatioremque præbere ſe Ducem Mercurii. Hinc injecta quibuſdam ſuſpicio Regem

gem divortium cum uxore meditari tanquam sterili, cùm Regni status, si unquam, uxoris fœcunditatem desideret. Missus in Aquitaniam cum ingenti & splendido comitatu Dux Espernonius; magnam præbet sermonibus & conjecturis materiam; nam istius itineris arcani vix unus atque alter, præter Regem, conscii habentur. Ipse quoque Rex brevi Lugdunum meditari dicitur, haud dubiè non levi de causâ, sed quam nemo fidelius, neque certius aperuerit, quàm tempus. v. Junii, clɔ. Iɔ. Lxxxiv.

EPISTOLA XXXVIII.

LEtalem fuisse Alenzonii morbum, mors indicavit. Concessit fato die hujus mensis decimo, eodem penè tempore & momento, quo superioribus annis frater ejus Carolus; eodem certè morbo, nimirum è pulmonis ulcere, quemadmodum C. M. V. ex ipsius Regis literis intellexit. Quorundam judicium est, publico magis bono sublatum quàm natum, hominem obnoxium pravis furilium ministrorum consiliis, qui adulatores à veris amicis non discerneret, & qui magnam famam adfectaret, sed quamcunque potius quàm bonam, facilem suscipiendis actionibus, sed faciliorem deponendis. Ergo omnis vita ejus inconstans, mobilis, inquieta, miscendis perturbandisque benè compositis rebus dedita, portendebatur. Hunc mater non ficto dolore luget; in reliquorum lachrymis plus est fortassis ambitionis & simulationis, quàm veri. Parari aiunt funus magnificum; luctum tamen intra ferias D. Joannis proximas inclusum iri. Cadaver exspectatur Lutetiæ. Rex vestem lugubrem atram præter morem induit, cùm antè violacei coloris vestitu lugere Regibus

bus mos fuerit. Hûnc casum magnæ mutationis hujus Regni causſam fore, ſunt qui conjiciunt; nec temere, ut opinor. Nam ita animatæ videntur præcipuæ hujus Regni provinciæ & civitates, ut non facilè Regem acceptura ſint, qui cum eis in religione non conſentiat. Quibus ad motus & tumultum non defuturi ſunt duces, cùm ipſi provinciarum Præſides, tum alii; quæ quibuſdam tam certa tamque exitioſa videntur, ut jam de migrando è Gallia cogitent. Rex quidem Navarræum omni honore complectitur. Donavit eum Ducatu Alenzonii, & in literis eum honeſtat titulo, quo prôximi Regni hæredes honeſtari ſolent. Ad hæc inventa eſt ratio, quâ intercepto Alenzonio, nihilominùs miſeriæ Belgii continentur. Ajunt enim teſtamento legaſſe matri Cameracum, accedet fortaſſis quicquid ſibi uſurpavit in Belgio, totáque illa actio. Hoc omne mater Navarræo ceſſura exiſtimatur. Sic illi quod volet in Belgio liberum erit, ſine ulla Regis Catholici de iſto Rege querela. Hæret interim in lateribus Artheſii & Hannoniæ acerba peſtis. Cameracenſe præſidium longè lateque incendiis & rapinâ populatur. Brugenſes præſidium Regium acceperunt, Gandovenſes Auriacenſe; ſed ea fuit pabuli inopia, ut mox equitatus ea urbe excedere & abire coactus ſit. Quare quidam ſuſpicantur Gandavenſes abjectam compoſitionis cum Parmenſi actionem repetituros, vel metu appropinquantis recentis militis Hiſpani. XVIII. Junii, CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA XXXIX.

FEriis D. Joannis & duobus diebus ſequentibus juſta perſoluta ſunt Alenzonio; quo in negotio nihil præcipuum annotatum, niſi

nisi quòd in oratione funebri nulla rerum in Belgio gestarum facta sit mentio, neque ullius illarum Provinciarum insignia pompæ illata. Testamentum Alenzonii, cujusmodi circumfertur, his litteris adjunxi. Ducem Espernonium venientem ad se Rex Navarræ perquàm comiter & honorifice complexus est; quæ res lætitiæ fuit isti Regi. Vxor tamen Navarræi eum ad se admittere noluit. Idem Espernonius per provinciam Narbonensem Rugdunum petere existimatur; quo loco Rex ei occursurus sit. Mareschallus Rhitzius versatur in Picardia, ubi arces atque oppida, quæ eo indigere videntur, præsidiis firmat, adversus subitas impressiones, & in quemcumque eventum. Multus pedes, multus eques passim locatur; eò amplius, ut ego interpretor, ut si Cameracum obsidione premi contingat, non longè petendum, sed ad manus sit subsidium. Hollandi, Zelandiq; classem instituerunt, qua prohibeant ne quid alicundè commeatus in oram Belgii, quæ suæ factionis non sit, importetur. quæ res fortasse nonnihil cationem annonam facit. x. Iunii, CIↃ. ID. LXXXIV.

EPISTOLA XL.

CErtum est Auriacum ictu minoris sclopeti interfectum; percussorem captum, & tormentis admotum nihil extorqueri ex se passum esse, quo auctore tantum facinus perpetrasset, tantùm sua manu scriptum reliquisse, eò adductum se studio liberandarum illarum provinciarum tali Tyranno. Venerunt huc Oratores ex Belgio, credo ut Regem in suas partes protraherent, sed haud commodum ab eo responsum abstulerunt. Nunc sollicitant Reginam seniorem, à qua quoque si rejiciantur, Regis Navarræ & Borboniorum opem imploraturi videntur.

videntur, Lillo Antverpiensium munimentum Parmensis obsidione premit, & ter tentata expugnatione oppugnantes magna cum æde repulsi. Rex iter Lugdunum versus ingressus est, eà maximè, ut putant, de caussâ, ut in locum præsentis Præfecti Lugdunensis substituatur Espernonius Ioysiue pater. Rex Navarræum invitat, delato ei Regni vicariatu. Guisii dominationem cogitant. Aliquis videtur esse rerum timor, nec certum qualium, nisi quòd hoc optimè tempus declaraverit. Cameracenses Marescallus Rhetzius in verba Reginæ senioris adegisse jurejurando dicitur. XXIII. Iulii, CIↃ.IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XLI.

VNum in præsens se mihi offert, quod scriptione dignum sit, Oratores Belgicos magnâ vi niti ut in suas partes Regem protrahant. Valdè favet eorum caussæ Regina senior; itáque Regem ipsum nonnihil commovisse dicuntur. Remissus ex iis unus, & cum eo simul ille qui Alenzonio, dum viveret, Antverpiæ pro Oratore operam navavit. Hos commodum ad illos Status à Rege responsum ferre ajunt, consilium, operam, favorè, auxilia liberaliter promittente. nam ei Status è contra immodica, & penè dictu incredibilia offerunt. Res est magnæ exspectationis. Sunt quidam, qui vehementer classicum canunt. Quid enim exspectare Regem, aut quod opportunius tempus habiturum bellum, quod intra paucos annos necessarium sit futurum? cur eum non præsumere, cùm tanta occasio, tanta utilitas ostendatur? Stultè optari, quod haberi non possit. Esto, nunquâ Gallis ex animo credent Belgæ, neque se eis subjicient; parùm ne videtur eos à veteris domini obedientia abstraxisse?

Vivant

Vivant aliqua ex parte liberi, nesint planè dediti Gallis, dummodò vivant hostes intestissimi Hispanis. Exiguam profectò plagâ Regis Catholici rebus inflixisse videri non potest, qui tot ab eo provincias abalienaverit, licet non plane hbi subdiderit. Nemini verò, bono judicio prædito, obscurum, quin Hispani, cupida regnandi natio, ubi se paululùm confirmarint, nequaquàm in tanta potentiâ quieturi, sed reliquæ ditionis Christianæ imperium affectaturi sint. Quantum autem supereſt præ eo quod jam adepti sunt? hîc nullam deincepslibertatẽ, nullam reliquorum Principum aut Rerumpublicarum dignitatem fore. Vnius gentis Hispanicæ omnium rerum erit arbitrium, quo nihil miserius, neque indignius. Mature ergo tantæ ruinæ occurrendum, antequàm coalescant vires. Non esse dubium, quin omnes Principes, & civitates, quibus sua salus aut dignitas cara sit, libenter arma consocient, & ad commune restinguendum incendium concurrant. Neque hæc non æquis auribus accipi puto, sed unum mortis Regis Catholici tempus exspectari. eam videri summam miscendis rebus oportunitatem. Ab Lillo Parmensis ad Termondam castra transtulit, multis, ut narrant, suorum desideratis. Calolum tamen castellum retinet, unde non parum prætervehentibus navigiis incommodi infertur. Termondæ non difficilem expugnationem, sperant exclusa ejus majori præsidii parte. Mareschallus Rhetzius est ad D. Quintini fanum, unde summoperè conatur persuadere Balagnio, qui est Cameraci, ut eâ Præfectura Regi, quémque Rex volet imponere, cedat. Balagnius autem ejus loci civibus, propter dominatus impotentiam, magno est odio, nec de effectu desperatur. Spectatur jam Rhetzii in hujusmodi actionibus

actionibus dexteritas & prudentia. Lutetiæ XVIII. Augusti, CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA. XLII.

VIX est quod scribam, tametsi me ad scribendum tempus & officium vocent. Rex nullà, quod sciam, re memorabili confecta Lugduno rediit. Fuit hic aliquamdiu in suburbana arce, quam *le bois de Vincennes* vocant, ubi templum Hieronymitarum construit, sibi suæque Pœnitentium societati; mores interim & flagitia castigans, præsertim eorum, qui pecuniam publicam, sive fisci, sive ærarii subverterunt, quorum plena est Gallia. nec parcit in his, ne summa quidem dignitate præditis. itaque multi profugiunt metu. Ab his irrupturus in Concilia, quæ Parlamenta vocant, existimatur, jurisque & judiciorum rationem ab illis repetiturus; nam & hanc nationem valdè corruptam, & medicinæ indigentem arbitrantur. Regnant in Gallia, non minùs ferè quàm ipse Rex, jusque habent quæstui, aut dant gratiæ. Cardinalis Borbonius, tametsi decrepitus, non videtur satis æquo animo Navarræo fratris filio juri successionis Regni cedere. Eà re ad partes Guisianas valde inclinat, quorum apud multos præcipua est auctoritas & gratia, Quinimò nuper dictitatum fuit, eum, sacris & Cardinalatu repudiatis, ducturum uxorem Monpensierii viduam, Ducis Guisii sororem; manétque etiamnùm ea fama. Mareschallus Rhetzius non discedit á Picardia, ubi quæ munitionibus desunt explenda curat, & loca pleraque præsidiis firmat. Nam Reginæ seniori nihil videtur deliberatius, quàm Cameraci possessionem continuare. ob id & miles Prætorianus eò missus. Ipsa Regina ad Ligerim abest, circùmque ea loca vagatur, congressum,

ut rumor est cum Rege Navarræo captans; sed is non videtur eò facile adduci, quòd à Regis Reginæque insidiis sibi cavendum putet. De uxoris adventu non desperatur. Illuc & ipse Rex profectus est, aliquamdiu mansurus, nisi vetaret eadem pestilentia, quæ eum Lutetiâ arcet. Hic adhuc incertum est quo se applicet. Res in Belgio Regi Catholico procedunt ex sententia. Recepti in gratiam Gandavenses iis, ut dicunt, legibus, ut ducenta coronatorum millia solvant; templa restituant; pro una geminam arcem habeant, sex capita quæ postulentur tradant. Sed & Bruxellenses de deditione agitant. Propter hæc nihilominus non dimittit animos Antverpia: Sed nec Hollandi, neq; Zelandi de inceptis quicquam diminuunt. Venit ab illis Reginæ senioris Orator. jactat amplissimas conditiones, quibus eos cum Rege depacisci paratos adfirmat. Non est extra dubitationem quid futurum sit. Interea Deus Optimus Maximus C. M. V. conservet, cui ego me humillimè commendo. IV. Octobris, CIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA. XLIII.

NOn modò speratus de die in diem Sanceri discessus longius fecit literarum mearum intervallum, verùm etiam quòd nihil haberem scriptione dignum. Rex lustratis diversis regionibus, ubi se à peste tutum fore crederet, postremò Blesii constiterat. Sed & illinc eum pestis ejecit, abrepta de Gynecæo uxoris nobilium puellarum unâ. Sic postremò recepit se ad fanum D. Germani Layorum, eo in loco cœptam morum & institutorum censuram peracturus. Vidi eum Blesii, apud eum,

eum, Reginásque matrem & uxorem, dolorem & luctum Christianissimæ, M. V. Sororis ex morte Alenzonii testatus. Fuit aliquis rumor novorum motuum Galliæ Narbonensis; sed ii videntur consedisse. Don Bernardinus ille de Mendoza, qui ex Angliâ hac iter habuit in Hispaniam, huc reversus est; primùm ut luctum Domini sui de morte Alenzonii testificaretur; deinde ut amoto Taxio Oratorem ageret. Taxius in Belgium se recepit, inde in Hispaniam profecturus. Si boni Oratoris est magnum sumptum facere, non facilè reperietur hoc Don Bernardino melior; nam ajunt illi esse in animo ad sedecim millia coronatorem quotannis in suam legationem insumere. Utinam reliqua consentiant, nullaque re Taxio inferior sit. Dux Espernonius, Regis ferè alter, pessimo strumæ sive scrophulæ genere laborat, cui medendo contactu dextræ Reges Gallici facultatem profitentur; cujus virtutis experiundæ magna nunc Regi occasio datur. Atque hæc scribo, quòd nihil haberem quod scribam aliud; omnia enim congelasse videntur, quò majores fortasse sequenti vere motus exspectandi. x. Decembris, cIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XLIV.

DEnuò adsunt à rebellibus Statibus è Belgio Oratores cum amplissimis, ut ajunt, mandatis, Regem, si possint, ad suam tutelam traducturi. Quid futurum sit, mihi non satis liquet. Regi quidem belli suasores non desunt. Antverpia interim gravi obsidione urgeri dicitur, penè intercepto fluminis sive æstuarii usu. XV. Decemb. cIↃ. IↃ. LXXXIV.

EPISTOLA XLV.

ADsunt denuò à rebellibus Belgii Statibus frequentes Oratores, cum amplissimis mandatis & ingentibus promissis. Duodecim oppida deferunt Regi, modò ipsi in tutelam & fidem recipiantur; in quibus oppidis summum sit ei jus & potestas. Pollicentur in sumptum belli in singulos menses centum millia coronatorum; ex quibus quinquaginta sumpturi sint à Regina Angliæ, quinquaginta ipsi præstabunt. De quibus rebus expectatur Orator Anglicus, cum magno & splendido comitatu. Adventui obtenduntur Insignia ordinis ejus Regni, quæ per eum huic Regi mittuntur. Intereà jussi subsistere in propinquo oppido Oratores Belgici; nihilominus tamen cum Rege per scripta & codicillos agunt. Sumptus eis à publico suppeditantur. Facilem & expeditam viam ad victoriam Regi promittunt, si commeatu adversarios prohibeat, neque ex suo Regno quicquam exportari patiatur. Si id fiat, nullum intra annum in Belgio hostem fore; intercluso enim ex altera parte omni maritimo subsidio, non fore tolerabilem famem, ne nunc quidem, cùm omnia à Gallia pateant, nisi difficili & gravi annonâ. Quæ ad hæc mens Regis futura sit, non est facilis conjectura. Si causam suscipiet, simul in se grave bellum trahet. Si rebellibus auxilio erit, minimè probabile exemplum erit iis rebellibus quos habet domi. Postremò capienda arma pro iis qui à communi religione diversa sentiunt, quos in Regno suo odit & aversatur, neque fert, nisi invitus. Non videntur ista hominis sibi constantis. palàm certè non putant transgressurum in partes. Reginæ

ginæ matris auſpiciis id bellum deſtinatur, non tamen ſine regiis viribus & conſenſu, Cujus autem ductu geretur, excogitare non poſſum. Eſſet quidem idoneus Rex Navarræ, aut Condæus, ſed neuter Regi ſe credit, nuptiarum & cædis Bartholomæanæ memor. Attamen non deſunt, qui dicant Regem Navarræ ſororem unicam Regni hæredem Condæo elocaturum, quò magis utriuſque ſecuritati conſultum ſit, ſi qua vis alteri fiat, altero ſuperſtite qui vindicet. Harum rerum eventus diu ignorari non poſſunt. Monſ. ille de Selles, quem in Hiſpaniâ M.V. novit, in carcere Zelandico interiit. Edictum tamdiu meditatum emendandis moribus tandem prodiit, ſed quod niſi in paucis multorum exſpectationi non reſpondeat. Ejus exemplar tranſcriptum mitto ad C. M. V. cui ego me humillimè commendo, & Deum oro, ut diutiſſimè ſervet incolumem. XXV. Jan. CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA XLVI.

REx Oratores Belgicos privatim audivit. Quæ forma fuerit eorum orationis, ex vero non poſſum dicere; nec tamen difficilis eſt conjectura. Regem quidem reſpondiſſe ajunt, in nullo ſe boni vicini officio ceſſaturum. Sunt Oratores numero quindecim, cum comitatu ad homines ſexaginta, quibus ſe adjunxit Princeps d'Eſpinoy, ille, qui cum fratre Marchione Richeburgenſi diu vixit in aula Divæ memoriæ Imperatorii Maximiliani. Etiam à Rege Catholico, & à pontifice, & à Duce Sabaudiæ adventare Oratores percrebuit, aut certè literas, quæ Regem fœderis moneant, & in officio contineant. Sed ego nec Sabaudi, nec Regis literas aut legationem magnam

vim habituras puto ; quantum valitura sit Pontificis auctoritas non possum statuere Oratoribus , quos dixi , publicè sumptus suppeditantur. Venit postremò , qui exspectabatur Orator Anglicus , cum amplo & splendido comitatu. ei nomen Comiti de Herbei. Regiâ stirpe ortum ipsi Angli confirmant. Sic obviam ei itum est , ut nihil fieri potuerit splendidius. ædes præbitæ Regiis proximæ ; sumptus decreti in singulos dies ducenti coronati. Caussa adventus præferuntur Insignia ordinis Anglicani , quibus Regina illa Regem impertit. Ceterùm vero propinquior caussa ad negotium Belgicum refertur. Ea Insignia Rex accepit die ultimo mensis superioris , in Templo D. Augustini , tempore Vespertinarum precum, assidente toto ordine Sancti Spiritus. Cui ceremoniæ vocati Oratores omnes interfuerunt; etiam illi qui è Belgio adsunt , cum magnâ tamen offensione Oratoris Hispani. Dies crastinus audiendis præfatis Oratoribus , unà cum Legato Anglico , præstitutus. Ceterùm de exitu negotii diversæ sunt conjecturæ. Certum est Regem non libenter in hanc caussam descendere ; atque etiam desiderare quædam in mandatis Belgarum. sed mater urget , cujus in nomen Hispanum infinitum est odium. Matris voluntati cessurum , & in partes transgressurum putant , si non palàm , certè consensione occultâ. Quod si fiat , vereor ut subsistat pax. Sunt qui arbitrantur inter turbatores rerum Belgicarum præcipuas partes futuras Don Antonii , eumque auxiliis Gallicis impositum iri. Sed de his rebus id demùm haberi certum potest, quod præteriit. Dum ista hic laborantur, non est cessatum alibi. Quidam Regem Navarræ veneno tollere conatus , postquam id

frustrà

frustrà fuit, seu firmitate corporis Regii. seu debilitate veneni, ad vim se convertit, intento in eum minori sclopeto. Sed nec ita propositi scopum attigit, captúsque, & in carcerem datus, causam dicit ex vinculis. Casus iste Regem graviter movit, ut certè debuit, quod ad invidiam ejus plurimum pertineat; eàque de causa illi misit unum ex iis qui juridicundo præsunt, magnæ auctoritatis virum, qui causæ cognitioni, & tormentis sicarii illius interfit, resque certas & compertas referat, an aliquo auctore, an suâ sponte & proprio odio eò processerit. VI. Martii, CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA XLVII.

HAud dubiè nunciatur è Brabantiâ subactam fame Bruxellam Parmensi se dedisse; Antverpiam verò graviter premi, amisso navigationis usu ob flumen sive æstuarium ponte junctum, quod opus tandem ad exitum perductum sit. Eam rem credibile est calcar istis additurum, quò citiùs de negotio Belgico statuatur. Nam res illic nisi fulciantur, strenuè ad ruinam tendunt. Oratores quidem contumaciam civitatum suis rebus parum confidere videri volunt, quod Rex suo nomine bellum gerere nolit, sed maternis auspiciis deleget, VII. Martii, CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA XLVIII.

DImissus Orator Anglicus die hujus mensis decimo quarto, postquam viginti diebus hìc fuisset, magno in honore, omnibusq; cultus officiis. Abeunti donatum tantum vasorum argenteorum, quod quatuor coronatorum

torum millibus æstimetur. sed & comitum præcipui donis honestati. Sequuti paulò post Belgarum Oratores, quorum singulis impertitæ catenæ aureæ pretio ducentorum coronatorum. quorum adventus nullius, aut non magni usus fuit, aut certè valdè tecti & dissimulati. Rex palàm respondit, sibi esse in animo servare pacem, quam haberet cum Rege Catholico. Reginam esse salutis eorum valdè cupidam, sed quo minùs opem ferat, prohiberi voluntate Regis. an quid secretius sub hoc velo lateat, non habeo certum. Illi quidem omni conatu adnisi sunt Regem in apertum bellum trahere. Quod idem Oratori Anglo propositum fuit, sed parùm videtur profeciſſe. Sunt qui putant nescio quid modicæ opis eis promisisse Regem, donec ex hac tempestate impendente evasisset; postquàm conquieverit, majore auxilii mole subventurum. Non enim ambiguè novi istius Regni tumultus portenduntur. Movent arma Guisiani, irati, ut vulgò ajunt, quod sua majorumque tanta merita nullâ Regis liberalitate pensentur, cùm interim duo juvenes novi, nullâ re, nisi arrogantiâ & superbiâ, insignes, magnis viribus & honoribus cumulentur. Neque hîc consistunt. volunt post Regis interitum designari Regem, qui Religionem profiteatur Catholicam; revocantque denuò in scenam sacras societates, & fœdera adversus hæreses instituta, in quibus sibi primas partes vindicant. Hoc est, cùm præclare intelligant, si Rex Navarræ post Regis mortem rerum potiatur, nullum sibi in Gallia locum fore, maturè obviam ire, & dum tempus est rebus suis consulere, vel cum summa istius Regni perturbatione, conantur. Ac sane suspendit ingens metus atque exspectatio omnes Galliæ populos, quisnam

nam religionis ſtatus futurus ſit Rege defuncto. Plerique enim veteres ritus, omneſque ceremonias & ſacra ſub Rege Navarræo profanatum diſſipatumque iri credunt, eodemque loco, & fortè pejore, Catholicos tum futuros, quàm huc uſque fuerunt qui diverſam religionem ſectati ſint. Ea opinio res novare volentibus magnam præbet oportunitatem; præſertim iis qui à vetere religione nunquam deflexerunt. Quo numero ſunt Guiſiani; quorum præterea ingens favor & gratia eſt apud populum, adeò ut voces interdùm audiantur, quibus illis plus deferatur, quam Regi. Continuatam à Carolo Magno uſque in hoc tempus gentem, perpetuos veteris religionis propugnatores, Regi & Regno Galliæ nunquam non fidos, tametſi neglectos, aliis locum obtinentibus, quem ipſi mereantur, nunc juſtè de cauſſa capere arma, munus Regis ſubire, & defendendam ſuſcipere religionem. Stat etiam ab illa parte, relictis gentilibus ſuis, Cardinalis Borbonius. Regi per literas & nuncios admonenti, viderent quò progrederentur, reſponderunt, ſe nihil contra eum moliri, ſibi manere fidem & obſequium, ne crederet fictis malevolorum criminibus. Nihilominùs appropinquare equitum Germanorum adventum fama increbeſcit, jamque Lotharingiæ imminere, & brevi habiturum Guiſium in armis ad viginti millia hominum. De pecuniâ ſi quæret aliquis, unde ſit ſuppeditatura, vulgi ad hoc expedita reſponſio eſt, pecuniam deeſſe non poſſe, amicis & adjutoribus Pontifice Maximo, & Rege Catholico; nam hos non dubiè cum Guiſianis convenire. Enimverò ſi quis attendat quibus præcipuè boni ſint iſti motus, non facilè reperiet alios, quam Pontificem & Regem

Catholicum; nam hujus quidem Provinciarum quies, & cœptorum quos sperat eventus, non aliunde pendet quàm à motibus & perturbatione istius Regni. Non fallunt ista Regem Navarræ, neque ab eo negliguntur, quin & ipse ea comparat, quibus vim propulset, & salutem muniat. Idem Regi operam suam adversus hostem defert. Rex eum animo quieto esse jubet, neque quicquam attentare, tantùm ita habere provisas urbes suas ne pateant hostium insidiis. fore sibi curæ cætera. Nescio quatenus is fidem adhibeat, nam non desunt quibus suspicari libet, nihil inscio atque invito Rege à Guisianis cœptari. Alii quidem huc usque Regem consiliorum Guisianorum expertem, sed eundem brevi cum illis sensurum, caussamque communicaturum judicant. Non quòd eos præcipuo amore complectatur, sed quòd Navarræum ob veteres discordias & dissidium religionis magis oderit. Neque mihi dubium est, quin, si detur ipsi optio, quemvis Regni hæredem malit, quàm Navarræum. Quid enim actorum suorum firmum? cujus affinis, aut etiam consanguinei statum inconcussum? cujus amici fortunam nullam subituram mutationem hoc successore polliceri sibi possit? Postremò durum est post mortem prævidere florentes fore, quos in vita afflictos voluerit. Sed est difficile talium rerum fontem & radices recludere; ideò melius, dum tempus in apertum proferat, in medio relinquuntur. Novam haud ita pridem in caput Reginæ Angliæ conjurationem deprehensam constanti famâ circumfertur. Hollandiæ & Zelandiæ populi toti sunt in apparandâ classe, quâ perrupto ponte Antverpiæ subveniant. Quod si minùs succedat, agerem maritimum qui est citra

Bergas

Bergas ſubruant, ac mare Antverpiam uſque immittant, ita ut deinceps naves irrito ponte ad mœnia ejus urbis appelli poſſint, non ſine miſeranda accolarum clade. tanta pertinacia eſt. ipſi neceſſitatem vocant. XXVI. Martii, CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA XLIX.

MAgnum in metu eſt bellum, ſubitum quidem illud & inexſpectatum, Regi ipſi penè viſum priùs, quàm cognitum. Ante duos menſes Dux Bullonius eum per literas monuerat ut rebus ſuis conſuleret, parari bellum à Guiſianis. quod à ſe tum neglectum identidem ingemiſcere dicitur. Auctor iſtorum motuum ſpecie præcipuus Cardinalis Borbonius, reverà, ni fallor, Duces Guiſius & Maynæus, & Cardinalis Lotheringius, fratres Dux d'Aumale & Marchio d'Elbœuf patrueles, Dux item Mercurius Reginæ frater, oræ Britonum & Armoricæ civitatis Præfectus. Hos ſequuntur multi alii, ſed inferioris notæ, quos longum eſſet percenſere. Cauſſæ offenſionum plures; inprimis æmulatio. Jamdiu ægrè ferunt Guiſiani, non ſe locum gratiæ & honoris, quo ſe dignos putant, apud Regem tenere; divitiis & dignitatibus alios cumulari, ſui nullam haberi rationem; jacere ære alieno oppreſſos, officiis majorum & ſuis erga hoc Regnum contracto. Regem ſibi duos juvenes ſelegiſſe, quos amaret, foveret, loco filiorum haberet, in quos Regni opes effunderet, qui ejus interiore convictu aſſiduè uterentur; cum ipſi non modò ab ejus congreſſu, verùm etiam à conſpectu objectis foribus contumelioſe repellentur. Huc acceſſit, ut opinor, ſuſpicio nec temerè orta, fore

fore ut Navarræi soror, ejus Regni & latissimæ ditionis hæres, nuberet Duci Espernonio, Conestabili, ut credunt, à Rege designato; quâ matrimonii conjunctione conciliatus Navarræo Rex, aliàs iniquior, æquum se successioni illius præberet. Huic incommodo, ut gravissimo, visum fortassis Guisianis ire obviam; nam satis constat eos, vel Navarræo, vel Condæi Regno, nullâ auctoritate, nullo numero in Gallia futuros. Cardinalis Borbonius Regni successoris nomen affectat, fertque indignè sibi præferri fratris filium, certioremque hæredem judicari. Adeoque fastidito Cardinalitio habitu sibi placet in sagis, ut quibusdam delitare videatur. Persuasum habet deberi hoc à se Sedi Apostolicæ, deberi religioni quam profitetur, deberi generi & dignitati, ne huic Regi defuncto succedere alium quam Catholicum patiatur. Sic tanquam conjurationis caput se infert, & primas partes deposcit. Religio, bonum publicum, conventus Ordinum, incolumitas Regni, salus bonorum, tralatitia res novas volentibus usurpare, adsciscuntur, obtenduntur que. Quin etiam afferri bulla, jamjamque adesse dicebatur, quæ Regi Navarræ & Condæo omni spe successionis interdicit, ut inhabilibus & indignis. Haud scio quàm utili ad concordiam exemplo, præsertim his temporibus, quibus triumphatis Persis, si unquam, Christianorum finibus pertimescendus sit Turca. Fallitur enim, si quis tam diuturno bello aliud Turcæ quæsitum putet, quàm ut sibi ad excidium Christianitatis viam muniret, ut postquàm is hostis sive sublatus, sive domitus tuta terga præstitisset, ipse totis viribus de salute & Imperii summa inæquabili certamine nobiscum dimicaret. Atque ea quæ dixi tam gratâ sunt in vulgus,

vulgus, sic animos multorum permovent, ut nesciam quid futurum sit. Regi quidem nihil potuit accidere, neque inexpectatius, neque incommodius, imparato ab exercitu, nudo à pecunia. Vix est Catholicorum optimatum quispiam, qui non Guisii consiliorum particeps, & fautor occultus habeatur. Provinciæ ferè omnes nutant; præcipuè civitates partim sunt infidæ, partim præsidium accipere recusant. Ita Rex vix habet quò se vertat, inter certos hostes, amicos vel imbecilles, vel exiguos. Et quamquam agat omnia ut vires contrahat, tamen hoste jam propinquo, & jam accincto omnis festinatio tarda est. De uno Duce Mercurii mihi mirum, adduci potuisse, ut contra Regem indueret arma, qui sororem habeat Reginam, & sit ipse magnis & recentibus Regis beneficiis auctus. Sed & hunc movit jurium, quæ prædecessores ejus Britonum gubernatores habuerunt, ereptorum, & ad Ducem Joysium ut maris Admiralium translatorum, injuria. Urbs Aurelia primæ est post Lutetiam auctoritatis; stat à partibus Guisianis. Oppidum Normanniæ maritimum Caen, cui arx imminet munitissima, est in potestate Marchionis d'Elbœuf. arcem tenet d'O, quondam inter intimos Regis, nunc Guisianus. Complura alia loca Dux d'Aumalè occupavit, ad quæ recuperanda proficiscitur Dux Joysius. Blaya locus haud longè Burdegoli dissitus, & à quo multum noceri illi civitati potest, si Regi fidelis esse pergat. Lansaccius junior, & ipse Guisianus, eum præsidio insedit. Brisaccus Andium arcem tenet. Sic plures passim per Galliam projectâ Regiæ Majestatis reverentiâ quotidie descisciunt. Tentata quoque Marsilia, sed inauspicatò. Ergo hic rerum status Ducem Espernonium, juvenem aliàs tantæ superbiæ, ut

Regii

Regii generis homines aperto capite, ipse operto se alloquentes audiret, aliquanto comiorem reddidit, ut & ipse pileo manum admoveat. Itaque vulgari joco, pileum quem antea ignorare videbatur ubi esset, jam reperisse dicitur. Rex circumquaque suos Oratores dimisit, qui sævientes animos lenirent; sed nihil æqui referunt. Regina senior etiamnùm est apud Guisium, cujus atroces in filium querelas sæpe audire cogitur. Eodem accessit Cardinalis Borbonius, ante cujus adventum negabat Guisius ad se de his rebus adiri debuisse. sibi nullam præcipuam potestatem, sed ut unumquemlibet fœderi sancto sive sacro militare. Est ibidem cum amplissimis à Rege mandatis Archiepiscopus Lugdunensis. si quid transigi possit, ea una spes Galliæ salutis. Itaque magna est expectatio reditus Reginæ, quo vel optata cùm Guisianis pax referetur, vel pernicioso ducetur belli initium. Sunt qui affirment non aliter de pace conventurum, quàm si Regi Catholico restituatur Cameracum. adeo non dissimulanter præ se ferunt Guisiani, se communicatis cum Rege Catholico consiliis arma movisse. Regina Angliæ, quam non latet quàm ista ad se pertineant, sex millia equitum ære suo conductorum auxilium Regi offerre dicitur, optione data sive Anglos malit, sive Helvetios. Rex quoque Navarræ magnum offert populariùm suorum numerum, ut qui vereatur, neque temerè, ne hæc postremò in suo capite cudatur faba. De cæde Marchionis Richeburgi, &, ut etiam ajunt, Billii, & quorundam aliorum ad pontem Antverpiensem haud dubie Cæsarea Majestas Vestra audierit. Vereor ut semper eadem scribendi facultas suppetat itineribus quibus Metam & Nanceum itur alterutrius partis militi-

militibus infestis, omnia scrutantibus ac dissipantibus. Ac nescio an hæ ipsæ literæ pervadere sine naufragio poterunt. xxv. Aprilis cIↃ. IↃ. Lxxxv.

EPISTOLA L.

GUisius oppidum Verdunum cum nonnulla resistentium cæde intercepit. Ad Guisianorum item factionem Lugdunum & Nantes defeciſſe creduntur. Ex Anglia novi motus detectio, conscio Comite Arundellio captóque, nunciatur. xxviii. Aprilis cIↃ. IↃ. Lxxxv.

EPISTOLA. LI.

BEllum strenuè gliscit, nihil tamen gestum valdè commemoratu dignum. Clerus dicitur suppeditare Regi quotmensibus centum millia coronatorum in sumptum belli, cum eo ut Rex terminum quem Huguenotorum migrationi finierat contrahat. quemadmodum fecit, ut ex edicto quod his conjunctum est, Majestas Vestra videre poterit. Sed tamen ne sic quidem Rex fidem facit se revera & sincerè cum sacrâ societate sentire, & in partes illas transiviſſe. Sunt enim qui dicant eum ita fingere ut pecuniam eliciat, quam consecutus pellem versurus sit. dies docebit. Magnum tumultum excitarunt pauci milites Huguenoti infra viginti, qui arcem Andegavensem occuparunt, præsertim ubi auditum eò venire Principem Condæum, & jam trajeciſſe Ligerim, & in suburbio castra locaviſſe. Concurrit eò quidquid erat militum, sive equitum sive peditum, unà cum Helvetiis ipsius Regis custodiæ, ductores omnes, Joyius, Espernonius, Maynæus. Biro-

Bironius. Sed Condæus, postquam se tantis copiis circumveniri vidit, neque se posse in arcem evadere, damnato consilio trans Ligerim se recepit. dissipatisque copiis in tutum atque intra sua præsidia pervenit; rumore hic interea sparso, & credito, illum in transitu fluminis cujusdam captum. sed mox de vanitate ejus rumoris constitit. Paulò post Rex copias revocavit, proter continuas pluvias, & tempus anni gerendo bello contrarium, malè acceptas, & non immunes à grassantis luis contagione. Oppidum Burgundiæ, Auxone vulgò vocant, Majestatis suum Præfectum postulavit, quod præsidium Hispanicum in arcem accipere cogitasset, & eo obtentu arcem magna ex parte delent. Et Lugdunenses jam pridem arcem suam solo æquarunt. Idem ut fieret de Andegavensi Regem imperasse ajunt. Sic magna hic fit arcium ruina; alibi ædificantur. Cum his conjuncta erit Bulla Pontifica, qua inhabiles ad succedendum huic Regno Navarræus & Condæus declarantur. Quam vim habitura sit novit Deus. Mihi metuendum videtur ne tuba sit majoris tumultus. Nihilominus dicitur Rex bona Navarræi, quibus manum injicere potuit, confiscata fiduciario titulo donasse patrueli ejus Cardinali Vendosmo. Episcopus Parisiensis Romam Regis nomine Legatus abiit, de alienatione bonorum Ecclesiasticorum, aliisque, ut credibile est, de rebus multis acturus. Orator item novus Constantinopolim profectus non ultimæ nobilitatis, quem nihil quod expediat Germaniæ tranquillitati structurum puto. Unus hic timetur eques Germanus, cui distinendo Turcicorum armorum terrorem remedio esse videtur istis persuasum. Intelligo fasciculum unum mearum litterarum quas scripsi mense

Majo

Majo desiderari. nescio ubi hæserit. miseram per viam Bruxellensem, ut tutiorem; ut etjam hunc mitto, sed cautius. spero & illum Cæsareæ Majestati Vestræ redditum iri, serò tamen. Lutetiæ. xv. Novembris cIc. Io. Lxxxv.

EPISTOLA LII.

ETsi nihil incidit à postremis meis literis scriptione dignum, scribo tamen nactus scribendi oportunitatem, quæ rara est hoc tempore. Dux Maynæus cum suis copiis pervenit ad loca finibus hostium proxima. Brevi audiemus quos progressus faciet, & quo eventu bellaturus sit. Rex animum vehementer obfirmavit ne quem sectæ Huguenoticæ, aut alium quàm Catholicæ religionis in Gallia patiatur. Itaque se proripiunt qui religionem mutare nolunt. Fuerat his diebus porrectus Regi libellus nomine mulierum & puelarum quarundam, quo ei supplicabatur ut illis tutò manere liceret, victuris in abdito fine ullâ cuiusquam offensione. Rex assentiri noluit, sed fide suâ in Angliam incolumes traiiciendas curavit. De reliquo totus ipse deditus novis suis ceremoniis, & vitæ solitudini, ut non desint qui vereantur ne ex eo in adversam valetudinem, aut certè in genus aliquod odiosæ superstitionis prolabatur. Regina Angliæ non dissimulanter Hollandiæ, & Zelandiæ, & quarundam aliarum civitatum tutelam fuscipit, ut etiâ scripto publicè edito testata est. Locis mediterraneis haud scio quantum opis allatura sit; sed maritimus ejus Regni situs, & reliquorum locorum, & validæ classis oportunitas magnum auxilium videtur promittere. Sic certè bellum ducetur, prorogabuntur miseriæ, in-

incerti posteri temporis eventis aditus reservabuntur, & clauso mari cæteras Belgici tractus regiones famis metus premet. VI. Decemb. CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPISTOLA LIII.

VUlgata jam adventantium Germanorum equitum fama. Rex Ducem Espernonium Metas ad suam Præfecturam dimisit. Ea urbs mirè turbata est propter novitatem religionis. VIII. Decemb. CIↃ. IↃ. LXXXV.

INDEX IN BUSBEQUII EPISTOLAS DE ITINERIBUS Turcico & Amasiano.

A.

Achamat Bassa. 61
Achomates Bassa à carnifice interfici non vult. 90
Achomati Bassæ primo Visiriorum laqueo gula fracta. 79
Achomatis Bassæ obitus causæ. 90
Ædibus magnificis cur Turcæ non studeant, 11. 12
Ædificia elegantia in Turcia pauca. ibid.
Alcorano insidere homini Christiano capitale. 28
Alcoranus quid. 65. quanta in veneratione. 28
Amasia præfectura Turcica. 32
Amasiæ urbis Cappadociæ descriptio. 60
Amasianum iter. 1
Amurates Belgradum oppugnavit. 14
Ancyra urbs. 49
Ancyræ descriptio. 53
Ancyra hodie Angur. 50
Angustiæ quibus Darius exercitum contra Scythas trajecit. 44

Anima in hominem unde ex Turcarum opinione. 63
Antoninus Nicæam restauravit. 48
Apparitores Chiausi sunt Turcis. 8
Erarium Suleimanni à Rustano constructum. 31
Araxis flu. Turcarum & Persarum limes. 134
Architectus qui obeliscum Constantinopoli humi jacentem erexit. 41
Areæ hippodromi Constantinopoli. ibid.
Arslambegus Singiaccus. 133
Asiam quomodo Turcæ vocent. 46
Aspertus Turcis quid. 22
Attila qualis. 179
Aula vera bona non novit nisi sero. 12
Aulica vitæ splendor multæ miseriæ. ibid.
Aurora adventante Turcæ ad venerandum Deum vocantur alta à turri. 21.

B.

Baiazetes major uxorem in matrimonio habuit. 29. *à Tamerlane unà cum uxore captus.* ibid.
Baiazetis præfectura quæ. 152
Baiazetes ad patrem vocatur & venit. 87. *minor Suleimanno patri conciliatus.* 89. *quandiu in officio manserit.* 150. *omnia circumspicit quo fratris manus carnifices aliquando vitet.* 151. *quo prætextu Mustaphan vivere fingat.* 158
Baiazetis ad suos adhortatio. 160. *fratrem aggreditur.* 161
Baiazetes Bassam Ercerumensem fallit astu. 179. *Bassæ Sebastanopolitano illudit.* ibid. *Pertan domum remittit.* 155. *in Persia.* 181. *squalore deformatus & carcere strangulatur.* 238
Bagliſon. 59
Balduinus Major Flandriæ Comes. 24
Balneæ Turcicarum mulierum. 123. *conciliatrices amorum.* ibid.

Balſamum eximium munus Turcicum. 244. *ejus fruticis ſucci genus duplex.* ibid.
Baſſa Budenſis. 2
Baſſæ Viſirii Turcis qui. 3. *mirantur nigrum veſtitum in Chriſtian. legatis.* 54
Baſſarum mos ante ſua quadrageſima. 233
Belgradum. 14. *ejus deſcriptio.* 15. *& incolæ.* ibid. *quando à Turcis captum.* ibid.
Bellerbegus Græciæ. 236
Biceps teſtudo. 46
Borchiara urbs Perſ. 221
Boſphori fauces duas arces habent. 44
Boſphorus Thracius. ibid.
Boſphorana concubina Suleimanni. 29
Brachia ingredientibus ad Turcarum Imp. cur teneantur. 62
Bruxella. 2
Buda. 2. *ejus deſcriptio.* 8. *quando à Turcis capta.* 16
Budenſis juventus laniati, Saucii ſpontanee ſic deformati Busbeq. excipiunt. 251
Bulgari unde dicti. 24. *Illyrica lingua utuntur.* ib.
Bulgarorum reges. 22
Bulgararum fœminarum ornatus. 22
Busbequii patria. 215
Busbequius quis legatus in Angliam. 1
Busbequii celeritas in apparando ſe legationi Turcicæ. 2
Busbequius legationi ſufficitur. 5. *per biduum à Maluezio de Turcarum conſuetudine & cautela inſtituitur.* ibid. *Vienna diſcedit, quomodo acceptus à Turcis prope Strigonium.* ibid. *Budam venit & quomodo ibi acceptus.* 8. *in Amaſiam iter parat.* 43. *ſecundò legationi ſe accingit.* 77. *valuas forium aperit & viſendi Suleimanni gratia prodit.* 169. *fide jubet pro captivis.* 195. *libellum Baſſis exhibet quo teſtatur*

tur se ignarum voluntatis sui domini Constantinop. manere. 94. castra Turcarum contemplatur ignotus. 124. in Germaniam iter ingreditur. 246
Byzantium vetus ubi situm putetur. 39.

C.

CÆs. Majest. postulata à Turcarum Imp. qualia. 62
Caddy judex Turcis. 226
Cameli usui peregrinantibus. 221
Camelopardalis descriptio. 42
Canis apud Turcas spretum animal. 118
Capitanei Turcici. 64
Captivi Turcarum quomodo tractentur. 194
Carcer Turcicus captivorum. 44
Carolus Cæsar. 3
Carolus V. qua existimatione apud Turcas. 180. ejus laus. 216. insignia à Turcis capta. 195
Chalcedo urbs ubi olim sita. 46
Charta ex bombycum exuviis. 323. ad sordida usurpari Turcæ ægerrime ferunt. 28
Chartæ Turcæ multum tribuunt & cur. ibid.
Cathaia regio. 221
Cathaiæ rex muneribus afficitur à mercator. 222
Cathaini peregrinorum hominum contubernium diuturnum non ferunt. ibid. per Cathaiam uti peregrinandum. 228
Cervicalia Turcica quæ. 4
Cervus audito nomine Dei caput inclinat. 104
Chederle heros quidã Turc. & secta inde nata. 58
Chederlis equi lotium fontem peperit. 59
Chiausi Turcis quid. 8
Chiausorum officium quale. ibid.
Chiausus apud Turcas quis. 97. intercludens hospites ipse excluditur. 146
Chiurli oppidum insigne pugna Selimi cum patre Baiazete. 26

Chio insula à veteribus incolis Genuensibus tenetur. 192
Christiani expugnarunt Meningem insulam. 187.
certis diebus bacchari & furere videntur. 168
Christianis Turcarum templa ingredi difficulter conceditur. 37
Circulator plumbum igne liquefactum contrectat. 225
Clades Christianorum ad Nicopolim, Varnam, & Mohatios campos. 269. Sfortiæ Pallavicini & Episcopi Quinqueccliensis. 127. prope Sigethum. ibid.
Classis Turcica. 187. victrix Constantinopolim venit. 190
Colchi hodie qui 135
Colchorum regio qualis. 136
Colores auspicati. 54
Columna Octaviani. 44
Columnæ duæ Constantinopoli veterum monumenta 40
Comæ sepulchris appensæ cur apud Græc. 17
Concil. militaria Racos vocant Turcæ. 72
Comitia imperialia sub Cæsare Ferdinando Francofordiæ. 251
Commaronium. 4
Commaronii situs. 6
Commaronium prima Cæsaris arx. 251
Concubinarum Turcicarum liberi quo honore. 30
Consiliarii Turcis qui. 3
Constantinopolitanum iter. 1
Constantinopolis situs. 40. ejusque commendatio. 38
Terræ motibus opportuna. 97
Cræsi interitus & eversionis terminus. 55
Cyaneæ insulæ. 45
Cyprinorum utilitas in Hungaria. 71.

Damar-

D.

Damarlanes hostis importunissim. 157
Dadianus sopitus capitur. 135. *quomodo se liberet.* ibid.
Demirlanes qualis. 260
Dervis Turcarum secta. 58
Dies Turcis in quatuor partes divisus. 21. *Veneris Turcis sacra ut nobis dies solis.* 99
Dieterichstein Baro Austriacus. 193
Discordia Belgradum pessundedit. 15
Discordiæ Christianis multa oppida ademerunt. 216
Divanum Turcis quid. 66
Divortia Turcis varius ex causis fiunt. 122
Diversorium Turcicum. 17
Don Petri Lasti. 1
Dragomannus Turcis interpres dicitur. 229
Duces Hispani à Busbequio redempti. 228.

E.

Ebrahimus Bassa urbi præfectus Constantinopilis. 29
Prusiadem ad Mustaphæ filium interficiendum mittitur. 35
Ebrahimus officio deturbatur & restituitur honori. 324. *Turcæ primarius interpres.* 216. *ad legationem à Busbequio expeditur.* 243. *Francofurdiam ducitur.* 251
Endrene olim Hadrianopolis. 25
Equi appellati hinnitu respondent. 111
Equis Turcicis nihil mansuetius. 110
Equorum Turcicorum initio itineris alendorum ratio. 110
Esseck oppidulum Katzianeri & nostri exercitus internecione nobile. 72.

F.

Felis Turcis in deliciis est. 118
Ferdinandus Archidux. 78. *cum gloria ad patrem*

patrem redit. 130
Ferdinandus Romanorum rex. 1
Ferdinandi regis benevolentia. 1
Ferdinandus Transilvania potitur. 3. pacta sua cum Veyvoda irrita fieri non vult. 4
Ficiminum. 6
Filiis Turcarum Impp. parente mortuo & uno imperatore facto, inevitabilis mortis necessitas manet. 31
Formica Indica canis magnitudine. 233
Forum mulierum. 40
Francofurdenses portæ veteri ceremonia reserari non debent, cum fit electio aut Regis aut Imperatoris. 252
Fugaciæ Turcis quid. 22
Furator dextro Mercurio magni æstimatur. 139

G.

Galerus Turcicus. 23
Gebise Bithyniæ opp. 46
Gerbæ insulæ quondam Meninx dictæ. 157
Gerbensis clades. 249
Germani in Moldaviam irruperunt. 212
Georgiani populi. 23
S. Georgii fabula & Turcarum Chederles eadem. 58
S. Georgius quomodo pingatur à Græcis. 59
Giangir Suleimanni fil. quomodo perierit. 80
Gianizari Turcis qui. 10, præsidiarii Christianorum Iudæorumque sunt. 9. eorum vestitus. ib. eorum mos in salutando. ibid. monachis non militibus similes. 10
Gianizarorum modestia & silentium in præsentia Imp. 64
Giaurinum. 75
Græcorum ritus circa funera. 17. circa nuptias. ib. superstitio in piscium reprobatione. 39

Græci stratagemate utuntur cum interdictum iis esset vino. 199
Gulielmus Quacquelbenus Busbequii medicus & ejus periculum in Bassa Budensi curando. 9.

H.

H Adrianopolis nunc Endrene dicta. 25. *ejus origo & descriptio.* ibid.
Hæmi montes eorumque situs. 24
Haleppus Syriæ urbs. 236
Hally laus. 206. *Bassa Epirota.* 127. *fit Visiriorum primus.* 200. *Bassa Visiriorum secundus.* 65. *ejus prandium quo Persarum oratorem regis excepit.* ibid. *equos dono mittit Busbequio.* 243
Hally & Rustani comparatio. 208
Halys ripa. 55. *Turcis quomodo nominetur.* 58
Hannibalis sepulchrum ubi. 46
Hassan Aaga orator Turcicus ad Persas mittitur. 237
Hebrus flu. 25
Heydones Hungaris qui. 14. *prædatores.* 17
Hippodromi area Constantinopoli. 41
Hispani in Meninge insula cum Turcis belligerant. 187. *arcem per triennium defendunt.* 189
Hispaniæ virtutis magna opinio apud Turcas. 188
Horæ Turcis nullæ. 21
Horologia in Turcia publica cur rara. 143
Hyæna animal quale. 52. *ut capiatur.* ibid.

I.

J Ejunium Turcicum. 169. *etiam sine aquæ haustu fit.* 34
Imaret Turcis Xenodochia. 27
Impp. Turcicorum liberis, patre moriente, & uno ex iis imperatore facto, inevitabilis mortis necessitas manet. 31

Impp. Turcici cur à ducendis uxoribus abstineant. 29
Incendiorum ratio apud Turcas. 60
Inds petuntur propter prædas, interim Turcæ ingruunt. 43
Introducendi legatos ad Imps Turcarum mos qualis. 62
Ioan. de Cardona. 192
Ioannes de Castella ut captus. 189
Ioan. Vanderaa Secretarius. 2
Iobus Salomonis magister curiæ, Turcarum sententia. 59
Irruptio in Moldaviam. 212
Isabella regina Transylvaniæ 127
Ismael rex Persarum. 42
Indicii exemplum quo Turcæ contra Christianos agunt. 226

K.

Karaffy. 50
Katzianerus ejusque clades. 72.

L.

Lavinius captivos Christianos exorat à Turca & Busbequio dono mittit. 215
Lazarus ductor Epirota ejusque supplicium. 44
Lectorum Turcicorum descriptio. 7
Legati ex aula Turcica non quandocunque volunt dimittuntur. 92
Lemnia terra quando hauriatur. 143
Libyssa olim nunc Gobisse vocatur. 46
Literæ Cesaris à Bassis perquiruntur. 124. *quas Ebrahimus legere nequit.* ibid.
Literas Turcarum imp. panno aureo obsignat. 66
Literati Turcarum quales. 234
Locus communis de aulicis. 253. &c.

de

de captivis Turcicis. 194. &c.
de virtute & vitiis. 63
de vitiis Christianorum & Turcarum frugalitate. 43
Ludovici regis Hungar. clades. 72.

M.

Mahemet Visiriorum tertius. 236
Mahometes Constantinopolis expugnator Belgradum oppugnavit. 15. legislator abscindere sibi manicam maluit quam sels somnum turbare. 118. arcem in faucibus Bosphori munit. 44. supremi judicii tempore suos sectatores quomodo in cœlum vocabit. 28
Mahumetis fabula de vini potu. 170. nomine pronunciato capita ad genua submittunt Turcæ: nomine DEI prolato in faciem venerabundi procidunt. 178
Maluezius rerum Turcicarum peritus. 3. orator Turcicus. 3. incarceratur. 4. morbum in carcere contrahit. ibid. à carcere liberatus ad Ferdinandum redit. ibid. recidit in morbum. 5. an legationem subterfugiat. ibid.
Mancipia Christiana quomodo venalia agantur. 69
Mancipium vulgare quot coronatis æstimetur. 106
Marci Despotæ Servix vindex. 62
Matrimonium Turcis unde confirmetur. 29
Maximilianus Bohemiæ rex. 76
Medicus Busbequii lue corripitur & moritur. 202. ejus hæresis de peste grassante. ibid.
Mehemet Visiriorum Bassarum tertius ad Selimum destinatur. 155
Mendici Turcici eorumque ratio. 105
Meninx insula nunc Gerba vocata. 187
Mercator Italo-Gracus: ejusque dictum de captivis Hispanis. 197

Milliaria Turcis nulla. 21
Mohacz funestus clade Ludovici regis Hung. locus. 72
Monachi Turcici. 58
Monachus Turcicus peregrinator ejusque miracula. 224
Mortui sepeliendi ritus Græcorum. 17
Mortuos suos Turcæ sedere fingunt & quomodo. 51
Mufftí sacerdos summus apud Turcas. 32. *de Baiazete consulitur à Suleimanno.* 156. *ejus responsum.* ibid. *consilium de permutandis captivis.* 232
Mulier juvenculæ filiæ amore capta. 123. *à viro sine potiundi libidine conspici haud potest ex Turcarum opinione.* 121
Murus marmoreus. 47
Mustapha filius Suleimanni ex qua muliere. 29. *multos sui studiosos reliquit.* 82. *victus.* ibid.
Mustapha Amasia proficiscitur ad patrem vocatus venit. 33. *ut se in tentorio patris defendat.* ibid. *Nervo gulæ injecto perit.* ibid.
Mustaphæ filius Prusiade educatur. 29. *filii novissima verba & mors.* 37
Mustum Turcis conceditur. 199
Muti Turcis in deliciis. 33. *aliquot ad cædendum Mustapham destinati.* ibid.

N.

Natolia hodie Turcis quid. 45
Nicæa. 48. *ejus situs.* ibid.
Nicomedia. 47
Nissæ, descriptio. 17
Nix Constantinopoli nullo fere tempore defit. 57
Nobilitas apud Turcas quo loco. 24

O.

Obeliscus Constantinopoli insignis. 41
Obsonia Turcarum quæ. 56

Officia Turcæ ut distribuant. 62
Officialium Turcarum Imperatoris silentium & modestia. 64
Olympi montis angustiæ. 48
Olympus Asiæ mons perpetua nive conditus. 38.
conspicuus Constantinopoli. ibid.
Orator Persicus Amasiam ad Turcam venit, ejusque munera. 64
Orotores in Divano discessuri mensæ adhibentur. 243
Oriza instar tritici in Turcia provenit. 25
Otmanlik Othomanni principis Othomannorum receptaculum. 48
Ottomannorum princeps qualis. 260
Oves caudam aliquot librarum habentes. 49

P.

PÆstum prope Budam. 11
Papyrus Cathaina ex bombycum involucris 223
Paschales ceremoniæ Turcarum. 178
Pastores diu noctuque in campis. 41
Pansonium. 12
Paulus Palinai. 6
Pax inter Hispaniæ & Galliæ reges Turcis molesta. 228
Pedites Prætoriani Turcis qui. 9
Pellices assumere quotquot volunt Turcæ possunt. 121
Pellicum liberi quo loco apud Turcas. 30
Pera oppidum. 194
Persarum rex Sagthamas Suleimanno offensus. 31. *& Turcicarum discrimen in religione.* 126
Pharus Turcis quid. 44
Philippus rex Hispaniæ qua existimatione apud Turcas. 180
Philippopolis ejusque descriptio. 25

Piscatores in Turcia pauci. 55
Pons Mustaphæ per Hebrum. 25
Pontis Trajani pilæ. 16
Pontus quomodo Turcis vocetur. 44
Portentorum varia genera. 205
Potio Arabica quæ. 57
Potughia. 50
Potus Turcici genus exuvis passis. 56. *de morte gentis Turcicæ.* 89
de Prædestinatione Busbequii cum Turca disputatio. 349
Præfectum Turcæ Singiaccum vocant & cur. 7
Prandeum Mally Bassæ centum juvenibus ministratum. 65
Principo insula. ibid.
Procopia insula. 221
Pseudomustapha eiusque encomia. 82
Pseudomustaphæ milites diffugiunt; ipse vero captus Constantinopolim ducitur. 85.

Q.

Quadragesima Turcarum. 163

R.

Raci Turcis quid. 73
Raptus puellæ cur in more apud Græcos. 17
Regum filiæ bubulcis aut opilionibus desponsatæ. 23
Religio malis rebus obtenditur. 36
Rhodope eiusque descriptio. 24
Romanis usitatum demensa ad amicos mittere. 230
Romanorum consules & Imperatores cum Turcæ conferuntur. 262. 263
Roxolana concubina Suleimanni. 29, *quo obtentu*

tis Mustaphæ filium è medio sustollere conetur. 35. Baiazetem patri conciliare nititur. 89
Rosam ex sudore Mahumetis natam Turcæ credunt. 28
Rosarum folia humi jacere Turcæ non sinunt. ibid.
Rustani risus in lacrymas conversus 132. dignitas ante depositionem. 31
Rustano sex millia coronatorum mittuntur à Busbequio. 208
Rustanus consiliarius Suleimanni. 3. Vistiriorum primus. ibid. Bassa honore abactus & cur. 31. cur dignitate exuatur. 34. Mustapham defert. ibid. bellum contra Persam apparat. 132. in pristinum dignitatis decus restitutus. 79. cur bellum aversabatur. 93
Rusticus pisces capi posse negans. 55.

S.

SAcerdotes Græci pro delicti magnitudine absolutionem statuunt. 39
Sagittæ exercitium apud Turcas. 142
Sagthamas rex Persarum. 178. cum Suleimanno bellum gerit. 31
Sagthamas Baiazetem in carcerem dedit. 230
Salsamenta quid. 40
Sammercanda urbs Pers. 221
Sandæus in Divanum introductus ejusque cum Bassis ibi colloquium. 193. natura qualis. 230
Saxones sub Carolo Magno in Tauricam Chersonesum deducti. 221
Schedas Turcæ parietum rimis inserunt. 27. cur. 28
Sclopetarii apud Tartaros. 217
Sclopeti Turcis magno terrori. 132
Selimbria. 27
Selimi cum patre Baiazete pugna ubi. 26. præfectura qua. 132

Selimus Suleimanni fil. ad imperium destinatus. 81. *intentus Baiazeti pro mœnibus Iconii castra ponit.* 158
Sepulchra Turcarum qualia. 51
Serviæ Despotarum domus Sophia. 22
Servianorum arx Symandria. 17. *pagus Iagodna.* ibid.
Servitus sublata an nobis profit. 105.
Servitii varia incommoda & commoda. ibid.
Sighetum à Turcis obsidetur. 128
Singiaccus Turcis quid. 7
Sinister locus Turcis honestior & dignior cur. 13
Solimi cum Ismaele Persarum rege pugna. 42
Sophiæ templum Constantinopoli. 37
Sophia ejusque descriptio. 22
Stabulorum Turcicorum ratio. 18
Strigonium arx Turcica. 6. *à nostris capitur.* 230
Suburbia in Turcia magna. 14
Suleimanni descriptio. 66. *concubina.* 29. *dictum de Pihalio, pœnas sceleris attinens.* 192. *liberi.* 80. *de peste judicium.* 200. *tria optata.* 264
Suleimannus Muffii suum consulit de Mustapha. 31. *consulit de Baiazete.* 156
Suleimanus transmisit in Asiam ad frangendos Baiazetis spiritus. 162. *Pseudomustaphæ resistere conatur.* 85. *religionis suæ observatior.* 197. *re pecuniaria plerumque laborabat.* 31. *Baiazetem interfectum cupit.* 237. *Belgradum ut reperit.* 15. *Baiazeti ignoscere constituit.* 89
Sultanus nomen honorificum apud Turcas. 129
Sus Turcis impurissimum animal censetur. 101
Symandria arx. 16.

T

Taliſmanni Turcu qui. 21
Tamerlanes Baiazetem majorem cepit. 39

Taria-

Tartarorum regulus ejusque exercitus natura. 217. *eorum victus.* ibid.
Tartarus aperto semper capite pugnans. 8
Taschan urbe Pers. 221
Taurinorum numisma. 15
Tolna Hungariæ municipium. 14
Transilvania. 3. *tota à Ferdinando recipitur.* 4. *quando mancipata.* 16. *urbes Saxonibus inhabitantur.* 221
Turguria Christianorum in Turcia qualia. 18
Turgon Bassa & ejus nominis etymon. 8
Tulipan Turcis quid. 25
Turcæ ad justas uxores pellices assumere possint. 121
Turcis à parricidio regnum auspicari necesse. 31
Turcæ ædificiorum elegantiæ non student. 11. 12
Turcarum armatura. 7. *ægre ferunt bestiam per cruciatum interfici.* 119
Turcica classis in Meningem insulam. 187
Turca Constantinopoli senex potaturus clamat, ut animæ se in angulum quendam recipiat. 11
Turcæ cum extremis difficultatibus patientia, sobrietate victus & parsimonia pugnant. 115
Turcarum cum Christianorum militibus comparantur. ibid.
Turcæ cum Persis pacem constituunt. 66. *cur parum impendant in ædes antiquas farciendas tegendasve.* 12
Turcarum deliciæ. 67
Turcæ de mensis opiparis sibi auferunt potius quam aliis mittant. 230
Turcarum de peccatis & panis opin. 11. *eorum de vini potu opiniones.* ibid.
Turcarum opinio de Chederle. 18. *de judicio defunctorum.* 51
Turcæ ex duabus maxime reb. usum capiunt Oriza & Camelis. 112

Turcarum hæresis de beatis post hanc vitam. 126. Imperatoris filii adulti Constantinopolim intrare non debent. 88. in Asia cum exercitu. 29
Turcæ imperii æmulos non ferunt. 31
Turcarum in accipienda castigatione patientia. 171
Turcæ in amicos & hostes nimii. 4. expeditionibus quot Camelis utantur. 163
Turcarum ingenia ut mitiganda. 26
Turcicæ militiæ fructus unde. 106
Turcæ multum in Hungaria sibi licere autumant. 313. non omnes pisces attingunt. 39. nullam habent temporum rationem & historias confundunt. 58. occulta flagitia non valde, manifesta graviter puniunt. 123. omni lenitate equos educant. 110. per cratem ferream fervefactam cœlum petent. 20. pietatis loco ducunt Christianum falso accusare. 226. portæ Francofurdienses aperiuntur. 252. quomodo & quando ad sacra die vocentur. 1. fauciatus duos aureos ducatos pro curatione vulneris accipit. 75
Turcarum sententia de monomachia. 133
Turcæ si bene res procedant ad Deum authorem referunt. 339
Turcarum superbia unde. 20
Turcarum temeritas inter navigandum. 14
Turcæ Transilvaniam repetunt à Ferdinando. 4. victoriam classicam sibi invicem gratulantur. 189. vini dulcedine illiuntur. 11. vini potus ipsis crimini datur. ibid. unde suspiciosi facti. 148. ut edibus utantur. 149. uti legatum Busbequium in planitie prope Strigonium acceperint. 6. uxorum pudicitiæ studeant. 121
in Turcia vivere volenti semper manus in Marsupio

ſupio ſit. 26
Typographia Cathai multis retro ſeculis. 223. *in Turcia non admittitur.* 143.

V.

VEduvickius Cæſaris legatus. 3
Veivoyda. ibid.
Veſtitus Turcicus ſenum. 54. *& Chriſtiani comparatio.* ibid.
Veſtium Turcicorum militum forma una. 63
Victoria Turcica de claſſe Hiſpanica. 180
Vienna. 5. *à Turcis obſidetur.* 263
Viennæ ubertas cucurbitarum. 150. *portæ reſeruantur legato.* 5
Vilitas Bulgariæ qualis. 22
Vinum in Turcia paratu difficile, ubi nulli Chriſtiani incolunt. 20. *cur Turcis damnatur.* 57. 171. *Conſtantinopolim importari prohibetur.* 198
Viſirii Baſſæ Turcis qui. 3
Vites Græci excidunt. 199
Vuæ conceduntur; vinum prohibetur Græcis & Turcis. 199. *quomodo per æſtatem ſeruantur à Turcis.* 57
Vxor in Turcia pileolo demortuum ſupremo dono donat. 16. *Turcica à concubina ſola dote differt.* 121.

W.

WAga flumen. 252
Weyvoda Turcis prætor. 227

X.

Xenodochia Turcica eorumque hospitandi ratio. 17. Turcis Imaret vocata. 27.

Z.

Zay legatus. 29
Zona torrida num terra inhabitabilis. 45.

FINIS.

BURRHI

IMPETUS JUVENILES.

Et,

quædam ſedatioris aliquantulùm animi

EPISTOLÆ.

BURRHI

IMPETVS IVVENILES.

Philippo Bacono.

CAnta, decanta, modulare quantum libet; novi ego me intus, & in cute; utpote mihimet probè conscius quàm sim Laudibus tuis impar: Nec dementabis me, Philippe, isthac tua dulci--molli-mellea-blandula fistula. Attamen perge, & me totis laudum vehibus onera: sustinebo lætus ac lubens; ut scias merum tibi, & absolutum in me esse imperium; adeò ut udam me argillam formes pro libitu, tabulamque rasam signes quovis charactere, aut imagine. Neque id solùm, ut egregiam facundiæ tuæ vim, pusillum me magnificiendo exprimas: sed ut ipse insuper habeam quod imiter, nempe elimatam illam tuam absoluti viri ideam; cujus ad exemplar polire me moresque meos concinnare queam. Verùm cavesis interim, ne me tanti æstimes, ut divendi nequeam, & si quando te mei ceperit satietas, ut neminem reperias emptorem. Atqui ne reperias mihi quidem summopere in votis est: sic namque certus ero me tuum esse & vivere, nec per me stabit quò minus in æternum sim.

Tuus Burrhus.

Phi-

PHILIPPO BACONO.

OBsecro te, Philippe, ne me ludos facias. Egone ut nuperas à te acceptas literas, perpolitas adeò, adeò elegantes raptim in itinere, in hospitio, in obscuro pago conscriptas credam? Ludis, ludis me: nec naris mihi esse, aut cerebelli quicquam putes, credulus si sic statuam. Quinimo ego illas in ipso Musarum choro, dictante Apolline, ac amanuensi ipso Mercurio exaratas ausim dicere, penè dejerare. At scio, scio quid moliris; & mihi in propatulo mentis tuæ sensus est, qui verborum involucris delitescit. Tantundem namque valet, *Cursim scripsi: In punctistitio profectionis, & equum conscendens fudi*: ac si diceres, *Apage cum isthác tuá dicacula balbutie: Silentium tibi in posterum indico, & impero.* Et sanè, lectis semel tam venusti floris literis; eisque carptim in transcursu Scriptis, qua ego fronte ausim posthàc elumbem meam, ernervemque imperitiam effutire? Qui sudans licèt, & anhelans novercantes mihi Gratias lacessam; prodigus & laboris chartulas penicillo adumbrem, nihil quicquam tamen tuis, adeò facilè emanantibus adæquandum pando. Bona Suada, quàm arguta, nervosa, virilia omnia in tuis scriptis? In meis quantæ rugæ? quanta syrmata? Contracto rerum peculio, id tu exprimis, quod non dicis. Ego in cortice verborum hærens, non explicuisse me satis videor, cùm omnia dixerim. Verùm enim verò, sint licèt vietæ meæ, & exsangues literæ, hoc te tamen scire velim, Philippe, non sic ænigmaticè, & sub verborum umbraculis, silentium mihi impones. Oportet clarè & pro tuâ in me authoritate imperatoriè jubeas ne te literis ulterius lassem

sem. Imò etiamsi jubeas, addubitem tamen, an in hoc unico imperium tuum non sim detrectaturus. Quæ enim possim non ad te scribere? Cùm isthoc agens, tecum veluti præsente, videor sermones sociare, curisque profligatis gaudia dilatare & si quid animo presiùs insidet, indagante calamo ventilare. Quòd si aliquando a te responsum fero, Dii boni! quàm brevi compendio doctior fio ac melior? Singulari paginâ, lineis perpaucis, modicis periodis, virtutes, scientias, disciplinas omnes, in quibus scholæ sudant, ita sereno sensu exprimis, ut magna illa mala (magni libri) obstrepera sua dicacitate, bonorum studia minùs excolant, minùs fœcundent, quàm unæ ex tuis, tam succinctis tam eruditis literis. Et tu mihi invidebis lumen de lumine? aut ut faculam meam, ad facem tuam accendam? Injurius es si feceris. Quin potiùs scribenti mihi sæpe rescribendo, fac ut è collisis literis ignescat indies tuus erga me, meus erga te amor, & affectus; perque radiorum politissimæ tuæ eruditionis reflectionem, meum in bonas artes ardorem multiplica. Nec vereare ne plùs satis calescam, aut nimium tibi occupato facessam negotium: in tua namque manu erit, effuso facundiæ tuæ rore excrescentem æstum edomare; & exorbitantis calami impetum pro tuo arbitratu moderari. Sum enim, Philippe, eo ipso modo quo esse me velis.

Tuus Burrhus.

Philippo Burrhus.

INsiste, Philippe; & adversus hæc terricula animum mascula. Terricula, inquam, nam quos tu veluti Herculeam gentem, Gigantesque decumanos horres, manduci plane sunt, & stramentitia mera farcimenta.

Tuum-

Tuumne illud ſublime pectus, legum noſtrarum ſtudia ob illævigatam accedendi viam; inconcinnam rerum methodum; & exoticum ſtyli idioma expaveſcere? Dii ne faxint. Quin hebes, (uti noſti) & obtuſus ille capito *N. N.* has quæ te remorantur ſalebras, pervicaci uſus ſedulitate ſuperavit. Et in carceribus tu fatiſcis? ne tentato ſemel ſtudio? Perge, perge; nec nudũ te à decem talibus palæſtritis (ſi aſſueveris modò) præverti poſſe ſpondeo. Atque ipſe inſuper fidus comes adero; & quoties nimium in arena deſudaveris, anhelanti tibi frigidam ſuffundam: Nempe compellabo te crebris literis, ac ſuaviratibus, lubentiiſque, lævigabo duram tibi, & aſperam hanc palæſtram. Enittere igitur, Philippe fortiter; nec æquabilem modò, meabilemque viam uſu reperies; ſed facilem, perviam, & jucundam. Anteceſſores illos, eximios viros æmulare: Patruum tuum Franciſcum Baconum; Doctrigium, Cocum, & novum exortum ſidus Seldenum. Quòd ſi neſcius municipalium legum gentis tuæ permanſeris, in omnem vitam cæcutiens palpitabis. Sub hac, hac caute dives auri vena effoditur: hinc recta ad Honoris templum itur; & his, æquiſſimis his, ac optimis legibus ſtetit, ſtatque adhuc, & æternum ſtabit (ſpero) ſalus & gloria gentis *Anglicanæ*. Verùm hæc ſeriò; poſt hac promiſſi memor exporrigam frontem, & ſuaviùs te accipiam. At meminiſtin', Philippe? Guſtus ſit pitiſſando: pitiſſa modò paululum, pauxillulum, & extimis labiis liba Liteltonum noſtrum: poſt paucos menſes guſtabis ſcio; ac tandem hianti gulæ avidè degluties. Si dubitas, recipit in ſe & ſponſor erit

Tuus Burrhus.

PHI-

PHILIPPO BACONO.

HEm! Siccine aufugisse te, ô bone? Siccine extricasse te, & retuliſſe pedem? Te, qui abiens non satis officinas nobis literarum omnes occluſisse duxti, ni & insuper animas, & corda tuorum suppilasses clanculum? Te, qui petulcus nimiâ Musarum indulgentiâ, fatullas liberum pectus artium dulcore; nos dum miſellos, petrones, rupices opprimit, marcor, & literarum caritas? Te, qui discedens etiam aceto interdixti nobis, atque sale? Siccine, inquam!, facinore hoc dapatico perpetrato te latere credis? Ita mihi dii Deæque bona duint, non feram; pepo, non homo ſi fecerim. Nullus enim deſiſtam, quin te usque & usque Liteltoniano inſectabor genio, donec adhamatas Musas, nobis aut præsentiâ, aut scripto tuo reſtituras viderim. *Car Mon Maiſtre Litelton dit, que cheſcun Iointenant eſt ſeiſie de ceo que il tient iointement per my et per tout. Ergo ieo di que nous avons part en les Muſes.* Stratioticum (ita me Plowdon amet) argumentum & luculentum, nec ceſſabo acriter urgere, ni ipſe tu, aut tuæ literæ actutùm advolent. Interim in eam inducias, nec deſinam esse

Tuiſſimus Burrhus.

PHILIPPO BACONO.

CUr inclementer dicis lepidis literis? cur in immerentem linguam iniquus Cenſor, me Patrono, me Dictatore? Quid illud tandem, aut quorsum? *Mihi lingua vix latialis eſt.*

Quaſi

Quasi Cæsar, cæsiusque utero, literæ difficillimè prodeunt. Ah! enecas. Nusquam, nusquam non Latialis illa mei Philippi lingua est, nisi dum se vituperat, me laudat. Vah! execror, & nautea tetrius quicquid est laudum olet, dùm tui, tui mei fiunt cum dispendio. Nec enim Cæsari similes tuæ literæ, nisi in eo forsan, quod fortunam vehunt Cæsaris; vincunt, imperant, dominantur. At quid rei tandem esse dicam, quod immerentem me delicias facis? immerentem me, qui te oculitùs, & animitùs adamavi semper? Quid aliud enim illud, cùm evanidam illam literarum, mearum vappam, venerandum præ vetustate dixeris? Ah! abstine (per Deos, te oro, Deasque omnes quicquam in me laudare, nisi quod verè, & intimè te amem; nisi, quòd veré & intimè a te amer. Hæc mea est ambitio; hic mearum laudum apex; quo si fruar, non invidebo Regibus, non Diis ipsis. Tu, tacitum Musarum mel, vale; et sis, quod esse te cupit, nempe omnium viventium fælicissimus

Tuus Burrhus.

Philippo Bacono.

O Cunctatrices Horæ! voscque Tempora languidé collabentia! ut me mora vestra macerat, mactat, cui impar sum ferendo, nec queo fugere. En hic stipes sedeo, & ungues mordeo, & porcum tondeo & hircum mulgeo, & (heu! heu!) quis patiens dixerit, *Tholosanum* lego. [*Petrus Gregorius Tholosanus scripsit Syntagma Iuris Universi.*] O *Tholosane*! duriter cubent ossa tua; quam non isti nobis cautum benè cum isthoc tuo longo-largo-denso-crasso Heautontimoremeno Syntagmate? cui ut revolvant ne duo quidē sufficiunt robusti bajuli. O

portentum

parturiens caput! nam crede mihi hoc non fuit librum edere, sed Elephantem, nec hoc est cerebrum tantùm, & ingenium lectoris tui luxare, sed brachia, crura, transtra, pluteos. Sub hoc onere per integrum ferè mensem, perdius, pernox gemui; nec repuerascens denuo Janus pater, lenius quicquam aut mitius pollicetur. Etiam tu, Philippe, tu hoc nosti, & negligis, nec scripto, nedum nuncio solaris miserum. Fac saltem te vivere, & salvere sciam: quod ubi intellexero, subibo lætus quemvis fortunæ jactum. Vale cordum Regule, & meum tibi fidelissimum esse scito.

Burrhus.

PHILIPPO BACONO.

SAlve Æsculapi, Æsculapi salve. Ægrotabam equidem, ut qui perditissimè: Et medicorum choro nihil non tentanti, (incisa vena, haustis potionibus, devoratis catapotiis, adhibitis lenimentis; absumpto denique omni pharmacorum genere) actum jam planè de Burrho tuo videbatur. At vide quam sis mirus Archiatrus; unico tuo Recipe me sanasti. Nam tuis semel acceptis literis, exilij è lecto potis vel ad luctam. Salve Æsculapi, Æsculapi salve,

Burrhus.

PHILIPPO BACONO.

DUo fuit amici. Quid ais? inquies, Fuit? O miserè, non læsum modò, sed detritum planè

planè Priſciani caput. Corrige, corrige, & die, Fuerunt, ni mavelis malè mulctari, & undique ſpiculis Grammaticorum obrui. Imò iterum, iterumque repeto, & audax dico, Fuit. Non ferunt, ais, regulæ Grammaticæ. Fert tamen, aio, regula amicitiæ: & congruè hoc a me dictum afferent, qui quid ſit verè, & unicè amare norunt. Sed age: fac tandem videam illos tuos formidabiles ſtrigones, athleticos illos tuos Grammaticaſtros, à quibus dirum illud hoc mihi ſupplicium minitaris. Ædepol nihil mali mihi ab illis metuo; quin caveant ipſi ſibi à me potiùs, qui telis ſi me petant, eiſdem petam & ipſos telis. Meminerint velim, quid nobis pueris Grammaticam diſcentibus in exemplum dederint; illud nimirùm è Terentio ſumptum, *Amantium iræ amoris Redintegratio eſt.* Hem! iræ eſt? nomen plurale verbo ſingulari junctum? O me ſalvum cui adſtipulatur etiam ipſa Grammatica! Quid verat igitur, quò minùs duos verè amicos verbo ſingulari copulem, quibus unus animus, unus idemque affectus; quique idem ſpirant, ſperant, metuunt, vòlunt, nolunt. Atque hoc vel ideò maximè quòd amicitiæ ſic Grammatica amicos necti, ac vinciri doceat. Eia, ut tu ſuaviter nugaris? inquies. Quaſi peculiarem aliquam Grammaticam amici ſibi obtineant. Scilicet peculiarem, & à vulgari diſſonam. En tibi ſpecimen. Nullus eis Accuſandi caſus, aut Ablativus. Dubium genus non admittunt, imò execrantur, Comparationes omnes arcent. In verbis numerum pluralem reſpuunt, contenti ſolo ſingulari. Inter modos Imperativus diſplicet. E temporibus præſens probant, uti & futurum: Præteritum non niſi præſenti, aut futuro junctum. Imperfectum & pluſquam perfectum damnant.

Par-

Participiorum præcipuus apud eos usus. Supinorum nulla æstimatio, Adverbiorum quædam non agnoscunt, ut dubitandi, negandi, disjungendi. Interjectiones dedignantes, fastidientes, maledicentes horrent & fugiunt. Atque his poteram pariter syntaxin addere, & singillatim omnia exemplis illustrare. At vereor nimius sim, & te quam par est, diutiùs morer. Audi tria verba. Sat illibatè amicos loqui censeo, cùm quicquid, cor aut amor dictat, expromunt, verba sint licet parùm diserta aut congrua. Et ita mecum te censere sentio. Nam tu es ego, Philippe, ego sum tu: & ero dum ero

Tuus Burrhus.

PHILIPPO BACONO.

NOn est quòd Delphos eam, & oculatas Pythonissæ manus pretio illinam, ut favens mihi è Tripode responsum accinat, quo noscam, quid de me meus *Philippus* censeat: an amare me pergat; an more solito, læta mihi omnia voveat & optet. Non enim certior sim me vitam vivere, videre quod video, tangere quod tango, quàm quòd intimis tibi præcordiis charus hæream, nullis fortunæ casibus unquam amovendus. Et tu itidem, *Philippe*, quid rerum gerit *Burrhus*; qui valet; & quo in loco res ipsius sitæ, anxiè scio exquiris. Scilicet vivo, sed ut mare, sedatâ tempestate, trepidationis motu ad tempus fervet, ita animum, meum præteriti pavoris vibices etiamnum malè habent: eóque pejus, cum futilem planè, & pertridiculam formidinis causam cogito. Tu si scire aves, expromam, & quanto potero verborum compendio. Meministi, ut comitatus à te discesserim; nimirum barbatissimo, superci

liosissim-

liosissimo, & hyperbolico illo Domino nostro Justitiario: illo Domino nostro Justitiario ad pacem, cui plenilunio coccyssat cerebrum, solstitioq; æstivo decurrunt sinciput & occiput. Quin illum Dominum nostrum Justitiarium cum coccyssante suo cerebro, & sincipite, & occipite male mulcter Jupiter. Nam primo profectionis die, tricessimum ab urbe lapidem emensi, & appetente vesperâ, in diversorium unà concessimus. Ibi peractâ cœnâ uterque nostrûm lassus ab itinere, lectum petiit. Erant autem in eodem cubiculo bini, sed longiùs semoti, quorum unum Dominus Justitiarius conscendit, alterum ego mihimet adapto. Jamque noctis senium erat & ego altum dormiebam, cùm ecce diris, & vesanis subinde clamoribus excitor. Perii, perii, Hei mihi nullus sum. Ferte opem Cives. Perii, perii. Hos Dominus noster Justitiarius immani voce, & horrendo strepitu edebat. Ego semisomnis, &, ob repentinum metum, sensibus penè orbus, è lecto exilio, vestes in terram devolutas conculco, & nimiâ festinatione incautus matulam deturbo; quæ caligas, & quicquid erat ornatûs reliquum lotio perfudit. Dein cæcâ noctis caligine viam manu palpans, scrinia, scamna, sedilia, & quicquid erat intermedium, non sine cruento utriusque tibiæ vulnere præcipito. Tandem Justitiarii lectum pertingens, rogo, quid malum obtigit? jubeo bono sit animo; præstò me sibi adstare, operam, auxiliumque, si quid opus esset, sedulò impensurum. At ille indesinenter, O me miserum! perditum! viventium omnium perditissimum! Dumque nullum facit clamitandi finem, famulos, hospitem, & omnem demùm familiam excusito. Accurrunt ocyùs, & accensis lychnis, unà lectum Justitiarii adimus. Qui totus sudore stillans, capto more, imò multo jam vocaliore, mise-

miserandas voces ingeminabat. Hei mihi! perii. Nervi, artus, mē bradistrahuntur-huntur-huntur Opitulamini boni viri, oc-oc-occidi; funditus, & radicitùs occidi. Hanc ego Justitiarii rabiem diutiùs non ferens, Quin Pereas, inquā, per nos licebit, ni causam citiùs dixeris, cur suaviter nos soporatos tam ferali voce excitaveris. Dicam, dicam inquit: Sed circumspicite per Deos, vos oro, ne quid hic malorū adhuc lateat, non enim longiùs hinc abesse vereor. Imò nemo est, inquā, effare audacter. quæ te larvæ agitant. Tū ille emissitiis oculis cuncta circumcirca lustrans, & tandem ad me conversus, Nōsti, inquit, ut me commodè equus ille meus scatulatus, obesulus, seroculus heri in hoc itinere gesserit. Novi, inquam; quid tum postea? Illum ego, inquit, jam diu est, cupidè ambivi: sciebam enim generosè satum, juvenculum, formā scitulum, gressu mollem, pulmonibus, & membris integrum. At vetulus, & uxoris senex mihi vicinus, cujus tum erat, nullo pretio, nullis precibus adduci poterat, ut eum mihi venundaret, causatus uxoris iram, quę illum equum oculis (uti dixit) habebat chariorem; nec sic duplum numeraretur permissura tamen, ut alienus fieret. Sed ---- Malum! inquā, siccine seminudos nos, & algu rigentes, anili isthāc de equo, & asino fabulā hic detines? vale ut poteris; ego enim abeo. At ille manum prensans, Et tu me deseris? inquit; in istoc deplorato vitæ meæ discrimine, & tu me deseris? Mane, mane vel tantillū temporis; ego enim ni interpellāsses, jam finieram. Lenitus his dictis, subsisto. Et ille sermonis tramitem repetens, fari sic iterū cæpit. Quod ego nullis, ne nummorum quidem illecebris extorquere poteram, tandem fortuitus casus mihi ultro obtulit. Vicinus ille meus multipliciter obæratus, cū Danista acriter

instaret, ut mutuum solveret, & præsenti jam pecuniâ opus esset; in me fortè fortunâ incidens, ita infit. Tu sæpius ante hac equum meum liciratus es: Is nunc venalis est, & si pretium solveris, tuus erit. Quanti, inquam, æstimas? Vicenis inquit libris. Hui! nimium est inquam; dabo sedecim. Quid multa? convenit inter nos, & numerato pretio, tradidit mihi equum; cujus dorsum insiliens, rectâ domum vehor. At anicula, vicini uxor, ubi emancipatum equum, -------Proh Jupiter! inquam, adhuc de equo? quis mortalium patiens has ineptias ferat? At video quid rei est; pro ridiculo nos habes, igitur vale. Resta, inquit; per sacra omnia te adjuro, resta: nam de equo posthac ne verbum quidem. Audi modò brevem, sed luctuosam tragœdiæ hujus meæ catastrophen. His iterùm emollitus restito; & ille ita pergit. Anicula illa omnium præstigiarum gnara, & internecino odio percita, territare me spectris; interdiù, internoctu, domi, foris, ubique miserum me magicis suis artibus infestare cœpit. Et istâ ipsâ (Hei mihi) infaustissima nocte, dum fessus in cubili quietem quæro, diris imaginibus obversata, atrocissimum, quod vel ira, vel vindicta fœminea excogitavit unquam, supplicium de me exegit. Expergefactus enim noctis sub concubio, totum hoc cubiculum clarescere, & solaribus veluti radiis illustre cerno. Perculsus rei miraculo, & ultro citroque oculos volvens, à tergo mihi propinquam terrimam belluam (Me miserum!) squamosum, torosum, prodigiosum video Rhi-Rhinocerotem. Quid? inquam; ain' vero Rhinocerotem? Imò, superos testor, inquit, hypermonstrosissimum Rhinocerotem. Is dum fuga mihi in mente erat, facto citius, enorm

illo & adunco cornu, quod in rostro exuberat, dexterum hunc humerum himleo vulnere adfixit, quicquid aut carnis, aut ossis erat simul abradens; idque tam funesto cruciatu, ut centies emori mallem, quàm cruciabiles istos dolores ampliùs perpeti. Et quidem nihil jam mihi morte prius, aut optabilius. Nam quorsum vivam mutulum cadaver? cui nec brachium hoc dexterum, nec dextera manus ulli usui sint futura posthac: Manus hæc dextera, præsidium corporis, mentis index, & organorum organum. At quid vos diutius moror? moriendum est, & propinquare mortis horam certus sentio. Quare ne herciscunda me mortuo velitatio inter meos oriatur, neporem è fratre natu maximum vobis testibus hæredem meum ex asse nuncupo, & constituo. De Sepultura autem & exequiis——— Mitte, mitte, inquam, de exequiis, quin prius videamus lethale istboc, (si diis placet) vulnus à Rhinocerote illo hypermonstrosissimo tibi inditum. Imò, inquit, scrutamini, si libet; sed placide vos obtestor: vereor enim ne vel minimi digitorum tactum perferre valeam. Tum ego, admoto lumine, indusium Justitiarii leniter subduco; inspicio, feruror, & diligenti oculo utrumque humerum, scapulas, spinam dorsi, & totum denique tergum perlustro; nec luxatum, aut noxium quicquam reperio, præter unum, & illum quidem turgidum, ac belle pastum pediculum. Quem digitis rolleno, manum Justitiarii expando, & vermem reptilem palmæ imponens, Eccum, inquam, squamosum, torosum, & prodigiosum tuum Rhinocerotem. Hic Justitiarius limis aliquandiu vermicellum obtuens, tandem exultante voce, Dii vestram fidem! inquit, pediculus est. Ah sceleste, infamis

famis, contemptibilis bestiola! tune potis tantos ciere metus turbines? faxo audacula, ut pœnas, quibus digna es, oppido luas. Simulque cum dicto, Achillem refetens, & veluti Hectorem mactaturus, miserellum vermem duris, ac diris unguibus contrivit. Mox magno hiatu actas formidines ridens, & tanquam lepidè jam peractâ hac fabula, nobis lætam noctem precatus, quieti se composuit, & caput strato condidit. Cæteri etiam qui adstabant effusi in risum, omnes demum cubitum iêre. At ego detestatus insulsum hoc Justitiarii scomma; nec parùm mihimetipsi infensus, quòd puerililer adeò ludificari me sim passus, lectum repeto. Ibi nondum excusso recenti meru, & tibiarum noxam anxiè ferens, quod reliquum noctis insomnis egi. Quinimo postero etiam die, dum lotio infectas vestes famuli abluunt & expurgant (nam mutatorias non attuleram) lecto me continere, velim nolim, adactus sum. Quid tu jam? *Philippe*, rides? at ego ringor, & in hoc totus nunc sum, ut aliquod vindictæ genus, Justitiario dignum excogitem. Tu admonenti opem præsta. Et præstabis sciò, cùm minimetis, quis is est qui hoc à te impunè flagitat, nimirum ille ego

Tuissimus Burthius.

PHILIPPO BACONO.

EXimiam tandem hunc tibi scrupulum; imò saxum hoc Tantaleum. Nempe ut causam noscas, cur tu me, ego te, tam sanctè, tam efficiter adamarem, adamarem invicem. Nos nos (ne quid erres) morum probitas, virtutis honor, non nos literarum studia; non ipse religionis cultus arcto hoc amicitiæ vinculo innodarunt: sed ——— mane, mane, inquies, quid isthoc

isthoc est quod audio? non probitas? non virtus? non ipsa religio, divinæ illæ animarum conciliatrices? Imo ne lo horrescas dicto, nequicquam, inquam, horum. An tu, *Philippe*, nos solos probos? virtutis, literarum vindices? nos unicos religionis mystagogos autumas? omnes nobiscum ottas bonas artes? omnes nobiscum simul perituras? Hercle mille, mille sint, fatearis oportet, qui æque, ac nos, etiam felicius forsan hæc omnia excolunt, & excoluêre: nec tamen præter re unum quisquam est, quocum! vivere velim, quocum mori, aut cujus fato, fatum ita meum miscuerim totum, ut mihi secum prospera, adversa, læta tristia, omnia sint communia. Nam quamvis probos pioisque omnes amo, colo, veneror; non ideò universos intimis his amicitiæ nostræ penetralibus caterva tim inferendos arbitror. Credendum plures fuisse in gente Israelitica bonos, probos, pios; at præter Davidem neminem amavit Jonathas sicut animam suam. In multos igitur Amor diffundi potest; Amicitia paucorum est; imò duorum; imò unius: nam unus, & unum sunt (saltem videntur esse) qui amicitiam ritè colunt. At causam, inquies, identitatis hujus nostræ quam promiseras, nondum edis. Scilicet istùc ibam ac ne diutius, te suspensum habeam, quicquid id sit in pauca conferam.

Flammâ flammæ si admoveas; si aquam aquæ, illicò non coalescere modò, sed confundi, & in unum idemq; redigi vel lippis & tonsoribus notū est. Causam à Philosopho si scisciteris; homogenea hæc esse, & ex partibus constare similaribus respondebit. Idem de amicitia hac nostra dictum puta. Tua enim, meaque mens, *Philippe*, homogeneæ sunt, & similares: atque ita à primordio efformatæ, ut undiqueversum adæquatæ sint,

& uniformes. Inde factum est, ut primo in occursu, suopte impetu, nec ullis prævijs illecebris, ultrò coaluerint. Nam ut in conjugio, ita in amicitia, genius utriusque contrahentis similes affectus illicit: cæterùm non quod præclarum, aut egregium; sed quod aptum sibi; & accomodum, appetit, deligitque. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Igitur eximias illas & sublimes animi tui dotes, quamvis veneror, & colo; me tamen tibi intimè & unicè devinxere genius, indoles, & ingenium; tota denique illa meatis tuæ compages, quæ amussatim ita in me quadrant singula, ut in minutiis etiam rerum minimis mihi tecum summa sympathia sit, & unanimitas: verbo dicam; Te unum mihi amicum planè reperi, τῶν κατ' ἐμαυτὸν. At, mi *Philippe*, vin' verum fatear? non videor satis mihi, aut undique Felix, si soli solos nos inter nos, & semotis arbitris, mutuo hoc nostro affectuum nexu tacitè perfruamur. Quin velim insuper, ut ambitiosè invicem amemus: hoc est, ut publica in hac mundi scena ita amicitiæ sustineamus partes, ut nobis vel plaudant spectatores, vel invideant. Imò ut futuris etiam sæculis tui meique concordia in exemplo sit. Adeò ut si quando intimè charos, & potissimos amicos designare posteri voluerint, te *Philippe*, & me nominent, fidæ tanquam amicitiæ summa exemplaria. Atque hoc ut effectum demus, tu tuum cornu strenue tueare, dum alterum fœderis hujus nostri viriliter, & obfirmato animo sustineat

Tuus Burrhus.

Phi-

Philippo Bacono ſpaſmo cynico laboranti.

PHilippe, mi *Philippe*; quì poſſum me iſthoc piaculo expiare? aut quo libamine diluam iſthoc ſcelus? iſthoc? quòd nunc ſegnis ſcribam vecordes literas, ubi advolare impigrum deceret magis. Quid? quòd parentes vigiles & anxii cura quòd proni amici opera & conſilio: ergone meum omnium, quos unquam dilexi digniſſimum, oculiſſimum, iniqua conflictari valetudine, me auditore tantùm & ope inutili? Nam quid diſſimulem? Pridem illud infauſtiſſimum auditum nobis, quòd te, neſcio quis morbus, malis adfeciſſet modis, ſed non creditum, ne ab his quidem, qui nunciarunt; & à me omnium minimè. Nam præterquam, quòd ægrè contra id quod maximè cupiebam animum induxerim credere, viſum eſt etiam iniquum Apollini, & Muſis, id ſuſpicari; ut ſcilicet illum perire, aut vel affligi ſinerent, cui naſcenti inexhauſtos ſuos indulſerunt theſauros omnes. Sed cum à fratre reduce, id confidentiùs adfirmatum, ſuccubui, ah me miſellulum! ſuccubui; & dolore excors, ita mecum. Heu ludibria rerum mortalium! verbo dicam, chariſſime *Philippe*, non id mentis eſt, ut ſegnitiem meam iſtis inficies irum; provoco enim ut mulctes tuo pro arbitrio; imò ad quamvis depoſce pœnam, dummodo nos adeas: & addo calcar: Dominus *Gualterius Ramleigh*, is ſcilicet Turris ergaſtulo detentus, ipſum ſe, cum tribus inſuper aliis, hoc ipſo anno, ab ejuſdem morbi vinculo relaxavit. Factum refero; quare advola ſi tui, & noſtri cura eſt: & vale omnium quotquot

fint juvennum nobilissime, quem flagranti fui indies expectat, & expectabit.

Tuissimus Burtius.

PHILIPPO BACONO.

Ovid illud est? Dic per tuam vitam rogo;
Per vinculas, quas junctis amamus Gratias;
Ipsumque Apollinem, novemque Virgines;
Quid illud, inquam, est? mi Philippe, mi lepos,
Quod im probus rumor susurrans oggerit,
Mimi neganti credere? An nos ferio;
Nos qui medullitùs te amamus, illicò
Ibis relictum? Sic recessis languidos,
Luctus ciebis? ah! ne faxis, Eia parum,
Nimis parum est, ex quo revirentem tulit,
Te faustus, & festus dies nobis; dies
Nunquam absque voto nuncupandus, quo manum
Manu vicissim copulare, & fundere,
Fidas loquelas; & lyræ dulces modos
Aptare; dum corona te colentium,
Et hinc, & illinc adstet arcuato globo,
Jocos, salesque perpetim sparzens. Dein,
*Invisere * illum, illum Philippe, fulgidum*
Scientiæ sidus; cui orbis machina,
Et quicquid axis utriusque fert Poli
Palam patent. Hinc surgere artis me leos,
Et ingeni puros probos flores licet;
Quibus saginatus domum lætus petas,
Destructus usui futuro largiter. At lectitare sem-
per, atque chartulis,
Noctes diesque incumbere haud decet. Probum
Libris quidem immorare, at immori haud pro-
bum.

* Patruum suum D. Franciscum Baconum.

Nec

Nec hospiti benè, incolæve prospicit,
Qui diligens nimis parato prodigo,
Conquassat ædes, & facultates suas:
Nec ille menti consulit rectò suæ,
Qui nidulum corpus terit conatibus,
Curisque plus satis. Parare prædium,
Si quis velit sibi, salubri haud aere,
Tantùm petit, sed fertili insuper solo.
Idem requirit, cùm quis ambit literas,
Musisque sese immisit; hoc est, ut solum,
(Id quippe corpus est) flato sumptu excolat,
Ac aerem mentem. Hic morari si libet,
Prospectum erit, neve obmaris literis
Superfluis; nec torpeas leni otio.
Nos invicem vernantis fabellis,
Ac æmulis nox disputatis inculis
Curas edaces pellere, & multum diem.
Vicissimque dura si vetat necessitas;
Seu te parentum dulcis ardor vindicet;
Seu te salutis commodum potens trahat:
Hoc mi Philippe, credo as certus velim.
Tibi en licebit ultimum, ac Afros eas,
Fidelior nusquam, immò nusquam prodeat
Amicus ulli, quàm tuus Burrhus tibi.

Scilicet

Tuus Burrhus.

PHILIPPO BACONO.

SAlvere me jubes: At (Ah *Philippe*) qui
possum? cùm ægrotare te adhuc scribis, & mea a tuâ tota dependeat salus. Si igitur salvum me esse velis, cura ut tu itidem te salvis. Alias nec salvere potest, nec vult

Tuus Burrhus.

PHILIPPO BACONO.

VIve mei memor, inquis, nam moriens te amo. Quid ais? moriens? quid? moriens? tune ut *Philippe* moriaris? in istoc ætatis flore; Musarum in amplexibus; stipatus undique tot piorum precibus, ut tu moriaris? Dii meliora. Moriantur, si moriendum est, senes Acherontici, quibus ipsum vivere pœna est, lenimen mori; qui desiêre usui esse sæculo; quique sibi ut aliis impedimento sunt, & oneri. Moriantur stulti, insulsi, fatui, in contumeliam hominum, & ludibrium nati. Moriantur improbi, sceleſti, impii, pestes humani generis, naturæ monstra. At meus *Philippus*, flos juventutis, probitatis germen, pietatis specimen, literarum genima, vivat, vivat Nestorios annos; & post excultum à se virtutibus hoc ævum, serus astra petat honore, & annis senex. Sed si te magnum Cœli depositum Cœlum denuò repetet; nec perennare ultrà terris fata sinent; dum mihi memoriæ, aut mentis quicquam supereſt, vivam tui memor; vivam *Philippe*, & moriar,

Tuus Burrhus.

LECTORI.

PHilippus Baconus mortuus est. Esto, inquies, quid hoc ad me? Imo ad te quisquis quisquis es. *Philippus* ille *Baconus* claris ortus majoribus; ab incunte ætate sanctè institutus; ad bonarum artium apicem provectus. Adolescens moribus niveus; virtute præstans; religioni pateus. Cui Musæ in pectore, in vultu

tu Gratiæ, in ore Suada. Cui vegetum corpus; mens vivida; ætas florida; Qui numen, homines, seipsum novit. Quo nemo unquam sanctiùs amicitiam coluit. *Philippus Baconus* his adversus mortem amuletis omnibus instructus, mortuus est. Et tu immortalitem ut speres; gloriari quicquam ultrà potes? Ah! Lector, etiam potes, ne faxis tamen; nam certè, certò certiùs morieris. Si enim quisquam hominum capax fuisset immortalitatis, rutilans hoc sidus nunquam occidisset. Et verè ut sidus occidit *Philippus*, mòx radiantiùs oriturus. Tu Lector, magno hoc mortalitatis exemplo doctus, sic vitam instrue, ut vixisse te nec pigeat, nec metuas mori; & fido amore, fidum amicum compara, qui te, ut ego hunc meum mortuum, servet superstitem. Nam nomen famamque mei, charissimi mei, & unicè charì *Philippi*, defloreſcere, aut intereidere hominum è memoriâ nunquam, nunquam vivus patiar. Sic statuit, nec perfidus votum vovit

Barrhus.

Ad D. Franciſcum Baconum Aturnatum Regis, Strena.

AVdi renaſcens Tempus: audito impiger
Orator Anne: nec tibi favens pater,
Natis nec ex te; at ſævus uſque in condita
Ipſi tibi Sepulchra, ſaxa, nomina,
Famamque teque volvis, ex perdis ſimul.
Audi ſacrum ſolenne, Tempus inſolens,
Vates, quod illi, illi Patrono publico,
Meoque ſolvo: qui ſupra, infra ſe videns,
Mundumque teque mille gyris labilem,

Mutanti-

Mutuum, et antiquæ insani ars
Sibi interim, sui quæ constans, exhibes
Firmamen unum sæculo: cui pos vagos
Trepidantium motus, redire pondera,
Curasque patriæ necessitas jubet;
Et coget usus publicus, quicquid tenax
Lucri cupido, et livor in tempus negant.
Huic me columnæ perpetuæ constantiæ,
Addico voto per pari, etiam quod tui
(Tyranne Tempus) nulla vis mutaverit.
Sævis licet furisque. Nam dictum hoc puta:
Mutare me nequis, potes me perdere.

Hugoni Hollando Poetæ eximio, & Græcarum literarum peritissimo.

Invitatio ad prandium.

Ibimus cras Apollini, & Musis. Ita nobis vulgo rei literariæ, & plebi visum. At infensis Gratiis id certum est fieri, ni Lubentiarum Arbitet tu adsis, & choreas ducas. Scilicet ut raptum te Phœbo, & entheata verba præcinentem invicem sequamur. Favero igitur, Equitis Caballini. Promiconde: nam meum hunc lætem, si tu adfueris vates, Delphicum suum credet Apollo Templum, & favens dabit responsa votis. Ita rogat, qui te amat. colitque

Burrhus.

N. N.

Scilicet non patimur, non, inquam, patimur amplius illudi nostrum tui desiderium. Quis enim patiens sustineat amici usque & usque

que

que cunctabundi equuleum? Quis forses lactari vanâ spe? toties vota nuncupare irrita? Pergis tu tamen nos negligere etiam indictâ causâ, nec quid tibi in morâ sit, dignaris eloqui. At ariolus ego sum, ne tu sis inscius, qui conjectando rem omnem expromam. Nempe uxoris desiit tumere uterus & te jam pulchrâ prole beavit patrem. Huic cunis vagienti assidere; & tripudiantes in ocellis papos contemplare, & molliter roseas ganas palpitare; & coccyssanti in vicem accinere. Dein millies, milliesque oscula labellis figere; & morsicare tenellos digitos; tum petulantem admovere mammæ; lactisque saturæ cantu ciere somnum. Ah meritò, meritò validis his nexibus, his vinculis adamantinis derineris fateor. Nam quamvis rudes tædarum, & inexperti, & qui possunt non ineptire patres, deliramenta hæc animisque masculis indigna reputent, ego contrà, dulcibus ex nobis natis indulgere fas sapienti, nec indecorum censeo. Pergas igitur charâ ex matre dulcem fovere prolem, dum illis utrisque ac tibi perenne gaudium, faustumque ominor & opto.

At quid agit, inquis, voluptas mea? meum corculum, deliciumque? Idem nimirum quod olim: nempe susurrat suo more, ut tota reboet vicinia. Dejerat etiam athleticè, & juramento, veluti sermonis condimento utitur. Etiam extremis pedum digitis subnixus urbem obambulat: deligitque incedens hinc indè saxa prominentia ne quâ labecula sordescat tibialium nitor. Ibi uni & alteri lepido occursans combiboni, in proximum deflectunt Oenopolium. Non illic arcana imperij scrutari; non novos sacrorum ritus moliri; aut tetrica Philosophorum dogmata vexare; nihil illic tale machinari bellos homunculos vel tutò dejeres.

Quin

Quin bibitur, fumigatur, lustratur, ridetur affatim. Villum & hornum vinum diris omnibus devovent; primum requirunt, vel si quid unctius, aut generosius. Et cùm jam tandem subducenda est ratio, exclamat tuus, Nemo hic vel obolum, ne quadrantem, per Deos pendet; ego hoc quicquid est, exolvam; dispeream ni fecero. Et ægrè tandem exoratur, ut quis symbolum suum apponat. Ita animo est regio, urbis, seu planè imperatorio. Atque jam demùm ad hilaritatem potus, blæsula lingua, at sonora semper, bene precatur festivis amiculis, & domum repit. Hic si fortè (quod sæpius contingit) malo suo genio occurrerit & in larvam incideret, Tisiphonem nimirum vicinam suam, Dii boni! quæ salutandi? quæ benè precandi formulæ? Scurra, verbero, trifurcifer, geneo, mœchus, tenebrio, scelus. E contrà, Scropha, prostibulum, lena, diobolare scortum, quadrantaria, barathrum. Hæc blandimenta mera sunt præ aliis quibus se invicem honestant cognomentis. Vociferatur illa, Dii me Deæque omnes perdant, scelerum colluvies, ni ego tripode bulbũ illum capitis pulchrè tibi pexum dedero. Intonat ille, Ah! Diis, hominibusque infensa! non desistes mala pestis donec ego latrinam illam oris tui obturavero . . . sileo cætera ob aurium reverentiam. Imo aliquando nec manibus temperatum est, & recrudescit rixa usque ad verbera.

At scin quid est ulterius? Is novo jam titulo fungitur & nomine; ac apud nos nycticoramastix audit. Id nominis ei obtigit, quod totos hos quatuor menses in hoc unicum sudaverit, ut Nycticoracis illius vicinæ suæ genus, Parentes mores, totam denique vitæ fabulam, à cunis, & naviculis propalaret. Nec oleum perdidit vir

mire

mirè solers, & levipes. Ita namque strenuè circumcursitando, rem omnem indagavit, ut prolixum jam indè catalogum, amplissimis scholiis, notis, ac animadversionibus criticis ab ipso auctore locupletatum affabrè confecerit. Et ab hoc tam eximio catalogo confecto, ut Nycticoramastrix nuncupetur, communi omnium suffragio sancitum est. Illud ne te lateret, his literis indicandum censui, ut illi de novo adepto nomine & titulo, scripto, aut verbo gratuleris. Teterrimas autem simultates inter ipsum, & Nebulonem *Rat* nuperrimè ortas, quia jam demùm sopitæ sunt, & invicem conglutinantur, missas facio. Tu fac basilicè valeas, & si quid nosti auribus nostris dignum, impertì fidis sodalibus, qui te plurimùm amant, at nemo verius quàm

Tuus Burrhus.

D. THOMÆ FARNABIO.

VIden, Domine hunc meum catulum? sagaculus is hercle est; & ut sua fert ætas apprimè odorus: utpote cui non parentem me esse solùm, sed indulgentem, & se imponenti curâ deperiri subolet. Scilicet fateor ineptire me hâc in parte; & equitâsse aliquando in arundine longâ, ut fecêre olim cordati patres, nti parùm potentes adversus acri-molles hasce naturæ illecebras. Igitur cùm pertusum me dolium sentio, de obturanda rima cogito, ne perfluam; nam sera nimis (uti nosti) parsimonia in fundo est. Dicam explanatiùs. Annus est, quod hic latrunculus repullulante pessis vitus, domi apud me latitans, parùm discendo,

cendo, & strenuè lusitando tempus contriverit. Id fecit me crebrò absente, confidentius, impunitatem sperans, & mea tremis indulgentia. Hinc obrepere sensim librorum tædium, & immodica ludendi sitis; adeo ut admirandum mihi quàm maturrimè censeo, de altius radicem desidia figat; neve tenellam hanc adhuc recentem, noxius succus rigue, ægrius forsan in posterum aut nullatenus liquore syncerore imbuendam. Hac in re fidem tuam jam olim expertam, oratum venio, ut rudem hanc massulam tradas tuo pro libitu, sub incude duriore. Reperies ductilem spondeo, quamquam nec plumbeam tamen; nam quod in ea pessimum, volatilis plus satis est, nec admodum fixa, uti vellem: cæterùm cusu minimè contumax, aut natura improba. Tu, vir eximie, si isthoc impense mihi roganti effectum dederis, ingrato non feceris, nec immerenti, sed amico tui studiosissimo, qualem se profitetur

Burrhus Tuus.

Rescripsit vir Doctissimus.

QUem tu, vir clarissime, pro jure ac dominio tuo catulum impunè nuncupatum commendas, ego germen nobile, aurum purum putum, fidei mex, quam a viro probatissimo probari gratulor mihi, gaudioque concreditum, eâ fide accipio, quam usque solvere, usque debere profiteor; foreque autumo, ut furculus ille tandem arbor factus, ut obrizum hoc aurum imperatoriâ tandem signatum, cusumique forma, me tandem fide liberaverit;

neque

neque te spe falsum, frustratumque habuerit. Rude utcunque etiam dum sit metallum, ductile tamen ingenium, & sequax ingenuus spondet vultus, post sponsionem tuam; in quo notabile illud, quod in fratre nimium erat, non vereor, quin fixum, voto utriusque se sistat, respondeatque Mercurius probus. Ad quam operam non deerunt opera, cura, & amor illius, qui quantum in ipso est, de te, tuique similibus viris, optime semper mereri studuit, studebitque quique nihil antiquius aut in votis prius habuit, quam ut votis tuis obvius procurrat & velificetur. Quæ tamen rata faxit Deus Opt. Max. qui te sospitet. Ita optat

Th. Farnabius.

D. THOMÆ COPPIN.

VAriis ac miris modis me affecerunt literæ tuæ, Lutetiæ Parisiorum datæ. Summo me namque gaudio perfuderunt, quòd sospitem te, & incolumem ex Italia elapsum testabantur: ex Italia, bello, peste, fame, latrociniis undique ferventi; ex Italia, haud ita pridem Orbis delicio, terrarum gemma; nunc miseriarum ac scelerum scena. Ita namque est (mi fili) nunquam, nunquam hac nostra ætate, Italia illa blandula, mollicula, deliciatula, reluceset splendore pristino; nunquam nitorem illum, quo cæteris, quotquot sunt, regionibus oræfulgebat, (me saltem vivo repetet, aut nuperum decus iterabit. Neo parum inde tibi gratulor, vidisse te Italiam, nitidulam, comptam, floridulam, nunquam forsan, nisi informem visurum posthac. At contra,

contra, ineffabili mihi mœrori eædem tuæ literæ fuêre, quod nullas mearum, quas ad te Genevæ, Pataviique tum temporis degentem destinaveram, ad manus tuas perveniſſe intellexerim. Non quod periiſſe leves tabellas, aut opellam conquerar; ſed ne immemor tui, aut caſuum tuorum prorſus incurius meritò apud te cenſear; tui, quem (ſacra teſtor) non ſolùm verè, ſed anxiè, ſolicitèque amo; & cujus ſortem lætam, fauſtamque pereunare, æquè ac meam ſitio. Tum id etiam impotenter dolui, quòd altum illud ac pervicax meum ſilentium, dum crebris tuis, & amantiſſimis, toto ferè ſeculo nil reſpondiſſe videar, ſuſpectum me tibi, velut aſpernantem literas tuas, aut leviùs æquo pendentem reddiderit; cùm ego illas (ita me Deus ſoſpitet) tenerrimo parentis affectu, & exultantis animi lætitia (prout meruerint) ſemper acceperim. Qua conſcientia fretus, & comi illa tua ſubnixus indole ſortem hanc meam fuſiùs non cauſabor. Conſilium tuum Galliam in tempus colluſtrandi, cæpta ſtudia ut elimes, perficiaſque adprimè probo. Sic namque gentis linguam edoctus atque mores, habilior muniis obeundis redeas domum. Scis enim quàm nobis arctior jam ſolito nexus cum ea natione interceſſerit, nec modico igitur uſui tibi fore, novîſſe homines, & ab eis inuicem noſci. De rebus autem hìc noſtris, nihil læti habeo, quod memorem. Lenta peſtilentia Londinum caput rerum denuò invaſit; & eò civibus formidoloſior, quia lenta. Quippe tota hyeme cunctabunda, ne ſævius æſtate proxima recrudeſcat, omnibus in metu eſt: Quamvis verò ſingulis huc uſque ſeptimanis, non niſi ſexaginta circiter capita, ea contagione tacta ſupremum diem obiê-

re.

re, At Cantabrigiam noſtram ita totam Immiti ſtrage populavit, ut non ſtudioſis tantùm omnibus, ſed ipſis ferè incolis viduata langueat. Et ſuccubuiſſet planè malorum moli, ni effuſa plurimorum charitate fuiſſet ſuccurſum. Nam à non nullis parochiis Londinenſibus, ducentis plus libris à ſingulis in ſolatium loci ultrò largitum eſt; nec minùs 4 mille libris eo nomine congeſtum eſſe perhibent. Ipſe interim, peſtis noxam ut evitem, rus in præſens me recepi; ubi ſi me tuis literis ſolari velis, quod perditè cupio, fac mihi ad Turrim Londinenſem inſcribantur, nec vereare, quin illibatæ ad me perveniant. Vale, optime fili, nec minore felicitate utere, quàm ex animo tibi optat, paterno tibi affectu deuinctiſſimus

Barrhus.

D. THOMAS FARNABIO.

Virg. *Excudent alii ſpirantia mollius æra.*

QUid? æra ut molleſcant? ut ſpirent? ut marculo ſub artificis animantium vultus, tenellam carnem, cutem mollicellam, ipſos aerios, agileſque ſpiritus ut æra induant? quis credat? Nempe is ego ſum, qui factum hoc olim, & etiam nunc fieri credo, & aſſero. Quis etenim carminis anceps ulteriùs ſenſum exquirat? aut vacuum dicat poetam, qui hoc cecinit, cùm te, *Fernabi*, ἔμψυχον habeat commentarium? teque viderit, quod audis, ἀνθρωποποιοῦντα, & virilem fabrum? Sic namque eſt, quam tu juventa fin-

gis

gis, formasque, haud ita ullum informe saxum, non semicostus, semiustus later; non torus, nodosus, sinuosus stipes; nec ita æs inductile, nec metallum contumax arti rebellat; aut doctam opificis fatigat manum. Ah! quoties ad amussim, libellamque exigere vaga ingenia? quoties ferocientibus animis circulum circino obducere? & depravatas ad normam reflectere indoles, inque devios mores lineam pertendere? Nec parùm refert, an excrescentes scalpro, cultrove demas, an ascià. Quidam enim durioris animi, vel malleum ferent, mollioris vix tuditem. Et sunt quos dolabella perfunctorie læviges, cùm asperiores limam dentatam hebetent. Intus dein' & in ente, quæ deliteſcunt vitia, terebello indagare, & ... heu, heu! succumbo vel recensendo tuos labores. Summatim dicam. Nos parentes nudam ut ut, materiam edimus, plerumque asperam durâ, & inertem. Illam ut tu cudas; artibus emollias; habilem virtutibus reddas; ut denique humanitatem, scientiam, pietatemque spirantem præbeas, à te exposcimus omnes: adeò curæ, spesque metusque nostri in te residunt. Et quam sim ipse tua ope molestiarum vacuus, incluſæ hæ tabellæ testes referant; quibus, eliminari mihi è præcordiis omnem adeò anxietatem videre est, ut totum me genio, & animum incuriæ devoviſſe videar. At harum lenem te censorem & benignum expero; cum ideo eas tibi legendas miserim, ut opprimente te laborum mole, solatioli loco essent, & animi in tempus laxarent nexus. Tantum est (optime *Farnabi*) nisi quòd te insuper vivere ac valere jubeat

Tuus Burrhus.

Respon-

Responsum est à viro doctissimo in modum sequentem.

DII te omnes plurimùm, Deæque penitissimè ament (Nobilissime Burrhe) ita humanitate clares ac pietate; qui tuus e mille miseriis nostras miseratis; æruminabiles labores molli afflamine solaris; qui contrà quam vulgus de ordine nostro censet, nos homines esse autumas, imò αὐθρωποτοιγὰς; qui denique adversus nominis nostri depeculatores clarigatum prodis. Atque ego quidem utinam is essem, qui tanti viri de me judicio responderem, nisi affectus is sit potius. Verùm sive hoc peccavit humanitatis error, sive judicii fixit constantia, gratulor mihi vel fortunam, ut humaniter errares; vel officium, quo aliqua ex parte demereri potuerim, ut tibi constares, neque judicares virilem fabrum, qui spirantia mollius æra possem excudere. Ego sanè ex quo ad metalla, & laromias damnatus, nomen dedi ad insulas æricrepinas, jamque ætatem integram (siquidem probè eam metiuntur, qui sex lustris circumscribunt) in Ærinea hâc officina desudavi, Deus bone! quibus laboribus peperci? quid reliqui feci, quo artem quam mihi exercere necesse erat, penitus callerem? Neque sat habui tantum in fornace tantinis follibus ventos premere, dum crudo de pulvere venas ferventis massæ stringerem; non ad incudem tenaci forcipe versari; stricturas, bracteas, laminas, ex ære, dum fluit auri rutilantis æmulum, sub marculo cudere; non vultus ducere; ungues exprimere; imitari ære capillos, non denique limæ dente, cœli acumi-

ne,

ne, torni rota, polire, sculpere, lævigare; aut etiam Campanum à Delio, Delium à Corinthio dignoscere; nisi etiam (absit dicto invidia) Minervæ adminiculo subvecto, igne è Solio Jovis subducto statuas formarem, animarem. *Ita* non sine causa χαλκοπλάστας dixeris χαλκεντέσσυς quorum renascens in pœnas jecur tondent vultures, πόθῳ ἀργαλέῳ ἧ γυϊκωρὶ μελεδῶνας. Cum igitur.

Videris immensis jam conclamata querelis
Saxa senis, dices, durior ille fuit.
Et licet hoc addas, potuit qui talia ferre,
Humanum merito finxerat ille genus.

Et liceat mihi etiam hoc addere, tibi non minùs cavendum ab his vulturiis; imò etiam magis. Namque si adfigatur Prometheo lanius simplex, quod finxerat statuas; tibi credo adjudicabuntur gemini, qui tam affabrè & graphicè effinxeris Promethea. Sed quid hoc? Adeone repentè à carcere tribunal conscendi? ex vincto supplici, judex gravis? Sit modus & insolentiæ; & (quia metam, non ultra, fixit pagina) Epistolæ. Cujus tamen excusarem moram, & languorem, atque imputarem nuperæ cladi, hesternique officii tristi ministerio, nisi malè ominata verba procul ab his lineis esse voluerim; quibus tibi (vir clarissime) salutem, vitam, fausta, lætaque omnia voveo. Veneratus itaque sacrum eruditi pectoris tui Templum, testatus, juratusque gratum, & ad omnia officia paratum animum, sum, ero æternùm

Devotissimus virtutum
tuarum cultor
Farnabius.

Ludi-

Ludicras illas quas misisti literas, etiam dum detineo redditurus quàm primùm contigerit legendi hora lætior, & sua.

Viro summæ eruditionis, ac virtutis, Henrico Spelmanno Equiti Aurato.

QUi tibi has literas defert, filius meus est, & natu maximus. is musarum sacris initiatus, ut insistat cæptis, & acriùs pertendat, summis midi in votis est. Quod si contingat, eximiam ei posthac voluptatem indè tuturam scio, si te reiliteratiæ Mystagogum, & virum hujus seculi palmarem, noviſſe, saltem vidisse, gloriari poterit apud posteros. Nam ut ferri ad Magnetem ratio est, ita & nos, nonnihil nobis arrogare solemus è doctorum contactu. Et velim insuper, ut egregia virtutũ, ac doctrinæ exemplaria noscere, noscendo venerari, ac sequi discat. Eccum tibi arcanum hujus legationis sensum, & consilium; quamvis colorem facto indè debi, ut is, quod in me nuper recepi, solveret: nimirum, tibi has Ordinationes quas memoravi meâ vice exhiberet: utque orarum te iret, si jam desiisset usui tibi esse Index meus Parlamentarius, eum mihi restituendum curares. Sin diutiùs penes te servandi causa fuerit, liberè ad satietatem usque fruaris licet. Siquidem pro summo mihi honore habiturus sim dum vixero, si quicquam ex meo, illi cumulatissimo scientiæ tuo acervo addere valeam. Vale, Vir spectatissime, cui fausta omnia precatur.

Burrhus.

Illicò

Illicò meis ita respondit vir humanissimus.

S. P.

RApuêre me tuæ literæ, splendidæ adeo, & politæ, ut vix audeam quid rescribere. Labe tamen non carent, tua de me sententia (pace dixerim) malè collocata. Sed eximiæ vestræ humanitatis est, sic amicos colere, meque in eorum numero recitare. Eas verò gratissimè accepi, sed in primis deferentem Ascanium tuum; cujus lætor amicitia, & patriis (opto) niteat virtutibus. Tradidit ille mihi libellum à te alterum, cùm acceptum priùs non restituissem; nec (indulgentæ vestra patientia) restituam in præsenti, brevi autem faciam (volente Deo) tuique & tuorum semper tenebor studiosissimus.

Henricus Spilman.

Eximio viro D. Guilielmo Elphinstone Pocillatori REGIO.

NAm quid dissimulem? periit, radicitùs periit ille meus ingenuus pudor; stamenque & subtemen verecundiæ, cui pernox & accubuus in hanc usque ætatem texendo incubui, crepant, dissiliunt, & pessum eunt. Ex quo enim Majestas illa placida; illa Augusta comitas; ille, ille Rex, si quis mortalium alius, sui potens, ac Dominus; cujus dicta, facta, posteris non inter exempla modò, sed leges erunt: Ex quo summus ille faustitatis

nostræ

noſtræ flos, & Princeps, non ſubmovere me delubro ſuo, ſed admittere venerantem; adſpirare votis; imò (quod vix compos mei præ gaudio reforo) apinas meas, quiſquiliaſque laudare, magni facere; ex eo temporis momento cæpi depudere; clarè dico, depudere cæpi; & torve incedens, viſus ſum mihimet conculcare ſupera, infera, medioruma. Nec paupertinum quicquam, quale humilem ſoccum decet, loquor, aut ſpiro; ſublimem induo cothurnum; & ita ovanti paſſu omnia contero, quaſi delumbatum item mundi-baſtulum ipſum Atlantem. At at! me lutum inſcitè mixtum! Ergone mihimet quicquam notitiæ imperari, quòd Brittanicum meum Mare, caligine informe, ſuis luſtrare radiis, ac vultus influentia ſoſpitare, clemens Princeps alterò dignatus ſuerit? Dii veſtram fidem! ut ego illas meas invenuſtas chartulas, vix dum Vulcano dignas æſtimem; non ut pulvinar attingant ſummi Jovis. Quamobrem repentina illa mei gaudii ſolutus ecſtaſi, redeo tandem ad me miſellulum; & quodcunque me patrem, authoremve advocat, puſillum id eſſe, torpens, ſucci ſaliſque expers ſcio, & fateor. Nempe haud ſecus egiſſe mecum excelſam Regiam Majeſtatem, quàm ut ſolent magni Principes, qui tantùm abeſt, ut pumiliones, ac nanos arceant, aut dedignentur; ut ſibi oblatos lætì acciplant, & blanda (capitones ſint licet, membriſque inconguis) demulceant manu. Tuam fidem teſtor (claſſiſime *Elphinſtone*, Aulicorum doctiſſime, & integerrime) ſi poſt doctum à te hunc meum Maris libellulum (& me gaveris legare, impenſe à te Pete, atque obtecto) quicquam in eo, fidum conſcium

 præter,

præter, ac bonam mentem appareat uſpiam, quod vel aſpici à tanto Rege mereatur. Equidem exclames ſcio, O verborum ſalebras! O rerum indigeſtam molem! dignam ſcilicet

Deferri in vicum vendentem, thus, & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Ita, ita certè eſt, nec ſubire renuo, ſi quid poſſit de iſtis meis dici depreſſiùs. Verùm tu is es homo hominum comis, benignus, candidus, cui tutò quale quale hoc meum ſit παρεργον committam licet; ſecurus ut me lapſum erigas, ſaltem amantem te, colentem non deſpicias. Et ut feliciſſimè vivas, ac valeas precatur.

Burrhus,

D. JOANNI MAPLETT.

CAve pecces, Domiue, tradigradas haſce cenſendo literas, aut teſtudineo exaratas calamo, quòd poſt tot elapſos menſes ſegniùs tuis reſpondeant. Fuêre nempe illæ ipſæ tuæ in cauſa, adeò affabrè, adeò venuſtè ſcriptæ, ut torpenti mihi jam olim hâc literarum in palæſtra, & ſcribendi deſuetudine reſidi, vel ætas integra depòſcenda, ſi congruè tuis reſpondere vellem. At novi modeſtiam tuam; qui ante conſcientiæ, quàm famæ conſulis. Dicam tamen, vel cum periculo offenſionis. Curſim

ſic

sic scribis, ut nemo consultò comptiùs. Cæterùm massam informem, quam tibi cudendam tradidi, (filium dico meum rudem crudumque) pulchrè à te excusam accepi, ingenuis (tuis scilicet) signatam moribus; nec politiores expetam, modò cæptos servet; uti futurum spero; utque se dignam præstet tuis laboribus, quibus in æternum se devinctum fatetur

Burrhus tuus.

Literæ doctissimi Viri quibus suprà responsum est, tales fuêre,

Dignissime Equitum!

HAbe tibi amplexibus commendatum paternis Depositum grande, quod reddi postulas: quantâ potui vigil custoditum diligentia, quantoque amicum deceret, studio & mœrore dimissum. Si scatere animum ubere, & læto proventu literarum non persenseris multus expectator; minùsque excoli, quàm ut imaginem tuam & simulacrum referat: adhuc plantam scias, & Lycæum leviùs salutasse æquus æstimator: fovisse tamen nonnulla Artis infusa semina, ex quibus quasi in herba factus est tuus, qui etiamnùm pro filio dignoscatur, aliquo saltem ex indicio, & rudiore signaturâ. Assimilabis tibi per exemplum tuum, minùs accurate effigiatum cui. Dii boni, Athenæum nostrum, suique ipsius industria fælicius prospexêre, quàm ut plane tui dissimilis evaderet. Huc spectabat torquendi linguam in sermonem Romanum, & ad

majores vernaculis conatus fingendi, junctus in utroque noſtrûm (qui tum efferbuerat) ardor: parti deindè libri, deſignata exercitia, lecti conſortes tanto fini accommodi; ut viris, libriſque inſtitutum, ad colloquendũ inſtruerent libri, virique ad legendum viciſſim provocarent. Ut enim ſocietatem Germanorum (cui addicebatur ſæpe) ſuſtineret, qui terrarum orbi nunc etiam latine imperant; peregrinantur, mercantur latine; ſobrii latine ructant, poti vomunt: niſi forſan adduxiſſet conforme os, & conſona labella? Huic loquendi acceſſit, tùm recte ſentiendi, tùm pulchre agendi opus. Nam adjuncta cùm primis Logica, & deguſtata Morum doctrina ſeſe immiſcuère: quæ caverent, ut ſibi ſemper præſens diſcipulus, & immotus, nuſquàm non conſiſteret, nuſquam aut inter diſſertandum aut vivendum ruere Genium, aut vinci paterętur. Adeò non cruciatus inter & ãngòres, Tui charum parturii pignus, per oblectamenta potius, & voluptates imbuta, redit ad te capax indoles, quam ipſe ingenueras. Moleſtias creabat unice, pro Mercédis amplitudine docere, inopi in Muſæo munificentiæ Tuæ parem cathedram invenire. Veniam rogo, ut de impenſis Filii noviſſimis, proximis agatur literarùm vicibus. Nunc enim voto tantùm vacat, ut inter peritos Juris, ſtiens, pollenſque floreat; leges ipſas (quod regium eſt) ſibi ſubjiciat; nodoſo itidem, & tortuoſo in labore, ſummum animi malum (quod non ſemel ex Academia monebo) & ingeniorum peſtem, ἀταξίαν evitet.

Omni officiorum genere
Tibi devotiſſimus
Ioannes Mapletꝛ.

In-

Insignium Armorum Musæi Minervæ dedicatio.

TIbi *D. Franciſce Kinaſtone.* Eques Eternum colendè, Sacri Paladii, Patrimæque Virginis Protomyſtes! Vobiſque *Edovarde Maye*, *Thoma Hunt*, *Nicolae Phiske*, *Ioannes Spiedel*, *Gualtere Salter*, & *Michael Maſon*, Flamines Dea pleni, & myſtici Artium liberalium roris Promicondi: Vobis ut fauſtum, felixque cedat, uti & Patriæ, grande hoc, & pium, quod molimini opus, *Ioannes Burrhus* Fecialium Angiorum Primas, ſummis votis expetit, & optat. Atqui aram Deæ Minervæ Immuni manu adire, aut colere, cùm nemini ſacerdotes exhibitæ; ſinite, vos Arcanorum Auſpices, ut (puſillum licet, perenne tamen) hoc donarium, ſacrarum Ædium Palladis adfigam limini: Scilicet.

Scutum de Argento, cum binis *Zonulis* undulatis de *Azuro*; & in Capite Scuti, ejuſdem coloris Librum, duobus tectum Enſibus de Argento, cum Capulis Aureis decuſſatim collocatis. Pro Criſta ſuper Galeam, & Torquem de Argento, & Azuro Sagittarium. Dextro autem Scuti cornu à Sirene ſuſtentato; Siniſtro à Satyro; cum Symbolo hoc ſubſcripto. NIHIL INVITA MINERVA: prout clarius margo exhibet. Quod quidem Scutum, cæteraque ſuprà memorata, Ego *Ioannes Borough* Eques Auratus, aliàs dictus Garterus Principalis Rex Armorum Anglicorum, Regenti Muſæi Minervæ, & profeſſoribus Artium Liberalium in eodem; tam præſentibus quàm

futuris, dedi, concessi, & confirmavi; ac virtute officii mei do, concedo, & confirmo inperpetuum. Atque ut ratum hoc habeant posteri, Sigillum Officii mei huic præsenti Syngrapho apposui, nomenque meum propria manu exaravi. Datum Octavo die Augusti, Anno regni Serenissimi Principis Caroli, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis, Fidei Defensoris &c. undecimo. Annoque a Christo Redemptore nato, 1535.

Rescripsere viri clarissimi in hunc modum.

DOnarium tuum (Eques Nobilissime) verè regium, Deæ Minervæ sacrum, nos ejus Alumni, eo animo, eâque observantiâ accepimus, ut grates persolvere dignas, certe munus sit non solùm Minervæ ingenio, sed summâ Mercurii facundiâ imò potius tuo proprio eloquio. Idcircò illud tanto in honore habemus, ut (salva tua modestia) non ædium Limini, sed Antico, aut superliminari Musæ, quod affigatur, tanquam summum ædificii decus & ornamentum merito censeamus. Accepimus etiam dextrum illud omen, quod summus & inclytus Rex Armorum, Deæ Bellonæ primus fecit, virgineamque ejus aram stylo suo acutissimo inscripsit; & rasum ejus pinacen, Encausto suo pulcherrimo decoravit. Enimverò, Diva jam habet, quod glorietur, cum inter sua Armilustra, te Flamine Diali existente, Athenas suas, olim dirutas, non solùm è ruderibus resurgentes, & redivivas credat, verũ etiam illas tuis Armis munitas, tuis Insignibus ornatas adspiciat. Nos prorsus impares sumus huic tantæ tuæ mu-

nifi

nificientiæ ; qui nil præter affanias retribuere possumus , cúm certè Arrugia non sit præmium pro meritis tuis satis amplum. Veruntamen hanc debitam gratitudinis nostræ, atque spontaneam agnitionem , lætâ fronte non dedigneris accipere , tanquam Arrham in præsentiâ datam, futuri, & majoris honorarii. Interim quamvis aliqui è nostris desiderantur, qui ad tempus Urbem egressi , tamen eorum manus habe , qui sub Cordis Aposphragismate , se vovent , & signant

Dignitatis tuæ studeosissimos.

Fra. Kinaston.
Edwardus Mayus.
Gualterus Salter.

FINIS.